This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Sold by
C. J. STEWART

MONVMENTORVM
GVELFICORVM
PARS HISTORICA.
SEV
SCRIPTORES RERVM GVELFICARVM
EX VETVSTISSIMIS CODICIBVS MEMBRANACEIS
ERVTI, PLERIQVE HACTENVS INEDITI,
Vel nvnc primvm ex Avtographis exacte descripti, notisqve criticis illvstrati, additis hinc inde Diplomatibvs, chartis Donationvm &c.
cvm qvatvor Tabvlis aeri incisis.
ERVDITIS GRATIFICANDI VOLVNTATE, HISTORIAEQVE
PATRIAE ET INPRIMIS GVELFICAE PERFICIENDAE
STVDIO OPVS COLLEGIT,
AC PVBLICI IVRIS FIERI CVRAVIT

R. P. GERARDVS HESS
IMPERIALIS MONASTERII WEINGARTENSIS
O. S. B. CAPITVLARIS,
AC. P. T. PRIOR.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

TYPIS CAMPIDONENSIBVS
PER ALOYSIVM GALLER TYPOGRAPHVM AVLICVM.
MDCCLXXXIV.

240. h. 4.

C.P.C.SCHÖNEMANN

DIVIS
FVNDATORVM
RESTAVRATORVM. DOTATORVM
MANIBVS
EGREGIAE. LIBERTATIS
PRIMAE. QVE. NOBILITATIS
PRINCIPIBVS
AVGVSTAE. GENTIS. WELFICAE
EORVM. IN. PRIMIS. MEMORIAE
QVORVM. SACRA. OSSA
EX. ALTORF. VNA. CVM. MONACHIS
HVNC. IN. MONTEM. S. MARTIN
CASTRVM. QVONDAM. GENTILITIVM
INDITO. NOMINE. WINIGARTEN
A. R. S. MLV. TRANSLATA. SVNT.

DEINDE
GRATAE. QVOQVE. RECORDATIONI
POTENTISSIMORVM DVCVM
EIVSDEM. STIRPIS. INCLYTAE
QVORVM. EXVVIAE
ANIMIS. AD. SVPEROS. ADSVMTIS.
HOC. LOCO
TVMVLO. MAIORVM. INLATAE
ANNIS. ABHINC. DC. FVERE
VBI
HODIE. QVE. SVB. ARA. S. CRVCIS
SARCOPHAGO. RECONDITAE. QVIESCVNT
VT
TESTATIOR. SIT. POSTERIS
ACCEPTI. BENEFICII. MEMORIA
ANNO. MDCCLXXXIIII
BENEDICTINI WEINGARTENSES
HOC. MONVMENTVM
P.

Index Scriptorum hic contentorum.

	Pag.
I. Anonymus Weing. Saec. XII.	1.
II. Chronographus Weing. Saec. XII.	55.
III. Vita S. Conradi Ep. Conſt. Saec. XII.	77.
IV. Chronica S. Nicol. Memmingae Saec. XIV.	104.
V. Excerpta de Inuent. Sang. Domini Saec. XIII.	111.
VI. Summula de Guelfis. Saec. XIV.	121.
VII. Necrolog. Weingart. Saec. XII.	133.
VIII. Necrolog. Hofenſe Saec. XII.	158.
IX. Ortlieb de Fundatione Monaſt. Zwifuld. Saec. XII.	165.
X. Bertholdus Abb. Zwifuld. Saec. XII.	204.
XI. Chronicon Zwifuld. Saec. XII.	216.
XII. Necrolog. Zwifuld. Saec. XII. & XIII.	234.
XIII. Annales Bebenhuſani exſcripti.	253.
XIV. Annales Augienſes Saec. X.	269.
XV. Chronicon Iſnenſe ex chart. vet.	275.
XVI. Necrolog. Ottoburanum Saec. XII. & XIII.	289.
XVII. Excerpta Necrolog. Canon. Wilthinenſ.	292.

PRAEFATIO.

Vt datam Publico litterario fidem liberem, euulgo *Monumentorum Guelficorum Partem hiſtoricam*, qua ſiſto Scriptores aliquot grauiſſimos de rebus Guelficis data opera tractantes. Quidam eorum Hiſtorici ſunt: alii Chronologi, alii Annaliſtae, alii demum Necrologi. Quum de ſingulis ſuo loco paucis ſaltem differam; hic duntaxat de primo: videlicet de *Anonymo Weingartenſi* praefari oportet.

1.) Huius Hiſtoriam de Guelfis Principibus ex Codice quodam *Auguſtano* ſed turpiter vitiato Lectionibus ſuis antiquis pridem inſeruit *Caniſius*. dolebant autem viri docti, merces ſibi ſpurias fuiſſe propoſitas, optabantque vt correctiori Codice inſpecto, ſphalmata emendarentur. Conferri igitur editionem Caniſianam cum Codice Auguſtano poſtquam curaſſet celeberr. *Leibnitius*, eamdem intulit collectioni praeclarae S. R. B. Tom. I. p. 781. multosque naeuos detexit, correxitque. Interim quum nec ſibi nec aliis etiam hac ſua editione ſatisfactum cerneret vir eximius, negotium dedit conſultiſſimo *Chiliano Schradero*, vt quum Brunſwico in ſuperiorem Germaniam iter inſtitueret, inquireret in hiſtorica monumenta, quae res ſuas illuſtrarent. *Itaque me rogante*, inquit, *monaſterium Vinearum adiit, Codicemque illic extantem cum editione noſtra contulit.*

Verum Codicem noſtrum non vidit Schraderus, ſed Apographum duntaxat illius, manu *R. P. Oſwaldi Cleſin* Prioris quondam noſtri deſcriptum, quod prae manibus habeo. ſuperat hodieque ſchedula *P. Cleſini* manu ſcripta in hanc ſententiam: *DESCRIPTA haec luſtrauit clariſs. D. Chilianus Schrader ſereniſſimi Ducis Brunswicenſis Conſiliarius, poſtquam cum filio & ſociis anno* 1709. *huc ad Vineas* 3. *Sept. veniſſet, atque* 8. *eiusdem hinc diſceſſiſſet, luſtrata Bibliotheca aliisque in aula & Eccleſia.*

2.) Ex his Ectypis plurimos quidem errores ſuſtulit *Leibnitius*, emendationesque adnexuit Tom. III. p. 657. & ſeqq. Nihilominus doctiſſimi Hiſtoriae patriae & Guelficae inprimis Scriptores frequenter omni voto expete-

expetebant, vt ex Apographo ſinceriori, quale non dubitabant in *Weingartenſi* coenobio latitaturum, textus ſuae redderetur integritati; *Autographon* enim pridem deperditum dolebant vniuerſi. Seruatus vero eſt in praeſentem diem Codex Saec. XII. exaratus in Archiuio noſtro ſaluus & incolumis: quem tametſi *Protographum* non auſim compellare, *Autographon* tamen dici poſſe contendo. Vt intelligar clarius, aio: hunc noſtrum Codicem vtut vetuſtiſſimum, non eſſe *ipſius primi Auctoris manu* ſcriptum, ſed *ad calamum dictatum*, quod non vno loco factum deprehendi, ſuisque locis adnotaui. nempe & veteres, aeque ac nos, reculas ſuas pedetentim in ſua aduerſaria, ſeparatasque chartas congeſſerunt; aliquando membranis invicem colligatis inſcribendas. quandoque id oneris ipſi ſubibant, Codicesque caſtigatiſſimos poſteris relinquebant: quandoque autem Amanuenſibus vtebantur, qui facilius labi in deſcribendo poterant, praeſertim ſi alius neſcio quis ad calamum dictaſſet. Sane id accidiſſe Anonymo de Guelfis reor; alias certe ipſi Auctori tanta qualis occurrit Cap. V.to lacuna obrepere non potuiſſet.

3.) Monachum *Weingartenſem* praeclari iſtius operis Auctorem eſſe, dubitari nequit. at quis fuerit, inueſtigare iam deficientibus tabulis arduum eſt. alicubi ſuſpicabar, *Wernherum* Abbatem qui adhuc A.o 1182. aura potiebatur, Hiſtoriam compilaſſe: nec cur animum mutem, hactenus reperi; ſed nec vt confidentius quid affirmem. Interim nec tenuiſſimus mihi iam relinquitur ſcrupulus, Codicem, qui feliciter in hanc horam conſeruatus eſt, curante *Friderico* Monacho & Camerario, ea quam hodie praefert, forma, recens fuiſſe transſcriptum; enimuero in Catalogo Abbatum Weingartenſium perantiquo ſub *Meingoſo* Abb. qui A.o 1200. 22. Aprilis obiit, mentio fit eius talibus verbis: *FRIDERICUS ſane CAMERARIUS officio ſuo prudenter prouidens, non paucas res vtilitatis Monaſterii diſpoſuit, QUE ALIO IN LOCO VIDEBUNTUR PLENIUS.* deploraveram aliquando iacturam ſcriptorum illius coenobitae quae heic

haut

haut obſcure indigitantur : nunc alia non adpellat Catalographus, niſi quae reſidua ſunt, contenta in hoc ipſo Codice, quem hic edimus, & quem ipſe deſcribi curauit; id quod clariſſimis verbis teſtatur Necrologus Weingart. ad XVII. K. Jun. (pag. 142.) *Fridericus camerarius*, inquit, n. c. m . . . *HUNC LIBRUM . . . DE NOUO ſcribi fecit.* quem vero, niſi *Hiſtoriam de Guelfis - vitam S. Conradi* &c ? huic enim eidem Codici Necrologium noſtrum praefixum eſt.

4.) Antiquitatem porro *Auctoris*, quum incertus ſit, nec eius ſchediaſmata aetatem tulerint, examuſſim determinare nolo. quoniam vero *Hiſtoria* de Guelfis in obitu Guelfonis *Juuenis*, ſeu Anno 1167. deſinit, prope mediante ſaeculo XII. vixerit & ſcripſerit. ſi vero *Annales* Hiſtoriae de Guelfis adhaerentes eiusdem ſint *primigenii* quoque Scriptoris, vt in Codice eiusdem ſunt characteris, tunc planum foret, eum ante annum 1185. ſcribendi finem haut feciſſe.

Quidquid ſit, ſaltem Codex heic vulgatus adhuc ſaeculo XII. exaratus fuit, quod apices ſatis demonſtrant, quorum ectypa idcirco in aes incidi feci, Lectoribusque pag. 1. contuenda appoſui. Sed & Imagines duorum *Friderici I.* filiorum circa ſedentem Patrem ſtantium huc aliquam lucem affundunt. *Heinricus* namque iamiam regali corona inſignitus fulget, *Fridericus* vero pileolo Ducali. atqui haec decora acceperunt anno 1169. neuter tamen adhuc gladio praecinctus viſitur, qui honos vtrique demum anno 1184. obtigit. intermedio ergo tempore picta eſt imago in fronte adpoſita, Codexque praeſens *de nouo* ſcriptus fuit. complectitur vna cum *Chronico breui*, quod duorum tantum foliorum eſt, folia 17.

5.) Sequitur in Codice vita *S. Conradi Ep. Conſt.* iisdem characteribus efficta 8. fol. ad calcem adnectitur Catalogus Rom. Pontif. primaeua manus in *Coeleſtino III.* deſinit. Eodem Codice adſcriptum eſt *Chronicon* ſub titulo : *De Romanis Imperatoribus* a Chriſto nato usque ad obitum

Guel-

Guelfonis VI. id est ann. 1191. mox tamen hic vel alius prosequutus est *de expeditione Heinrici Imperatoris*, finitque in eius morte anno 1197. hoc Chronicon explet fol. 5. Apices sunt aliquantum tremuli, nec videntur eodem, quo Historia de Guelfis, calamo efformati. Ectypa habes pag. 55. in aes incisa. hoc a *Canisio* aeque ac *Leibnitio* editum est. ego emendationes tantum quasdam infra adposui, & animum ad editionem alterius Codicis adieci; quem *Chronographum Weingartensem* compello. est & hic desinente saec. XII. scriptus sub rubro: *Incipiunt Historiae Hugonis* - inde a Creatione mundi usque ad obitum Heinrici VI. vniuersim constat fol. 47. quorum singulae paginae in duas columnas secantur. illud ipsum Chronicon de Romanis Imperatoribus hic quoque comparet. dubium esse potest, vtrum ex alio defloratum sit? hoc tamen illo multo locupletius est: immo frequenter ex Historia de Guelfis excerpsit, integra etiam capita descripsit. circa finem singularia de expeditione *Friderici Barbarossae* in terram sanctam addit: rursus de diuisione haereditatis inter Filios - de fuga *Heinrici palatini* - *eiusque coniugio* &c. desinit anno quoque 1197. At alius quidam ex nostris narrationem continuauit usque ad obitum *Philippi Regis* & *Irenes* coniugis, vt suo loco a me notatum est. *hoc* ergo malui huic editioni inserere; quod *illud* Lector alibi reperire possit. orsus sum vero a tempore Caroli M. cui & *GUELFUS* I. *primus inter cognitos gentis* conuixit.

6.) Vt hic aliquid ad commendationem *Anonymi* nostri afferam, opus non est; quum iam pridem singularem Differt. *de Fide & auctoritate Monachi Weingartensis* scripserit maximi vir nominis *Dauid Koelerus* Histor. PP. Göttingae. Non possum tamen mihi temperare, quin aliqua inde huc excerpam. " Cum pleraeque, inquit, Principum Ger-
" maniae gentes destituantur vetusto & fide digno scriptore, qui earum
" origines, progeniem, decoraque primigenia ex instituto exponit, eo
" maior est felicitas augustissimae familiae Welficae, etiam hoc in ge-
" nere

" nere famae memoriaeque proſperrimae, quod Ipſi propitio quodam
" fato contigit *antiquus*, *doctus*, *probus*, *diligens*, *ſagax*, *ingenuus* ac
" *domeſticus ſcriptor*, cuius integritate, fide ſtudio & auctoritate conſtat
" de annoſo maximae nobilitatis & dignitatis ſplendore Maiorum Wel-
" ficorum omni laude illuſtriſſimorum. Eſt ille *Coenobita* peruetuſti &
" magnifici *Aſceterii Vinearum*, inſtituti Benedictini in Dioeceſi Con-
" ſtantienſis Praeſulis, non procul Rauensburgo, oppido Imperii in Sue-
" uia, a Principibus Welfis in *patrio ſolo* excitati; qui memor huius
" Beneficii *Hiſtoriam de Welfis Principibus* ſcripſit . . . . Non ergo vt
" ignarus hoſpes & peregrinus acceſſit ad ſcribendam hiſtoriam Welfo-
" rum, ſed huic operi ſe addixit vt familiaris, & Welficae benignita-
" tis alumnus, in rebus ad Welfos pertinentibus bene inſtitutus & ver-
" ſatus. Neque ille eſt recentioris aetatis, & in claſſe hiſtoricorum no-
" uus homo, vel ſecundicerius: ſed vixit & ſcripſit ſub finem ſeculi a
" Chriſto nato XII. quod fertile fuit bonorum Hiſtoricorum. " & infra:
" Praeter loci & aetatis commendationem *Monacho Weingartenſi* mul-
" tum auctoritatis conciliat, quod bene inſtructus hiſtoriam Welficam
" condidit, & hoc labore non leuiter defunctus eſt. nam priſca litterarum
" monumenta vndique ſagaciter perveſtigata indefeſſo ſtudio euoluit, in-
" ter ſe collata probe expendit, ac nullibi ſuo ingenio indulſit. hoc ſta-
" tim innuit in praefatione . . . . Non deturpauit hiſtoriam ſuam fabulis
" & commentis vulgi de *Iſenbardo*, & de prodigioſa foecunditate *Irmen-
" trudis* eius Coniugis, ex imprecatione pauperculae feminae ob terge-
" minos liberos in ſuſpicionem adulterii inique adductae, duodecim
" puerulos inſtar Catulorum exponendos, vno partu parientis. Nullam
" mentionem fecit *Curriculi* vel *aratri aurei* verſutiloqui *Heinrici*. In-
" genue fatetur, ſibi nullum obueniſſe WELFONEM, ante *Socerum*
" Imp. LUDOUICI PII. Non vidit ergo in *atriis Altorfinis* ceras fu-
" moſas *Egarum*, *Erchinoaldorum*, *Leudeſiorumque*, illuſtrium Maio-

" rum domus Regum francorum Merouingicae ſtirpis. plane ignorat
" *Ethicones*, *Warinos*, *Eberhardos*, *Ruthardos*, Alemanniae Duces
" inclytos Comitesque palatii. Tam cautus & prouidus eſt in ſcriben-
" do, vt de tribus ſententiis de exordio nominis WELF adductis in capite
" I, nullam lectoribus ſuis obtrudat, ſed omnes eorum iudicio ſubmit-
" tat. "

7.) Exinde poſtquam cl. vir ab exemplis demonſtraſſet, quam nihil a relatione aliorum ſynchronorum Scriptorum protuliſſet Monachus noſter; diluiſſet quoque dubia, quae eidem aliquid fidei detrahere poſſent, ita concludit: " Cum ergo de Monachi Weingartenſis priſca & " germana fide, integritate, circumſpectione & diligentia in recenſendis " Welforum rebus nos ſimus perſuaſiſſimi, confidenter dicere & affir- " mare audemus, tantum Welficam gentem, continuatam in ſereniſſi- " ma Domo *Brunſuicenſi* & *Luneburgica*, omnibus familiis vetuſtate & " dignitate eminentiori antecellere, *quantum Monachus Weingartenſis* " *fide* & *auctoritate aliis Scriptoribus praeſtat.* Quae enim familia eſt " in Germania, imo in vniuerſa, qua cultos & chriſtianos habet Reges " & Principes, Europa, quae progenitores ſuos haud interrupta ſerie a " tempore *Caroli M. Imp.* deducit? nulla omnino ad haec tempora cana " conſurgit *tam vetuſto ac veraci teſte* ... Neque ea cedit dignitatis priſcae " praerogatiua, quam extollunt nuptiae auguſtae *Ludovici pii Imp.* & " *Judithae Welficae*, *egregia libertas*, *& diuturna poſſeſſio ampliſſima-* " *rum ditionum*, *absque omni obligatione clientelari*, ordinatio domus " per officia *Dapiferi*, *Pincernae*, *Mareſchalli*, & *Signiferi*, quibus " fungebantur COMITES vel EIS AEQUIPOLLENTES viri, quae offi- " cia palatina dicuntur JUS PRINCIPUM in diplomatibus Regum & Im- " peratorum noſtrorum, & denique cohors numeroſa *Miniſterialium*, " quae decora eximia copioſe recenſet Monachus Weingartenſis. Non " potui non oculos inprimis conuertere in hunc *principem Hiſtoricum*

" *Welficae*

" *Welficae Domus*, & pro eius autoritate ac fide intemerata ſtrenue la-
" borare ſub auſpicium muneris Profeſſoris publici hiſtoriarum mihi cle-
" mentiſſime demandati a ſereniſſimo potentiſſimoque Principe ac Domi-
" no Domino GEORGIO II. Rege magnae Britanniae &c. &ç. . . cum
" enim mearum eſſe partium ducam, indicare & commendare meis Au-
" ditoribus eximios omnis Aeui hiſtoricos, eosque a ſuſpicione negligen-
" tiae, falſitatis, malae fidei, inſcitiae & corruptionis liberare; in-
" primis a me afferenda fuit *probitas*, *candor*, & *ſolertia* MONACHI
" WEINGARTENSIS in propagata poſteritati Hiſtoria Welforum, quam
" digne excolere & docere impigre allaborabo. " hactenus ſummus Koe-
lerus. quo nihil ſane poterat ad conciliandam Monacho noſtro famam dici luculentius.

8.) Si igitur vel vnius huius Scriptoris ex antiquiſſimo codice editionem hac mea lucubratione adornaſſem, egregie me tamen de gente Welfica ceu Fundatoribus noſtris meriturum me fuiſſe confidebam. addidi autem plures, quotquot nempe in Patria reperire potui, tametſi aliquos in ſcriniis reconditos ſupereſſe nihil dubitem. Nempe quum pauca ſint in Sueuia Monaſteria, quae nullum vnquam Guelfonum in ſe experta ſint munificum, fieri non potuit, vt nihil de iis ſaltem in Necrologiis domeſticis Poſterorum memoriae reliquerint. ſic in fundatione imperialis & celeberrimi S. O. N. Monaſterii *Ochſenhuſani* GUELFONIS IV. haut fuiſſe poſtremas partes tum ex Diplomate *Lotharii* Imper. apud P. Hergott T. II. Ch. CCV. de anno 1126. tum magis ex Bulla patet, quam *Innocentius* II. Sant-Blaſianis anno 1137. conceſſit, quam ex Autographo huius Archiuii deſcripſi in hanc ſententiam:

INNOCENTIUS Ep'us Seruus Seruorum Dei dilecto filio *Bertoldo* Abbati Monaſterii S. Blaſii de ſilua nigra eiusque ſucceſſoribus tam preſentibus quam futuris in perpetuum. Deſiderium quod ad religionis

propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur auctore Deo ſine aliqua dilatione complendum. Quam ob rem dilecti in Domino Filii veſtris deſideriis annuentes Monaſterium edificatum a fratribus veſtri cenobii in predio, quod nobiles viri *Hawinus*, *Adelbertus* atque *Chunradus ASSENSU illuſtris quondam Ducis WELFONIS* in loco qui vulgo *Ohſinhuſen* dicitur . . in pago *Ramechgowe* in comitatu *Bozze*, Monaſterio S. Blaſii in nigra ſilua deuotionis intuitu tradiderunt, apoſtolice ſedis priuilegio communimus. ſtatuentes, vt quaseunque poſſeſſiones, quecunque bona tam in mancipiis vtriusque ſexus, areis, edificiis, exitibus & redditibus, agris, acquiſitis & acquirendis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, ſiluis & aliis vtilitatibus ſuis, que in preſentiarum canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, Imperatorum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis preſtante Domino idem loeus poterit adipiſci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. ita tamen, vt idem monaſterium cenobio S. Blaſii omni tempore ſit ſubiectum, & iuxta eius normam ſiue ordinem diuinum ibi officium celebretur, quemadmodum ab ipſa ſua fundatione noſcitur inſtitutum. (*) Decernimus etiam, vt nulli abbatum ſiue potentum, nulli omnino hominum liceat bona predicte eccleſie de Ohsenhuſen pertinentia temere perturbare, aufferre vel ablatas retinere, minuere ſeu quibuslibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſeruentur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura. Priorem autem eidem loco non alium preeſſe ſancimus, niſi quem Abbas S. Blaſii prouiderit ſtatuendum. De *aduocato* quoque idipſum nihilo-

*) Miror ipſum cl. P. Hergott l. c. adhaerere vulgi opinioni, quaſi Ochſenhuſium tempore Conc. Conſtant. demum ab omni ſubiectione ad S. Blaſium fuerit exemptum; quum ut in Prodromo p. 143. iam adnotaui, id factum ſit anno 1391. a *Bonifacio* IX. P. electionem primi Abbatis in Perſona *Nicolai Schmid* confirmante *Burchardo* Ep. Conſtant. 19. April. anno 1393.

nihilominus constituimus, qui si forte inutilis apparuerit, alius sibi idoneus ad eiusdem Abbatis arbitrium subrogetur, nullusque ibi alius de his qui *minores Aduocati* dicuntur, aliquo tempore habeatur. Si qui vero illuc ad conuersionem venire voluerint, non licebit Priori vel fratribus absque licentia Abbatis S. Blasii eos suscipere in suo consortio. Maiora sane negotia, vtputa de edificiis, transmutandis vel beneficiis canonice concedendis & his similia supradicti Abbatis dispositioni & arbitrio reseruentur. Si quis autem huic nostre constitutioni contradictor extiterit, nisi reatum suum congrue correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi alienus fiat. Conseruantes autem interuenientibus beatorum Ap'lrum Petri & Pauli meritis a remuneratore omnium bonorum Domino eterne vite premia consequantur. Amen amen amen. bene valete.

Ego Innocentius catholice ecclesie Ep'us SS.
✝ Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bachi SS.
✝ Ego Guido Diac. Card. S. Adriani SS.
✝ Ego Crisogonus Diac. Card. S. Mar. in Porticu SS.
✝ Ego Juo Diac. Card. S. Marie in Aquira SS.

Datum Rome per manum *Luce* Presbit. Card. agentis vicem Domni *Aimerici* sancte romane ecclesie Diaconi Cardinalis & Cancellarii III. Kal. Dec. Ind. I. Incarnationis dominice M. C. XXXVII. Pontificatus vero Domini Innocentii PP. II. anno VIII.

Similia ex aliis quoque Coenobiorum loculis erui posse non ambigo. si Numini placuerit alio tempore plura proferam, quum nempe *Partem Genealogicam* & *Diplomaticam* Monumentorum Guelficorum perfece-

ro. Vt tamen Lectori rerum istarum minus gnaro seriem descendentium ob oculos quasi compendio ponam, ad calcem adieci Tabulas quatuor Genealogicas, quibus interim, donec earum Demonstrationes communicem, adquiescere liceat. prima aliquantum distat ab orig. Guelf. Script. rationem cur ab his deflexerim, partim hoc opere, partim alio loco dabo. Lector interim haec aequi consulat.

Scripsi 24. Mart. Anno 1784.

Welphonis.

I.

ANONYMUS WEINGARTENSIS

DE

GUELFIS PRINCIPIBUS.

Ex M. S. Codice ſaeculi XII. Archiuii Weingart.

Incipit Chronica. (a.)

§. I.

Generationes Principum noſtrorum (b.) ſummâ diligentia inueſtigantes, ac multum in diuerſis chronicis & hiſtoriis ſiue antiquis priuilegiis querendo laborantes nullum nominatim ante GUELFONEM Comitem, qui tempore CAROLI MAGNI

A

a) Apographum ſaec. XV. habet: *Cronica ex Monaſterio Weingarten.* Et ad marginem alia ſed eiusdem aeui manus: *Cronica Altorffenſium.*

b) Inde ſicut & aliis locis intelligimus, ſcriptorem hunc fuiſſe *ex noſtris*, ſeu Weingartenſem. Apograph. habet: *generationes principum Genealogie Ducis Welphonis.*

MAGNI fuerat, inuenire poteramus. Neceſſario igitur narrationis (c.) huius ſeriem ab eodem incipere oportebat. (d.) Scimus tamen ex plurimis circumſtantiis (e.) & alios ante ipſum fuiſſe, qui hanc domum (f.) etiam ante ſuſceptam chriſtianitatis fidem magnis diuitiis & honoribus gubernarunt, & nomen ſuum per diuerſas prouincias, utpote per longa tempora alii aliis ſuccedentes magna induſtria dilatauerunt. Nam vt in antiquiſſima quadam hiſtoria reperimus, iſti a *Francis* illis originem traxerunt, qui quondam a *Troia* egreſſi ſub *Frantione* & *Turcho* regibus (g.) ſupra Ripas Danubii iuxta Thraciam conſederunt, & ciuitatem *Sicambriam* nominatam ibi edificauerunt: manſeruntque ibi vsque ad tempora *Valentiniani* Imperatoris. A quo inde expulſi eoquod tributa Romanis iuxta morem ceterarum gentium ſoluere recuſabant. (h.)

§. II.

c) Autographon quidem habet: *rationis*: ſed illa lectio aptior videtur, quam habet apographum.

d) Auſi ſunt plures altius repetere *Guelficas origines*. Quo ſucceſſu? aliis relinquimus.

e) Saltem aliquas adnotaſſet! ceterum quum longius regredi tentat, fidem eamdem meretur, quam plerique eius aeui ſcriptores: qui & ſuos Heroës a Troianis ſanguinem duxiſſe paſſim fabulantur.

f) Apogr. addit: *generationis videlicet eorum.*

g) " Exploſa pridem eſt & falſitatis convicta deriuata illa Francorum a Troianis " origo, emendato illo *Ciceronis* loco, in quo Francorum mentio facta a non- " nullis eximiae alias doctrinae viris credebatur. Correcto etiam illo *Strabonis* loco, " quem *Pontanus* integritati ſuae reſtituit. " ita clar. Shoepflin diſſ. alemann. antiqq. apud D. Wegelin Theſaur. Rer. ſuev. T. I. pag. 40. conſer Differt. D. Mellin antiqq. Lacus bodam. l. c. p. 326.

h) *Sunt & alii huius commatis Scriptores, qui Troianorum manes euocarunt, & poſteros ſuos in germania quaerere iuſſerunt. Crediderint enim humilem nimis & depreſſam eſſe domeſticam originem, quod germanos veteres rudem, ac ab omnibus melioris doctrinae ornamentis deſtitutum populum pro barbaris habuerit Latium ſcientiis artibusque florens, atque hinc ex Troia potius Romane primos magnarum gentium ſatores repetendos eſſe exiſtimauerint.* Clar. Sheidius Praef. in Tom. I. orig. Guelf. p. 2. & 3. Quin immo non tam monacho noſtro quam ruditati illius aeui imputemus hunc communem & longe vetuſtiſſimum errorem, innixum auctoritati Fredegarii, Aimoini, Sigeberti Gemblacenſis, Ottonis Friſingenſis aliorumque, quos deſerere in tanta hiſtoricorum criticorum penuria ipſi religioni fuit, iudice clar. Koehlero Differt. de fide & auctorit. Monach. Weingart. l. c. p. 130.

§. II.

Egreſſi inde ſub *Marchomiro*, *Sunone* & *Genebaudo* Ducibus venerunt & habitauerunt circa ripam Reni in confinio Germanie & Gallie. Illis ergo loca illa occupantibus, iſti ob multitudinem eorum nimiam ab eis receſſerunt, & terras has pene inhabitabiles, & adhuc, vt cernitur, nemoroſas cum multis ſibi adherentibus habitare ceperunt. (i.) Quod ſi cui mirabile videatur, legat hiſtorias gentilium, & inueniet omnes fere terras violenter ab aliis captas & poſſeſſas. Hoc *Traiani*, poſtquam expulſi a ſuis ſedibus fuerant, facere ſolebant. Hoc *Gothi* & *Alani*, hoc *Hunni* & *Wandali*: hoc & *Longobardi* & cetere Nationum gentes, ſed maxime ſeptentrionales.

§. III.

Igitur potiti terra & habitatione certa confortati noſtri vires ſuas vltra protendere, & in diuerſis prouinciis predia & dignitates ſibi accumulare ceperunt. Vnde & in tantum ditati ſunt, vt diuitiis & honoribus Regibus preſtantiores, ipſi quoque Romano Imperatori hominium facere recuſabant. (k.) Et propriis viribus confiſi omnes terminos ſuos per ſe

 magna

i) Aliam hodie faciem induit regio noſtra: amoenitate ſitus, frumenti & vini fertilitate vix vlli cedens. Quorum, niſi Monachorum ſtudio & labore exculta? interim adhuc orientem ac ſeptentrionem verſus ſyluis ſaltem eminus circumdamur.

k) Haec iactantius quam verius dicta videbuntur. Koehlerus l. c. p. 131. talem adfert interpretationem: " Ego vero monacho Weingartenſi hanc mentem non affin- " go, ac ſi perſuaſerit ſibi, *Welfos* plane immunes ab omni imperio Regis Germa- " niae, & nulli legi eiusdem obnoxios fuiſſe. Uera illius ſententia eſt: Welfos " poſſediſſe iure haereditario longo tempore ditiones ampliſſimas, de quibus Regibus " non tenebantur: atque ab omni nexu & ſeruitio feudali quam diutiſſime ab horruiſſe. " ita tamen, vt ciues eſſent regni germanici: Regis maieſtatem colerent, eiusque " ſummae Jurisdictioni ſubeſſent, non qua beneficiarii, ſed qua poſſeſſores liberi " praediorum patrimonialium. " Et Diſſert. 39. l. c. poſtquam dixit, regionem Sueuiae *cis danubianam*, quam olim tenuernnt Comites Welficae proſapiae praepotentes, ad *Ducatum ſueuicum* nunquam pertinuiſſe, huiusque reliquias propterea in *comitatu Altdorfenſi* quaeri non poſſe, ſubdit: *omnis ergo Sueuia non pertinuit ad Du-*

magna induſtria & fortitudine defendebant. Domum quoque ſuam *regio more* ordinauerant: ita, vt queque officia *Curie*, id eſt miniſteria *Dapiferi*, *Pincerne*, *Marſcalci*, *Kamerarii*, *Signiferi* per Comites vel eis equepollentes regerentur.

§. IV.

Prefecerant etiam familie ſue tam maiori quam minori vnum de maioribus Curie, quem nominabant *Aduocatum*, (l.) qui vice ſua pro omnibus ſtaret coram Regibus ſeu Ducibus vel aliis iudicibus, & in quacumque cauſa vel querimonia pro eis reſponderet. Habebant & aliud quoddam inſigne quaſi ſub priuilegio: vt proſcriptos quosque, ſi ad ſe confugerent, recipèrent, & vſque ad excuſationem vel condignam ſatisfactionem ſine ſanguinis tamen effuſione conſeruarent. (m.) Que omnia ad honorem videlicet Curie pertinentia a ſuis ſucceſſoribus etiam adhuc inmutata conſiſtunt.

§. V.

catum Sueviae: ſed in ea habuerunt Epiſcopi, Abbates, Principes & Comites ampliſſimas ditiones ab omni Ducis Sueuiae imperio ac Jurisdictione plane immunes: Imperio tamen germanico obnoxias & clientelares. Abundauit ſane haec ampliſſima regni germanici prouincia ordinibus regni tam ſacris quam ſecularibus, qui florentibus adhuc Stauffenſis familiae Ducibus comparebant quidem in comitiis prouincialibus, in quibus ſententiae ferendae erant de ordinum prouincialium controuerſiis. Ceterum ditiones ſuas ex arbitrio regebant ab omni poteſtate ducali regiis priuilegiis exemti. Hactenus ille. Itaque etiam poſtquam ad Duces Stauffenſes venditione peruenit ditio Welfica, non hoc ipſo inſerta eſt *Ducatui ſueuico:* ſed fuere omni tempore in Sueuia TERRAE a Ducum poteſtate immunes. Conſul. auct. obſerv. in cit. Diſſert. apud Wegelinum Volum. IV. pag. 523. videatur etiam: grundlich hiſtorisher Bericht von der Landvogtey inSwaben eiusdem Wegelini p. 141.

l) Forte non incongrue inde origo *Praefecturae* ſueuicae (*der Landvogtey*) a quibusdam deriuatur. Conſule Diſſert. hiſtor. Ludov. Barth. *Hertenſteinii* Theſaur. rer. ſuev. vol. III. pag. 52. ſeqq.

m) Sic de Guelfone VI. Steingadenſia monimenta & Apographum noſtrum adnotarunt, quod *proſcriptos*, & vndequaque ad ſe confugientes benigniſſime vouerit. Nec vulgare erat hoc priuilegium. Si enim iudicio publico proſcriptus in aliqua vrbe ſuſciperetur, deiiciendae erant turres, murique ſolo aequandi. Si vero in loco aperto nec moenibus cincto talis proſcriptus ſuſciperetur, locus igne cremabatur. Quas

§. V.

Eccleſias *regales*, ſcilicet *Conſtantienſem*, *Auguſtenſem*, *Friſingenſem*, *Curienſem*, *Campidonenſem*, *Vtinburenſem* magnis prediis & multa familia ditauerunt. (n.) Quasdam vero ex integro a primo fundamento, que adhuc ad ſucceſſores ſuos ſpectant, honorifice conſtruxerunt.

CAPUT I.

De Nomine Welf.

§. I.

HIs ita prelibatis de exordio nominis quod Welf ſonat, quia plerique inde querere ſolent ſicut audiuimus, in medium proferamus! (o.) *dicitur*, quod quidam ex antiquiſſimis iſtis filiam cuiusdam ſenatoris romani, qui *Katilina* nominabatur, in uxorem duxerit, ac filium ex ea progenitum *Katilinam* nominauerit. Quod quia theutonizatum *Guelf* ſonat, placuit omnibus, vt lingue naturali ſatisfacerent: & romano nomine refutato, GUELFUM eum theutonice nominarent.

§. II.

Alii dicunt, quod dum vnus ex iſtis apud Imperatorem (p.) moraretur, uxor eius filium peperiſſet. Mittens ergo ad virum ſuum, quod

leges quidem innouauit Fridericus II. *Imp.* anno 1236. in Conſtit. mogunt. c. 21. & 22. nec non poſtmodum Rudolfus I. apud Lehmann Chron, Spirens. L. v. c. 108.

n) Neſcio an tempus edax harum Eccleſiarum monimenta conſumſerit: an cum blattis & tineis hodiedum colluctentur?

o) Ergo ante ſexcentos & amplius annos plerique iam ſed fruſtra nomenclationem hanc ſtudioſe inueſtigabant: quod tunc affirmare nemo niſi timide & per coniecturas potuit & audebat, quî nos deperditis tot ſaeculorum tractu ſubſidiis id tuto poſſemus?

p) Affaniae! quis praetenſus ille Imperator fuiſſet? ante Carolum Magnum occidens nullum ab aliquot ſeculis habuerat. Guelfum vero primum Judithae patrem, ne di-

factum fuit nuntiauit, ipſumque ad ſe revocauit. Ille letò nuntio gauiſus Imperatori reuerſionem inſinuat: cauſam tamen reuerſionis non indicat. Imperator vero rem percipiens ridiculoſe eum taliter affatur: pro Guelfo, qui vobis natus eſt, repatriare feſtinatis? at ille: nomen, inquit, quod iam infantulo dediſtis, poſtea plenius dare debetis. Niſi enim Deus aliter ordinare voluerit, eum ſub hoc nomine de lauacro ſancto ſuſcepturus eſtis. Quod ita factum eſt.

§. III.

Alii vtrumque verum eſſe coniiciunt. Dicunt enim: primo quidem vt modo audiſtis, inuentum eſſe: ſed deinde multo tempore refutatum, & quaſi in obliuionem traditum denuo ſic per Imperatorem renouatum. Et ſic quod in principio fuit abhominabile, poſtremo factum eſt in hac proſapia quaſi naturale & acceptabile. (q.) Sed iam ad propoſitum redeamus.

CAPUT II.

De primo Welfone.

§. I.

Igitur GUELFO genuit filium ETHICHONEM nomine, filiam IUDITH (s.) quam *Iudith* Ludewicus Imperator cognomento pius Karoli magni filius defuncta uxore ſua Irmingardi, ex qua tres filios *Lotharium*, *Pipinum* & *Ludewicum* progenuit, duxit uxorem. Que genuit Karolum Cal-

cam quempiam Progenitorum, e baptiſmo quomodo leuare poterat Carolus illi coaeuus?

q) Merito hic quis mirabitur: cur hiſtoriographus noſter de 12. gemellis vno partu fuſis, & dolo muliebri, ceu *catulos* in aqua ſuffocandos portaret, ad necem deſtinatis, altum fileat? palmari utique argumento hanc fabulam ſaeculo XII. nondum fuiſſe confictam.

s) Alios inſuper fuiſſe huic Welfoni filios, *Conradum* videlicet Regum Burgundiae ſatorem, & *Rudolfum* Primatem palatii, ſuo loco demonſtrabitur.

Caluum, qui in diuiſione imperii regnum Francorum optinuit. & XLV. annis ſtrenuiſſime rexit. Fratribus ſuis Lothario & Ludewico in Italia & Alamannia regnantibus. Tertio, id eſt, Pipino defuncto.

CAPUT III.

De Ethichone, qui fundauit Ambirgou. (t.)

§. I.

ETHICHO huius Iudithe frater, Patri defuncto pius heres ſucceſſit; qui genuit filium *Heinricum* nomine (u.) Hic itaque Heinricus cum ad militares annos peruenisſet, & ſue voluntatis compos fieret, ignorante Patre ad Imperatorem ſe contulit (w.) cumque illi ſumma familiaritate ſociaretur, & totius imperii vires terminos eius circumeundo & pertransiendo cognoſceret, tandem conſilio Principum & maxime ipſius Imperatoris inſtinctu hominium ei & ſubiectionem fecit, & in beneficio IIII. milia manſuum in ſuperioribus partibus Baioarie ab eo ſuſcepit. (x.)

§. II.

t) *Alium* hunc eſſe *Ethichonem a Judithae* FRATRE, vel ipſa chronologiae ratio euincit. Duos homonymos confudit Monachus noſter.

u) Id verum eſt, ſi de Ethichone *fundatore cellae Ammergouienſis* ſermo eſt: falſum ſi referatur ad Ethichonem *fratrem Judithae*, Guelfi I. filium.

w) Chronicon vetus Ducum Brunswicenſium in antiqq. Maderi p. 14. narrat: Reginam Heinrico *fratri ſuo* perſuaſiſſe, vt Mariti ſui *Ludouici* vaſallus fieret. Verum quae haec Regina ſoror Heinrici? quis ille Ludouicus? Certe non ille Judithae maritus. An ergo *Germanicus*, an *Balbus*, an *Infans*? nox, tenebrae & nubila! ſi Trithemio credimus, Imperator hic foret *Arnolfus*, *qui* (vt ipſe in chron. Monaſt. Hirsaug. p. 25. confidenter affirmat.) *habuit uxorem Lucardam filiam Welphonis Ducis Bauariae.* Alii *Gerbergam* ſuſpicantur, *Arnolfo malo* nuptam. vid. orig. Guelf. Tom. IV. p. 443. *

x) Hic Heinricus vulgo cum *aureo curru* cognominatur ex eo, quod, vt memorant Annaliſta Saxo aliique, conuentum eſſet Imperatorem inter & Heinricum: illum tantum huic terrae ſpatium fore conceſſurum, quantum vna die aratro poſſet circumſcribere Porro Heinricum dolo vſum confecto aureo aratro, quem ſinu recondere poterat,

§. II.

Quod cum pater eius percepiſſet, ratus nobilitatem ſuam & libertatem nimis eſſe declinatam, vltra quam credi poſſit conſternatus animo dolorem ſuum omnibus caris ſuis expoſuit : & aſſumptis XII. ex illis infra montana ad villam, que dicitur *Ambirgou*, regalibus edificiis & poſſeſſionibus ditiſſimis relictis ſeceſſit : & ibi non amodo viſurus filium ſuum conſenuit. Cepit & ibidem collectis monachis *cellam* conſtruere, in qua etiam poſtmodum cum XII. ſuis humatus requieſcit. (y.)

§. III.

HEINRICUS autem volens omnimodis dolorem patris mitigari, preſentiam eius fugit, nec tamen ſolatium neceſſitudinis ei ſubtraxit ; omnia enim ſua illi confinia ex integro ad miniſtrandum ei ſubiecit. Deinde comperta morte Patris Heinricus conſiderans locum vbi cella incepta fuerat incommodum & difficilem clauſtralibus, ad villam, que dicitur *Altenmunſter*, vbi ſanctus ALTO confeſſor requieſcit, ſupra dictos monachos cum omnibus ſuis transuexit, & *Abbatiam* ibi ſatis religioſam & diuitem perfecit. Poſtea & in *Altorfenſi* villa *Abbatiam cum Sanctimonialibus*, in loco vbi nunc *parochialis Eccleſia* eſt, conſtruxit.

§. IV.

Idem vero Heinricus uxorem duxit de *Hochunwarthe* in Baioaria BEATAM nomine, ex qua tres filios genuit : *ſanctum Counradum* Conſtantien-

aſcenſis equis ingentem tractum obequitaſſe. Quidquid horum ſit, ſaltem hoc fabulam olet, quod hac occaſione *Rauensburgum* ditioni Guelficae adiectum ſit. Praeterquam enim, quod referente Anonymo illa bona feudalia recens adquiſita in *ſuperiore Bauaria* fuerint ſita, inſuper ea aetate *Rauensburgum* nequidem exſtabat, conditum primum ſub *Heinrico ſancto*, vt ex chronico inferius edendo liquet. Ignotus inſuper mons *Merenberg* ab equa dictus : nec hactenus vicini nobis Rauensburgenſes religioni ſibi ducere conſueuerunt equas adſcendere, praeſertim ſi vrgeret neceſſitas quemadmodum ſcriptores citati nugantur.

y) Hanc cellam, eo loco fuiſſe conſtructam, quo hodie celeberrimum ordinis noſtri Cœnobium *Etthalenſe* ſeu *vallis Ethiconis* conſiſtit, alibi docuimus. Vid. *Prodr. monum. Guelf.* pag. 23.

ſtantienſem Epiſcopum, *Etichonem* (z) & *Roudolfum*. Sanctus igitur Counradus in epiſcopatum promotus patrimonium quod a Patre poſſederat *Alidorf*, (aa) & *Wolpoteſwende*, (bb) *Berge*, *Fronehouen* cum ſuis attinentiis, & omnia *vltra* fluuium noſtrum SCUZINA (cc) ſita, ſicut ad nos hodie pertinent, (*) fratri ſuo *Roudolfo* per concambium donauit: & ipſe ab eo remotiora recepit. Id eſt, *Enſilingen*, *Andiluingen* (dd) cum omnibus appendiciis ſuis, & in Alſatia *Colmir* & infra

z) Hunc binomium fuiſſe oportet; ex vita enim S. Conradi inferius edenda conſtat Beatae matri *Guelfum* quoque fuiſſe filium. Vt taceam, hic denuo *Ethichonem iuniorem* ad S. Conradi tempora referri.

a a) Non *Altdorf*, vt habent edita, quod non vltra ſeu *trans* fluuium Shuſſam, ſed *cis* eumdem ſitum eſt. In Prodromo meo ex Archiuio S. Blaſii deſcriptam chartam edidi, confectam anno 1222. quo in *Alidorf* Abbas noſter *Berchtoldus* in iudicio conſedit. Hodie ſedes eſt illuſtriſſimorum Comitum *Koenigseggianorum*, quorum caſtrum gentilitium haut procul *Altshuſio* monti imminet. Porro hodie communiter *Aulendorf*, ruſtice vero *Olidorf* vocatur.

b b) Mire torſit ingenium ſuum explicatione huius vocis perilluſtris L. B. de Senckenberg in Differt. *de nomine & quibusdam ramis incognitis auguſtae gentis guelficae*, adeo, vt tandem *Walewis*, quod eſt in comitatu Nellenburgico, idem eſſe crederet, quod eſt *Wolpteswende*, qui locus una tantum leuca a nobis diſtat, eſtque hodie ditionis Rauensburgicae. Hoc facile largior viro eruditiſſimo ex voce germanica *Wenden*, quod eſt *morari*, *habitare*, recte inferri: *Wolpetswende* idem ſignificare quod *Guelforum habitatio*. Qui quidem ſenſus clarius ex voce hodie vſitata eruitur. Communi enim eloquio villam illam *Wolfhartshwende* nominant. Fiſtulae bombardicae iactu inde a villa in plano ingentis & vaſtiſſimae molis turris viſitur, *Azzen* vel *Hazzenthurm* ab incolis vocitata. Frequenter me ſuſpicio vſſit, an non ad praeſidium ſimul & ad conſeruandam Patris *Azzonis* Marchionis Eſtenſis memoriam eam ſtruxerit *Guelfo IV.* factus inſuper Bauariae Dux. Idem locus quoque a cultu *S Gangolfi* habet celebritatem. Porro Scriptoribus de rebus guelficis tractantibus nomina *Gangolfi*, *Wolfgangi*, *Wolfhardi*, *Welfhardi*, *Welpi*, *Wolfi*, *Welfi* paſſim ſynonyma ſunt.

c c) *Shuſſa*, *die Shuſſe*, cuius fontes ex lacu *plumario* ſupra *Shuſſenried* monaſterium deriuantur.

*) Intellige, tempore huius Scriptoris. Hodie *Fronhöfen*, quod iure ſeu titulo emptionis ad nos rurſus rediit, & *Berga* ad nos adtinent. In priori loco turris eſt paris prope cum ſuperiore molis.

d d) Vterque locus trans Danubium prope alpes ſueuicas iacet *Mengam* inter & *Ried-*

Rhetiam Curiensem *Amidis*, *Flumines*, *Lugeniz*. (ee) que omnia Ecclesie sue *Constantiensi*, partim fratribus maioris Ecclesie ad melioration-em prebende, partim fratribus illis, quos canonice in Ecclesia *S. Mauritii* ordinauerat, contradidit.

§. V.

Eticho frater eius (ff) sine legitimi matrimonii copulatione de hac vita decessit, & *Constantie* iuxta supradictam ecclesiam sepultus est. Genuit tamen ex quadam de ministerialibus suis filiam, quam frater eius *Rudolfus* libertate donatam pro amore fratris cuidam nobili de Retia Curiensi cum largis prediis copulauit. Ex qua illi de *Hecîliscella*, de *Vstera*, (*) de *Raprehteswillare* & eorum cognatio descenderunt.

CAPUT IV.

De Roudolfo fratre S. Counradi. (gg)

§. I.

Roudolfus frater superiorum accepit uxorem de *oningen* ITAM nomine. Cuius pater *Couno* nobilissimus Comes: Mater vero eius filia OTTONIS MAGNI Imperatoris fuit RICHLINT nomine. Hic itaque Couno IIII. filios progenuit, *Eggebertum*, *Leopaldum*, *Liutoldum*, *Counonem*

lingam in comitatu *veringensi*. Prior locus, eoquod multum adcreuerit, hodie *Langen - Enslingen* vocatur, estque hodie sedes Principis de *Sigmaringen* a marito suo separatam vitam agentis. Alter monasterio *Vallis S. Crucis* paret.

ee) Hae tres villae hodie monasterio *Fabariensi*, a thermis saluberrimis celebratissimo parent. Negotium dedi tribus ex nostris, qui valetudinem curaturi potu aquae calidae & limpidissimae in thermis piperinis (Pfeffersbaad) ad eas regiones profecti sunt, vt mihi comperta de his tribus locis referrent. Hi ab ipsis Fabariensibus monachis oftenso sibi rotulo edocti sunt ad se has villas adtinere. In codice ad vocem *Amidis* in margine adscribitur *Ems*. Ad vocem *Flumines*, *Flims*, & ad *Lugeniz*, *Logenez*. (Caue vero, vt *Amidis* seu *Ems* nomen, cum alio Ems, Altemsio, seu Hohenems supra Brigantium sito, ne confundas.) Confer etiam Diploma Friderici I. Imp. datum ecclesiae Constantiensi, in chronico Mannlii apud Pistorium.

ff) Hunc Etichonem non fuisse fratrem S. Conradi & Rudolfi, sed alterius Rudolfi iunioris Ithae oeningensis mariti, in monumentis genealogicis docebo.

*) Forte *Ostrach* prope Pfullendorff.

gg) Tametsi huius loci non sit data opera disquirere, quae in genealogia guelfica am-

nomen. (*) Quorum primus Eggebertus ſcilicet Marchiam illam, que eſt in finibus Saxonie verſus Danos, *Stadin* nominatam obtinuit, & filios, ac filias per diuerſas regiones diſſeminatas genuit. (hh)

§. II.

Habuit quoque idem Cuno IIII. filias, quarum vna *Rudolfo iſti*, alia cuidam de *Rinueldin* parenti *Zaringiorum* (*) tertia regi *Rugiorum*, quarta comiti de *Diezon* (**) nupſit. Roudolfus prefatus ex ſua Ita duos filios Heinricum & Guelfonem & filiam Richgardam progenuit.

§. III.

Hic eſt *Heinricus*, qui ſub annis adoleſcentie in *venuſta valle* iuxta villam *Lounon* in venatione ſaxo percuſſus interiit. *Richgardam* vnus de maioribus Baioarie Comitibus vxorem accepit (***): ſed quia ex ea heredem non habuit, tres Abbatias ex ſuis prediis magnifice, vt adhuc cernitur, fundauit: que ſunt *Ebirſperg*, *Cuobach*, *Giſinueld*. Et inſuper Guelfoni fratri uxoris ſue villas *Vtingen* & *Selmbach* cum omnibus ap-

 pendi-

bigua ſunt; vt quae alteri occaſioni reſeruo; potius nunc editoris quam hiſtorici partes ſuſtinens: tamen monere Lectorem oportet eorum ſphalmatum, quae Scriptori vtut diligenti obrepſere, neglectu praeſertim chronologiae, cuius apud Hiſtoriographos medii aeui exigua habebatur ratio. Notandum igitur, Monachum noſtrum ſaepius non ſatis cautum ex ſimilitudine nominum concluſiſſe ad identitatem (ſi tamen ita loqui fas ſit) perſonarum quoque. Paucis dicam Ottonem Magnum ſynchronum fuiſſe S. Conrado, ergo & eius fratri Rudolfo: hic ergo quomodo Ithae Ottonis M. *neptis* potuiſſet eſſe maritus, quae eo iam defuncto naſci demum potuit?

*) Confer quae infra in vita S. Conradi afferuntur.

hh) Vide ſis interim orig. Guelf. Tom. II. p. 214. not. q.

*) Ergo maritum fuiſſet nacta proauum vel etiam auum *Rudolfi* Sueuiae Ducis poſtea Anti-Cæſaris. Pater Rudolfi *Cuno* veriſimiliter nomen ab oeningenſibus comitibus hereditauit, habueritque fratrem Satorem *Zaringiorum*. Altum de hac origine Zaringica apud clar. *Schoepflinum* ſilentium!

**) Huic *Cunegundis* nomen. Vide monum. Dieſſens. M. B. Vol. VIII. p. 120.

***) *Adalbero* filius *Vdalrici* comitis Eberſpergenſis. Vide Anonymum Eberſperg. apud cl. Oeſelinum Script. rer. boic. Tom. II. pag. 8.

pendiciis suis donauit, ipsaque *Richardis* Ebirsperg sepulta est. Denique Roudolfus postquam nature debitum persoluit, in Altorfensi Cenobio iuxta patrem & matrem humatus.

CAPUT V.

De Welfone II. filio Roudolfi.

Guelfo supra nominatus Rudolfi huius filius uxorem duxit de gente salica de castro *Glizberck* Imizam nomine, *sororem Heinrici Ducis Noricorum*, & *Friderici Ducis Lotharingiorum*, & *Adilberonis Episcopi Metensis*. Post quam h e' mus (ii.) regalem villam *Moringen*, & in Langobardia *elisinam Courtem* nobilissimam, cuius sunt XI. milia mansuum vno vallo comprehensi.

CAPUT VI.

Qualiter Augustensem vrbem cepit.

§. I.

Iste est Guelf, qui aliquando auxiliante sibi *Ernesto Duce* Imperatori rebellabat, & cum *Brunone* Augustensi Episcopo maximas predas & incendia faciens, nec non castella & munitiones eius diripiens tandem ipsam Ciuitatem capiens diu dimicabat. Cui *Frisingensis* Episcopus auxilium ferens eadem ab eo perpessus est.

§. II.

Hic etiam Abbatiam *Altorfensem* transferendo huc Monachos *Alten-*

ii) Sic scriptum est. Locus pessime corruptus. Apographum sic habet: *per quam habemus - - - in vna valle comprehensi.* R. P. Bucelinus noster Veldkirchio excurrens omnem Rhaetiam lustrans, atque itinerarium diligenter conficiens notauit *vallis telinae* partem *lisinam vallem.* Nisi vehementer fallor, haec cum anonymi valle elisina prima syllaba elisa, eadem est. *Veltelinum* enim ad Longobardiam recte referri potest. Vide sis cit. Bucel. Topograph. Rhaetiae.

teununſter, & Sanctimoniales noſtras illuc ponendo permutauit (kk.) in qua Abbatia & ipſe poſtmodum *defunctus requieſcit.* Uxor vero eius adhuc diu ſuperſtes in *Altenmunſter* ſepulta eſt.

§. III.

Hic cum ad ſeneſcutem peruenisſet, & malorum que eccleſiis *Auguſtenſi* & *Friſingenſi* intulerat, ſepius ſepiusque reuoluens animo recordaretur, ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, examinationem ſibi per iudicium aque frigide elegit (ll.) in qua non aliud pretium ſibi ſufficere eſtimans villas ſuper villas cum omni iure ſuo in ipſo examine accumulans compoſuit, & ſic recompenſando illatum dampnum ad perfectam purgationem peruenit. Quas villas iuxta modum & qualitatem dampni vtrique eccleſie ſine dilatione in perpetuam poſſeſſionem donauit.

§. IV.

Hic genuit filiam Chunizam nomine, quam Azzo ditiſſimus marchio Italie cum *Curte eliſina* dotatam in uxorem duxit, & ex ea Guelfum totius terre noſtre futurum heredem & Dominum progenuit, de quo ſuo loco dicendum eſt.

§. V.

Genuit & filium ſui nominis Guelfum virum per omnia probatum: qui *Ducatum Carinthiorum* & *Marchiam Veronenſem* adquiſiuit,

kk) Patri hic tribuit ſcriptor, quod Filius praeſtitit. Translatio enim ex Altmonaſterio Altdorfium facta eſt anno 1047. Welfo vero II. iam anno 1030. obierat. Certe anno 1036. teſte Herm. Contract. ad h. a. Irmengardis eius uxor iam *vidua* fuit. Interim videtur, Guelfonem III. propoſitum patris exſequutum fuiſſe. vid. Prodr. mon. Guel. p. 16. ſeqq.

ll) *Sibi elegit* ſuperſtitioſum iudicium Comes. Quibus ergo Tabulis nixus *D. Felleren* in orbem litterarium protrudere auſus eſt mendacium, ipſum a monachis noſtris *inductum*. id feciſſe? eodem calumniandi ſtudio addidit, huius filium Guelfonem III. *ab auaris monachis circumuentum*, eos heredes patrimonii ſui ſcripſiſſe. Nempe obſequium ſe praeſtare Deo crediderit. Ergo precemur ei leuem terram!

& ſtrenuiſſime rexit. Dicitur de eo, quod cum in procinctu eſſet, & Imperatorem *Heinricum tertium* per triduum vltra ſtatutum tempus in loco qui *Rungalle*, (*) vbi totus exercitus conuenire ſolet, quo & ſe venturum iuramento conſtrinxerat, preſtolaretur, & nec nuntium quidem, qui cauſam more illius exponeret, haberet, erecto ſigno conuocatis ſuis reuerſionis iter arripuit. Cui tandem Imperator occurrens, nec muneribus nec promiſſionibus, vel ſaltim minis ab incepta repatriatione remouere potuit.

CAPUT VII.

Qualiter Imperatori Verone reſtiterit.

§. I.

QUodam etiam tempore cum Imperator veronenſibus ciuibus exactionem inferens mille marchas ab eis extorſiſſet, ipſe ex improuiſo ſuperueniens tanta eum ſuosque ſeueritate & contumelia afflixit, vt vix Imperator pecunia ex integro reddita ſecuritatem exeundi obtineret.

§. II.

Idem etiam Guelfo monaſterium in Monte *antiquum* (**) in honore ſancti *Martini* fundauit, nomen *Winigartin* inpoſuit. In quod de villa translatis oſſibus *Patris* ſui *Guelf*, & *Patrui Heinrici*, & *Aui Roudolfi* (mm) eccleſiam priorem parochialem eſſe ſtatuit.

§. III.

*) Notiſſima ſunt in hiſtoria *caſtra Runcalica.*

**) Anno 1053. monaſterio Altdorf flammis conſumpto, vt refert Herm. contractus optimus Princeps Palatium ſuum monachis ceſſit caſtro vtcumque in cellulas aptato. Hoc ſcriptori noſtro monaſterium *antiquum* eſt. Sua enim aetate illud ab Heinrico nigro anno 1124. inchoatum iam abſolutum erat. Vid. Prodrom. p. 40.

mm) Ergo oſſa *Heinrici* & *Beatae* Parentum S. Conradi vel aliorum ſi qui reconditi illic fuerunt, huc in montem S. Martini translata non ſunt. Aliter quondam ſenſere Weingartenſes, credebantque 12. e familia Guelforum illuſtriſſima heic fuiſſe corpora recondita. P. Bucelinus egregia criſi hanc opinionem ſuſtulit oculatus teſtis, quan-

§. III.

Hic denique Guelf ſub iuuenili etate cum eſſet in caſtro *Botamo*, morbo correptus eſt : videnſque ſibi imminere mortem, omne *patri-*

do poſt bellum ſuecicum cariſſima nobis pignora nouis ſarcophagis illata ſunt. In Ephemeridis ad diem 17. May ita ſcribit : " Euocor ipſa die ex Altorf, vbi Parochi " vices alternatim cum P. Franciſco egeram, a R. mo ad eleuationem corporum ſe- " reniſſimorum Fundatorum noſtrorum. Transfero cum ſociis oſſa in ſportas ex- " cepta, vt in loco conuentus quodam de nouo abluerentur, caemento obſita, cum " ſacrilego auſu a Suecis tumulus apertus fuiſſet. Miror omnium integritatem. In " caluaria cuiusuis, ne macula quidem vlla in vllo dente apparuit. Sedecim den- " tes cuiusuis inferior mandibula habuit, præter vnum caput, quod quatuordecim " ſolum ſuo ordine concluſit. " Et ad 19. May ita proſequitur : " Totus ſum in lu- " ſtrandis & colendis ſereniſſimorum Fundatorum noſtrorum ſacris corporibus. Com- " putatis caluariis & collatis oſſibus non duodecim ſed ſolummodo decem deprehen- " dimus, cum tamen duodecim eorumdem effigies in ſacello Fundatorum exprimun- " tur. Mihi certum fuit, eſtque hodie, *Heinricum* & *Hattam* parentes *S. Conradi* " hos inter decem conditos non eſſe, eoquod in vetuſtiſſimo noſtro Guelficae hiſto- " riae Auctore & Monacho noſtro horum in translatione nulla mentio habeatur. In " omnibus enim vetuſtis Mſ.tis de Guelfone Duce Carinthiae haec ſolum leguntur " Hic oſſa *Patris* ſui Guelf, *Patrui* Heinrici, & *Aui* Rudolfi in montem transtulit. " Vt ſi his quatuor - *Guelfoni* Carinthio, & *tribus* quos transtulit, ſex reliquos " *Guelphonem IV. Judithan Reginam*, *Guelphonem pinguem*, *Heinricum nigrum*, " *Wulfildem coniugem* & *Sophiam Zaringenſem* addamus, decem non duodecim Prin- " cipum numerum deprehendamus. Nam quod R. P. *Chriſtophorus Hammerer* no- " ſter p. m. R. mo ſanctae memoriae *Georgio*, S. Conradi parentes *in monte* ſepultos " perſuaſit, inde ortum eſt, quod in compendioſa quadam narratione de Guelphone " Carinthiae Duce legerat haec ſolum verba (*Maiores ſuos in montem transtulit*) " indefinito maiorum numero ; quem tamen ipſorum chartae Guelfonum definiunt & " aſſeuerant *Patrem*, *Patruum* & *Auum* transtuliſſe. Reperta cum oſſibus ſemi- " raſa inſcriptio eſt : *Heinrici Duc. & Coniugis* - - ex quo nonnemini placuit omina- " ri, Heinricum hunc S. Conradi patrem eſſe. Sed ex omnibus cenobii monimen- " tis & quibusque litteris & inſcriptionibus, quin & ex ſynchronis S. Conradi vitae " Auctoribus conſtat, S. Conradi parentem, etſi illuſtriſſimo natum genere, nun- " quam tamen alio, quam titulo *Comitis* fuiſſe cognominatum. Ita, vt Heinricus " ille *Dux* & Coniux eiusdem ſint *Heinricus Niger*, & *Wulfildis* Saxoniae Duciſſa, " qui in hoc ipſo ſacello tumulati memorantur. - - - Annó Chriſti 1647. 30. Maii a " prandio ſub horam ſecundam ſilenti proceſſione ſed religioſiſſima & deuotiſſima

patrimonium ſuum cum miniſterialibus, quia heredem ex ſe non habuit, ad cenobium Altorfenſe ſancto Martino in perpetuam poſſeſſionem donauit, & hoc perficiendum duobus de maioribus ſuis, qui tunc ſecum aderant, fideliſſime commiſit. Ipſe vero diem claudens extremum illo deportatus eſt, & cum maximo planctu ſuorum ac totius vicinitatis ſepultus. (nn)

§. IV.

Mox expleta ſepultura quibus iniunctum fuerat, donationem perficere volentes prohibiti ſunt; Mater enim ipſius ſciens ſe *heredem habere*

" ſacra Fundatorum Principum noſtrorum oſſa cum thure cereis & cruce ex hypo-
" cauſto S. P. N. Benedicti per ambulacra Infirmitorii & Conuentus ad expurgatum
" de nouo Mauſolaeum retulimus. Pretioſis illis Lypſanis non atri ſed purpurei
" coloris panno pretioſo coopertis, candidisque in formam crucis deſuper ſtolis
" compoſitis. Subii & ego gratioſiſſimum onus, & capita quidem ſeparatim vt &
" ſeparatim alia oſſa a patribus delata ſunt, profeſſis etiam iunioribus præſentibus.
" Recitatae ſunt Veſperae defunctorum dum in noniter ad id factis ſarcophagis cum
" inſcriptione in plumbo deponerentur. " Haec avtoptes P. Bucelinus. Vltima vice haec Crypta aperta fuit anno 1751. adhibitis quoque ad conſeruandam rei memorabilis traditionem iunioribus profeſſis. Ego tum nouitius eram.

nn) Fere eadem narrat continuator Herm. contract. edit. vrſtis. qui autem neſcio quo conſilio textum mancum reddidit. Adlatus eſt ex *muris* heluetiorum ad *S. Blaſium*, vbi triduo moratus fueram, codex antiquiſſimus, quem quidem *Bernoldi* monachi S. Blaſii eſſe exiſtimant. Geſtiebat prae gaudio optimus Princeps Abbas *Martinus Gerbert*, quod poſtquam plura familiari colloquio contuliſſemus, tandem antequam negotiorum cauſſa ad ſereniſſimum Principem Furſtenbergenſem Donau-Eshingam redire compellerer, occaſionem nanciſceremur conferendi codicem cum impreſſis. Ad apicem ſic in illo ſcriptum eſt: *Morte preuentus & voto ſancte monachice vite Deo reuera ſe initiando dedicatus apud Altorfenſe cenobium ſepultus eſt.* Haec amplius quid, quam monachum duntaxat *ad ſuccurrendum* ſignificant. Quod ſi vero cuiquam videatur dedecori fore tanto Principi, quod monachum eſſet profeſſus, nolim pluribus contendere. Ceterum ſub *Altorfenſi* Monaſterio intelligi *Weingartenſe* non erit neceſſe ſaepius Lectorem commonefacere.

bere ex filia missis in *Italiam* legatis, iussit eum adduci : & veniens penitus donationem interdixit, & *se* certum & verum heredem proclamauit. (*)

CAPUT VIII.

De Welfone IIII. qui primus fuit Dux Bauuarie.

§. I.

Hic est ille Guelf, qui primus ex nostris Ducatum Bauuariorum adeptus magnifica multa in eo sicut & in aliis regni partibus peregit. Erat enim vir armis strenuus, consilio prouidus, sapientia tam forensi quam ciuili preditus. Vnde & omnes tempestates bellorum contra se & contra alios in inuicem in finibus suis exortas, magna vel moderatione vel seueritate compescuit. Imperatori (*) antequam machinationes in mortem suam patrasset, & antequam Ecclesiam Dei manifeste impugnasset, fidelissime adherebat, eique cum contra *Saxones* dimicaret, in tribus funestissimis congressionibus strenuissime militabat. At vbi multa inhonesta de eo in medium proferebantur, & quod maius est, Domnum apostolicum *Gregorium VII. Gwiperto Rauennensi* archiepiscopo intruso, de sede sua expulit, ipse cum aliis Catholicis principibus ab eo declinauit, & amodo eum multimodis inquietauit. Vnde & cum *Sigefrido Augustensi Episcopo*, qui parti, immo inhumanitati eius fauebat, diu & acerrime dimicauit. Quem tandem cum multis in ciuitate sua comprehensum in vincula iecit, & in *castro Rauenspurch* cathenatum multo tempore conseruauit. Ciuitatem quoque eandem preda & incendio deuastauit.

*) Satis superque nos dotarunt Welfi. Tantis ditionibus parum certe consultum fuisset Vineae. Vtinam vel ea, quae a tantis Principibus donata sunt liberalissime, intacta ab alienorum inuidia relinquerentur ! dubitauit aliquando non nemo, vtrum Welfi in suo patrimonio suevico Superioritatem quam nunc vocant territorialem habuerint ? ratus hanc penes Duces fuisse. Quasi vero, qui *Imperatori* comiter duntaxat parebant, *Ducibus* fuissent obnoxii !

*) Videlicet *Heinrico IV.*

§. II.

Accepit autem reginam Anglie tunc viduam filiam ſcilicet Balduwini nobiliſſimi comitis Flandrie Juditham in uxorem. Ex qua duos filios Guelfonem ſcilicet & Heinricum, quorum vterque *Ducatum Baioarie* alter poſt alterum poſſederat, progenuit.

§. III.

Hic eſt ille, qui primus ex noſtris, eo quòd fautoribus ſuis in tot commotionibus bellorum predia ſua diſtribuendo paternos reditus comminuit, manus ſuas Epiſcopis & Abbatibus prebuit, & *beneficia* non modica ab eis recepit. Omnes poſſeſſiones *Luitoldi comitis*, quas in partibus iſtis habuit, preter illas quas in *Zviviltun* (*) ſancte Marie contradidit, cum duobus caſtris *Achalm* & *Wuluelingen* ipſo donante poſſedit. Patrimonium quoque comitis *Ottonis de Buochorn* eo viuente & bona voluntate tradente recepit & obtinuit. (**)

§. IV.

Denique cum ad ſenilem etatem veniſſet, & *Raitenbuochenſem* eccleſiam conſtruere cepiſſet, & ſatis copioſe ditaſſet: *Altorfenſe* quoque monaſterium *prediis*, *decimis* & *mancipiis*, nec non & *eccleſiaſticis ornamentis* habundantiſſime ditauit. (***) Alias etiam Eccleſias ad ſe pertinentes aliquo modo melioraſſet, volens Deo exceſſibus ſuis difficiliorem ſatisfactionem exhibere, *hieroſolimitanum iter* arripuit, quod & in maximis perſecutionibus & periculis *Vngariam* & *Greciam* tranſiens perſoluit. Sepulcrum enim Domini & alia loca ſancta omnibus ſuis pene amiſſis viſitauit. Deinde ad reuerſionem ſe parans *Ciprum* adiit, vbi de hac vita decedens ſepultus eſt. Oſſa tamen eius poſtea inde ſublata ad *Altorfenſe* monaſterium translata & repoſita ſunt.

§. V.

*) *Zwifalten* ſeu *Zwifulda*, *ad duplices vndas*; vnde antiquitus quoque *Zwifaltaha*.

**) De his ſuo loco.

***) Apographum habet: *dotaſſet*; & haec lectio contextui conformior eſt, videturque ſubſtituenda.

§. V.

Socii autem peregrinationis & laborum eius vel interfecti, vel viui *Sarracenis* machinante perfidiſſimo *Alexio Imperatore greco* traditi ſunt. Inter quos *Themo Salzburgenſis* Epiſcopus comprehenſus, & *Regi Mempheorum* preſentatus ad *Idololatriam* (*) angariatur. Ille fanum ingreſſus animi & corporis viribus robuſtiſſimus idola que adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens in fruſta comminuit. Ob hoc productus, exquiſitiſſimisque ſuppliciis affectus martirio coronatus eſt.

§. VI.

Itam comitiſſam, matrem *Leopaldi* marchionis orientalis, que ſimiliter in eodem comitatu fuit, vnus de principibus Sarracenorum rapuit, & impuriſſimo ſibi matrimonio copulauit, ex eaque *Sanguinum* illum ſceleratiſſimum, vt aiunt, progenuit.

CAPUT IX.

De Welfone, qui Mahtildem duxit, & in Chuofringin obiit.

§. I.

Igitur poſt mortem Patris Guelfo maior natu paternum ducatum recepit. Vir moderatiſſimus, qui magis liberalitate & facilitate quam crudelitate omnia ſibi reſiſtentia ſubiecit. Domum ſuam ordinatiſſime diſpoſuit; vnde & nobiliſſimi quique vtriusque prouincie filios ſuos eius magiſterio educandos certatim commendauerunt. In Italia tamen cum his qui patrimonium ſuum iniuſte vſurpauerant, & ſuos peſſimis circumuentionibus moleſtauerant, ſepiſſime duriſſimos conflictus habuit.

*) Quum Turcae veri Dei cultores ſint, latiori ſenſu ea, quae hic refert, ſumenda ſunt. Forte tamen fuere ex Sarracenis etiam, qui idola colerent: vel ſaltem odio Chriſtianorum hos ad idola adoranda ſollicitabant.

§. II.

Rome cum Imperatore Heinrico V. fuit, cum Papam *Paſchalem* captiuauit, inmunis tamen ab hoc ſcelere. Nam cum eum omnimodis ab eo declinare non poſſet, mediatorem ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit: ſicque factum eſt, vt Imperator tandem eius conſilio ad condignam ſatisfactionem ſe humiliaret, & Papa eum pro bono pacis clementer ac paterne ſuſciperet, & conſecraret.

§. III.

Accepit autem *Mahtildam* nobiliſſimi ac ditiſſimi italici marchionis *Bonifacii* filiam in uxorem, feminam virilis animi: que ad inſtar fortiſſimi Principis totam terram illam ſuo dominio ſubiugauit. Quam tamen poſtea, neſcio quo interueniente diuortio repudiauit. Denique omnibus ſuis bene compoſitis morbo correptus in villa *Chufringen* (*) diem clauſit extremum, & in *Altorf* deportatus iuxta patrem & matrem ſepultus eſt.

CAPUT X.

De Heinrico Duce, qui factus eſt monachus.

§. I.

Heinricus frater eius Ducatum & omnia que illius erant optinuit, & potenter ditioni ſue ſubiugauit. Qui uxorem iam dudum viuente Patre de *Saxonia* accepit filiam *Maginonis* Ducis, & *Sophie* ſororis Regis Vngarie *Colomanni* Vulfildem nomine. Erat tamen eadem *Sophia* antea cuidam de *Carinthia* copulata, ex quo genuit *Poponem* marchionem. Qui duas filias ſuas vnam *Berchtoldo* comiti de *Andechs*, aliam *Alberto* comiti de *Pogen* (oo.) copulauit. Porro *ſoror* huius Sophie Regi

*) Hodie *Rauffringen* ad Lycum fluuium haut procul *Shongauia* oppido bauarico.

oo) Sic mancam *autographi* lectionem ex apographo redintegro, praeſertim quum

Regi Grecorum nupſit. Aliam ſororem (pp.) eius quidam comes ex clauſtro quodam ſanctimonialium abſtractam duxit, & ex ea *Fridericum* Ratisponenſem advocatum genuit.

§. II.

Ipſa autem *Sophia* ex Duce *Maginone IIII.* filias habuit. *Wulfildem* noſtram, *Ailicgam* matrem *Adalberti* marchionis de Saxonia: tertiam quam duxit Dux *Morauie. IIII.* tam quam *Egehardus* Comes de *Scirin* a quodam monaſterio ſanctimonialium in *Ratiſpona* abſtulit, ac ſibi matrimonio copulauit, *Ottonemque palatinum* ex ea progenuit.

§. III.

Heinricus igitur Dux ex *Vulfilde* preter illos, quos infra annos finus celeſtis patrie ſuſcepit, tres filios habuit. *Counradum*, *Heinricum*, *Guelfonem*. & IIII. filias. *Iuditham*, *Sophiam*, *Mahtildem*, *Wulfildem*. Iuditha nupſit *Friderico* Sueuorum Duci, que *Fridericum* Imperatorem noſtrum, & uxorem *Mathei* Ducis Lotharingie progenuit. Sophiam *Bertoldus*

eamdem lectionem contineat vetus exemplar *Raitenbuchenſe*. De Berchtoldo Andechſenſi res videtur expedita ex codice Traditionum Dieſſens: Mon. Boic. Vol. VIII. pag. 131. *Notum ſit tam futuris quam preſentibus, quod Bertholfus comes de Diezzen preſente uxore ſua Sophia & filiis ſuis Poppone & Bertolfo tradidit* &c. vbi vides *Sophiam* ab auia: *Poponem* ab avo pro veteri more nomen haereditaſſe. Dubium autem eſſe poteſt, vtri Bogenſium copulata ſit *altera* Popponis filia? D. Pfeffel in notis ad cod. trad. *oberaltah.* putat, eam *Luitgardim* vocatam nupſiſſe *Berchtoldo*. Sed reor eum manca lectione *anonymi noſtri* inductum hoc feciſſe. Quoniam vero apographa *Albertum* nominant, non dubito ipſum protographon eadem verba habuiſſe, & in deſcribendo ſeu potius dictando lineam fuiſſe omiſſam. Alberti alias Bogenſis comitis frequens eſt in nonumentis boicis memoria. Andreas quoque Ratisbonenſis de eodem haec ſcribit: Anno MCXLII. *Albertus comes illuſtris de Bogen fundauit monaſterium in Windberg ordinis Praemonſtratenſium, & ſepultus eſt ibidem cum ſucceſſoribus ſuis ſcilicet Hartwico & Berchtoldo filiis ſuis.* Apud Eccard. T. I. Hiſt. med. aevi pag. 1931.

pp) Hanc notator in mon. boic. Vol. XII. pag. 20. vocat *Bertham*, eiusque raptorem *Hartwicum* I.

toldus Dux de *Zaringen*, & eo mortuo *Leopaldus* marchio de *Stira* in uxorem accepit. Mahtildis primo *Theopaldo* filio *Theopaldi* marchionis de *Voheburch* : poſtea eo mortuo, *Gebehardo* de *Sulzbach* copulata eſt. Wulfildem *Rudolfus Bregantinus* comes duxit.

§. IV.

Conradus in clericum ordinatus cum ſub puerilibus annis domi litterarum ſtudiis informaretur, tempore maturo *Colonienſi Archiepiſcopo* altiori ſtudio & diſciplina clauſtrali educandus committitur. Ibi in utroque tantum profecit, ſed & aliis virtutibus vitia declinans tantum ſe exornauit, vt ab omni clero & populo amaretur, ab omnibus ſummo honore dignus iudicaretur. Ipſe vero honores, diuitias, laudem humanam fugiens, quibusdam ſe monachis ſociauit, cum quibus omnibus ſuis ignorantibus *Clareuallenſe* monaſterium adiit, ibique ſe monachum fecit. (*) Deinde procedente tempore *Hieroſolimam* petiit, vbi cuidam ſeruo Dei in heremo manente adheſit. Tandem ſentiens ſe quadam infirmitate tactum, de reuerſione cogitauit: & ingreſſus nauem *Barram* (**) ciuitatem *S. Nicolai* peruenit. Ibi beato fine diem vltimum claûſit, honorificeque ſepultus ibidem requieſcit.

§. V.

Circa idem tempus Pater quoque eius & Mater, pater monachum profeſſus in extremis ſuis, in caſtro *Rauenſpurch* : mater in *Altorf* XVI.to die poſt mortem mariti, obierunt, & in monaſterio *S. Martini* ſepulti ſunt.

CA-

*) Conſule' *Menolog. ciſterc.* ad diem 17. Mart. *Arnoldus Wion* & *Seguinus* male noſtrum confuderunt cum alio *Conrado* abbate *Willarienſi* & Cardinale. P. Bucelinus noſter ingens ex purpura decus genti guelficae accedere ratus, Conradum hunc paſſim Cardinalis axiomate auget, inuito Hiſtoriographo noſtro, qui illum honores deſpexiſſe palam adnotat.

**) Aliud M. S. ſaec. XV. *Barii obiit* - & recte.

CAPUT XI.

De Heinrico, primo Saxonum Duce.

§. I.

Igitur Heinricus defuncto Patre ducatum eius adeptus, generalem conuentum *Ratispone* omnibus indixit. Quo collecto milite aduenies, quidquid insolentie in ciuitate siue extra circumquaque ad aures eius perlatum est, prouida dispensatione diiudicauit. Discrimina bellorum inter Principes seu maiores terre diu exagitata compescuit: pacem firmissimam omnibus annuntiauit, & iuramento confirmari precepit: & sic demum accepta a *burgensibus* pecunia terrorem cunctis incutiens Ciuitatem egreditur, & munitiones ac villas predonum & proscriptorum per totam Prouinciam deuastat.

§. II.

Interea missis legatis in *Saxoniam* ad deducendam sponsam suam Gertrudem scilicet filiam *Lotharii* Imperatoris, *optimates* quosque *Bauuarie* ac *Suevvie* ad nuptias inuitat. Quibus laute in plano iuxta *Licum* fluuium vltra *Augustam*, in loco, qui dicitur *Conciolegum* in octaua Pentecostes celebratis, eandem in partes istas adduxit, & in Castro *Rauenspurch* vsque in autumnum stare constituit. Ipse vero ad Imperatorem reuersus, *ducatum Saxonie*, *Nourenberch*, *Gredingen*, & omnia beneficia, que Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit, suscepit, ac rebellionem in *Fridericum* Ducem Sueuie sororis sue maritum, & contra *Conradum* fratrem eius pollicetur. (qq.)

§. III.

Interea *Fridericus* Ratisponensis Ecclesie aduocatus videns potestatem Ducis preualere, suum vero cottidianum *questum* (*) in ciuitate minui,

qq) Sic locum corruptum ex *apographo* restituo.

*) Hanc vocem *apographon* addit.

minui, quorumdam consilio quibus pax odiosa fuit, vnum de ministerialibus ecclesie, qui Duci cum omni fidelitate in ciuitate & extra astabat & ministrabat, dolo, vt aiunt, ad se inuitatum vita priuauit. Quibus compertis Dux *Bauuariam* festinanter ingreditur, ac castrum aduocati fortissimum *Falchenstein* obsidione cingit, omnesque suos ad obsidionem compellit.

§. IV.

Dum hec in Bauuaria aguntur, *Imperator* quoque *Spiram* ciuitatem Reni in iniuriam *Friderici Ducis* obsedit: missoque nuntio *Ducem Heinricum* vt sibi quantocius in auxilium veniat, inuitat. Qui omni cunctatione postposita obsidionem & omne negotium *sorori sue Sophie* Marchionisse tunc *vidue*, que eo tempore cum DCCC.tis loricis aduenerat, committens ad Imperatorem cum DC.tis & eo amplius festinat militibus. Quo cum magno labore perveniens castra vltra Renum posuit, & vt impetus & irruptiones *Friderici* preoaueret, militem coadunatum prope se locauit.

§. V.

Fridericus tamen vtpote vir armis strenuus, dum quadam nocte armato milite minus caute in castra irrueret, *Heinricus* premonitus armis & equitatura paratus ad fugam illum compulit, & ita fugientem vsque in *Gouningen* (*) insequitur, amissisque aliquot de suis & omnibus pene equitaturis ignominiose euasit. Deinde satisfactionem & pactionem *Spirensium* cum Imperatore *Maguntino* mediante composita *Bauuariam* vsque regressus castrum iam diu obsessum capit, suosque ibi ad tutandos fines illos & ad conseruandum sibi castrum locauit.

§. VI.

Non multo post *Fridericus* memor pristine iniurie *Altorf* & *Rauenspurch* armata manu inuasit, & villas circumquaque, nec non & *Mammingen* incendio deuastat, & de nostris aliquot captiuos abduxit. Quod *Heinri-*

*) Apograph. vsque *Elingen*. ego *Grouningen* legerem.

Heinricus ferre non valens, ſequenti eſtate copioſum exercitum congregat, finesque *Friderici* ingreſſus a *Tougendorf* (*) que eſt in ripa Danubii incipiens, & vltra *Stouphen* perueniens, omnia circumquaque in tranſitu & in reditu incendio & preda deuaſtat. Ad *Vlmam* vero diuertere noluit; quia eius territoria & ſubvrbia ac villas non longe ante dira vaſtatione deſtituit.

CAPUT XII.

De conflictu cum Ratisponenſibus habito.

§. I.

Circa idem tempus Ratisponenſes mortuo Epiſcopo ſuo, *Heinricum* vnum de nobiliſſimis fratrum (rr.) ſcilicet *Ottonis de Wolueratenhuſen* machinante aduocato cum aliis Emulis Ducis eligunt, & in locum illius ſubſtituunt. Quod Dux in iniuriam ſui factum compenſans ad depoſitionem eius omnimodis laborabat, & apud *Imperatorem*, vt inueſtituram ei negaret, & apud *Apoſtolicum*, vt eius conſecrationem interdiceret, calumnians electionem eius non eſſe canonicam, ſatagebat. Ille vero inter huiusmodi diſcrimina *Mertropolitanum* ſuum feſtinanter adiit, & conſecrationem ab eo ſuſcipiens *Nuntium apoſtolici* preuenit, reuersusque ſe & ciuitatem & omnes ſuos ad rebellionem preparat.

§. II.

Dux ergo cum huiusmodi detractionibus illum auellere non poſſet, ad aliud animum intendit. Sine mora *Bauuariam* ingreditur, ciuitatis ſuburbia & omnia eccleſie territoria incendio & veſtatione peragrauit. Caſtrum quoque Epiſcopi *Toumſtauphen* (**) ex improuiſo ſuperueniens

D arri-

*) Locus ſiniſtro littori *Danubii* adiacens e regione montis *Buſſii* infra *Riedlingam* Zwifuldenſi Monaſterio paret.

rr) Addendum *Patruum* vt infra.

**) Apograph. *Tonſtauphen*: rectius *Donauſtauffen*.

arripuit, ſuisque cuſtodiendum commiſit. Quos Burgenſes duris congreſſibus ſepius inquietabant, aliquando obſidebant, acceſſum & receſſum eis interdum per inſidias impediebant. Deficiente vero aliquando annona Dux ipſe collecto milite victualia circumquaque collecta illis apportabat : & ſic tota illa prouincia multis malis ſubiacebat.

§. III.

Interea his malis & aliud non minus execrabile *in ſuperiori Bauuaria* aſſurrexit. Quadam enim die dum Dux per fines comitis *Ottonis de Wolueratehuſen* tranſitum feciſſet, ille in vltionem Epiſcopi *Patrui ſui* tam ſubito & inopinate eum ſuperuenit, vt niſi vnus de ſuis de equo in quo ſedit procidiſſet, & ſuum pro illius Domino ſubſtituiſſet, inermem vita priuaſſet. Vnde & ille in equo Domini fugere tentans comprehenſus & multis vulneribus affectus captiuus abducitur. Quapropter Dux collecto milite circa Purificationem S. Marie fines illius inuadit, omnia inter montana deuaſtat, caſtrum *Homeras* (*) obſidet & expugnatum incendit. Ad *Wolueratehouſen* vero propter ſanctum Quadrageſime tempus quod imminebat, diuertere noluit : ſed aſſumpto GUELFONE fratre ſuo, qui eo tempore milites transalpinos (**) in partes illas militie gratia adduxit, ad ciuitatem vſque reuertitur, & ſuos qui diu iam in caſtro *Tumſtouphen* multis malis coartati vexabantur inde abduxit, & caſtrum igne ſuccendit.

§. IV.

Sed quia *Guelfonis* mentionem habuimus, non incongruum videtur, ſi aliqua de his, que & ipſe circa eadem tempora in *transalpinis partibus* egit, huic aſſertioni inſeramus. Igitur *Guelfo* ſub annis adoleſcentie ſue mediante fratre ſuo *Heinrico* Duce filiam *Gotefridi* ditiſſimi palatini *de Kalvve Outam* (***) nomine accepit uxorem. Vnde & omnia que illius

*) Hodie *Ombras*, ſeu *Ambras* proxime *Oenipontum*, vt ego quidem puto.
**) Id eſt, ex hodierna *Würtenbergia*, vbi inſignes Ditiones ei ſua vxor adtulerat.
***) Apograph. *Vta* id eſt Itha.

illius erant, tam beneficia quam patrimonia accepit. *Albertus* igitur comes *fratruelis* eiusdem palatini videns omnem ſuam ſpem, quam in morte *Patrui* poſuerat fruſtrari, de iniuſta eum diuiſione hereditatis calumnians, ac medietatem omnium ad ſe hereditario iure ſpectare proclamans, caſtrum *Guelfonis* in villa *Sindeluingen* quadam nocte ex improuiſo ſuperueniens, aliis ex eis captis, aliis in fugam conuerſis, omnibus pene tam in armis quam in equitaturis penitus deſtitutis villam ſuccendit, ac predam ad caſtrum ſuum *Wartinberch* (*) adduxit.

§. V.

Dux ergo collecto milite ſine mora idem caſtrum obſedit, ac machinas nihilominus adduci & preparari precepit. *Albertus* vero *Fridericum* & *Counradum* Duces auxilii gratia adiit, eisque de *allodio ſuo* villam cum miniſterialibus ac aliis appendiciis eius, vt *Guelfonem* de obſidione propelleret, contradidit. Illi autem, dum ad redimendum caſtrum collecta manu militum properarent, *Guelf* impetum eorum preueniens caſtrum armata manu, machinis quoque adhibitis circumquaque impugnat, ac ſic laborioſe captum preda ſua recepta, & militibus ibidem repertis captiuis abductis, igne caſtrum ſuccendit.

§. VI.

Eadem quoque tempeſtate *Counradus Dux de Zaringen auunculus uxoris ſue Scouuenburch* (**) caſtrum Guelfonis obſedit : ſed adiutorio *Lotharii Imperatoris* infecto negotio receſſit. (ss.) Poſtea & aliud

 caſtrum

*) Vt puto idem cum caſtro *Würtenberg*. Iam enim eo aeuo comites ab hoc caſtro gentilitium nomen gerebant. *Wartenberg* & *Werdenberg* remotiora ſunt, quam vt haec narratio in ea quadrare poſſit.

**) Apograph *Schouunburkh.*

ss) Hic locus omnino corruptus eſſe videtur. Certum enim eſt *Zaringios*, & inprimis hunc *Conradum* conſtanter a partibus *Guelforum* ſtetiſſe. Cur ergo caſtrum *affinis ſui* obſideret ? cur *Stauffenſibus* Zaringiorum hoſtibus auxilio eſſet ? quare ſic legendum cenſeo : *Eadem quoque tempeſtate Conradus Dux de STOUPHEN, Conradi Ducis de Zaringen Guelfonis uxoris AUUNCULI caſtrum Shauenburg obſedit.* - -

caſtrum *Louſtein* (*) prefati comitis ſcilicet, quod inexpugnabile cunctis videbatur, artificioſa congreſſione *Guelf* expugnat, aliquotque de ſuis

Huic *Conrado Zeringenſi*, reor, *Lotharius Imperator* adiutorio fuit, communemque hoſtem *Conradum Stauffenſem* ab obſidione repulit. Ceterum magnopere miror, clar. D. *Shoepflinum* ad hunc coeui noſtri Scriptoris locum, quo *Conradus Zaringenſis* manifeſte *Uxoris* Guelfonis *Auunculus* dicitur, parum fuiſſe adtentum. *Potuit* adeo, inquit, *Luitgardis* fundatrix coenobii *omnium ſanctorum* in ſylua nigra *uxor Gotefridi comitis Caluenſis* - - Berchtoldi II. extitiſſe *filia*. Enim vero quum hic *Conradus fuerit Vthae* Welfonis VI. uxoris *AUUNCULUS*, *Mater* Vthae *Luitgardis SOROR Conradi* ac *Berchtoldi III.* - & *FILIA Berchtoldi II.* eſſe *debuit*. Quare *Luitgardam* arbori genealogicae Zaringiorum omnino inſerendam eſſe pro comperto habeo. Videatur clar. Shoepflini Hiſtor. Zaringo - Badens. Tom. I. Lib. II. pag. 86.

*) Apograph. *Leowenſtain*: caſtrum videlicet prefati comitis *Alberti*.

" Interim quod hic de *Lutigarde* fundatrice Cœnobii omnium ſanctorum *in ſylua nigra* argentinenſis Diœceſis aſſeritur, Diplomata *Vthae* eius filiae huiusque marito *Duci Welfoni VI.* tribuunt. Exſtat ipſa charta fundationis *Vtae* data in *Sindeluingen* confirmata autem per glorioſum Imperatorem *Heinricum VI.* in Annal. praemonſtrat. P. I. T. II. probat. Monaſteriolog. pag. CCXXVII. Iuuat hic chartam Friderici II. Imperatoris integram referre.

" Fridericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Rex Siciliae. Inter caetera charitatis opera, quae diuinae pietatis intuitu pia conſideratione largimur, illud Deo gratius credimus reſidere (*ſic impreſſum*) quod eccleſiis Dei & locis venerabilibus de mera liberalitate donamus. Hac igitur ducti conſideratione laudabili diligentius attendentes honeſtatem & religionem *F. Walthe ri* venerabilis Praepoſiti *omnium Sanctorum* monaſterii, quod eſt ſitum in *nigra ſylua* prope aquam, quae dicitur *Nortwaſſer*, quod piae memoriae *Dux Welpho* & *vxor eius Vta* fundauerunt, & bonis propriis dotauerunt, monaſterium, ipſius fratres, poſſeſſiones & omnia bona ſua ſub ſpeciali protectione & defenſione noſtra recipimus, corroborantes & in perpetuum confirmantes. Concedimus & in perpetuum indulgemus eidem monaſterio, quod nulla omnino perſona nomine aduocati vel

ſuis amiſſis, omnibus vero quos ibidem repererat captiuatis, incendio deuaſtat. Poſt procedente tempore cum etiam *Caluwe* caſtrum, quod

 idem

" ſhculteti aliquid muneris vel obſequii ab eo vel hominibus ſuis exi-
" gat vel requirat, ſed quidquid ſeruitii aut beneficii fecerit, pro
" Deo & charitate impendat. Inſuper autem dicto monaſterio con-
" firmamus perpetuo omnia, quae nunc iuſte tenet & in futurum pot-
" erit iuſto titulo adipiſci: ſicut ea omnia *Imperator Heinricus* feli-
" cis memoriae *pater noſter*, & piae recordationis *Rex Philippus patruus*
" *noſter* dicto monaſterio conceſſiſſe & confirmaſſe noſcuntur. Vt au-
" tem haec rata & firma perpetuo maneant, praeſens priuilegium in-
" de fieri fecimus ſigillo noſtri Culminis roboratum. Huius rei teſtes
" ſunt *Hermannus marchio Badenſis* - - - & alii quam plures. Data
" apud *Hagenoam* anno dominicae Incarnationis *Milleſimo ducenteſimo*
„ *octauo decimo* menſe *Ianuarii Indictione VI.*

" Ibidem pag. cclxxx. affertur Bulla Innocentii III. ſed eius tantum
" initium & clauſula. At vero in Petri *Sueuia ecclesiaſtica* tota inſeri-
" tur. Excerpta breuitatis cauſſa damus.

" Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis *Gerungo*
(*) Praepoſito eccleſiae omnium ſanctorum in nigra ſilua eiusque
" fratribus tam praeſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis
" in perpetuum &c. &c. Item in palude duos manſos ſine cenſu &
" quartam partem piſcationis in *Buſterich* a bonae memoriae *Welfone*
" *Duce* & *Vtha* uxore ipſius *Ducisſa de Schawenburg*, *Hugone Duce de*
" *Vlmburg*, & nobili viro *Berchtoldo Duce de Zeringen fundatoribus*
" loci eiusdem eccleſiae veſtrae pia liberalitate conceſſa & ab Hein-
" rico Imperatore poſtmodum confirmata &c. &c. Dat. Anagniae per
" manum Ioannis S. Rom. eccleſ. Subdiac. & notarii Nonis febr. Indict.
" VII. Incarnationis dominice anno M. CC. III. Pontificatus vero Do-
" mini Innocentii papae tertii anno ſexto.

*) Hic *Gerungus Vtae* viduae *Ducis Welfonis filius vnicus* pag. 652. dicitur enormi errore. Forte alicuius Vtae comitiſſae de *Eberſtein* (nam & ſic relationes domeſticae

idem comes ei doloſe ſurripuerat, collecta multitudine obſidere voluit, ille ſe in extremo diſcrimine poſitum nullumque refugium, nullum ſolatium ſe vlterius habere compenſans, ad deditionem venit, ac ſe ad pedes Ducis humilians gratiam quam non meruit, inuenit. Dux enim pro ſolita manſuetudine ac clementia illum eodem caſtro ac aliis quibusdam villis *inbeneficiauit*, omnibusque ſuis reſtitutis honorifice dimiſit: ac ſic compoſita pace *cunctisque terre illius optimatibus* ad ſe confluentibus *prouincia tota ditioni ſue ſubiecta* quieuit. Sed iam digreſſione omiſſa, ad inceptum redeamus.

§. VII.

Heinricus igitur Duxfinita *paſchali Ebdomada* tam copioſum exercitum in *Bavvariam* reduxit, ut & caſtrum ſupra nominatum ſtricta obſidione clauderet, & ſe ab impetu illorum, qui ſibi contumaciter cominabantur, defenderet. *Epiſcopus* enim *per totam Quadrageſimam* (*) cognatos & notos ſuos conueniens hoc agebat, vt Ducem de finibus illis, ſi amplius hoſtiliter eos inuaderet, ignominioſe fugaret. Morante igitur in obſidione Duce Epiſcopus cum *Marchione orientali Leopaldo* ſeu aliis comitibus ac totius Bavvarie fortiſſimis, *excepto Palatino*, coadunato milite appropinquat, & Caſtra prope *Yſaram* fluuium ponit. (tt)

§. VIII.

Interea *Otto palatinus* vir ſapientia preditus, cui ad vtramque partem acceſſus patuit, vtriusque exercitus apparatum contemplatur, illis-

eam nominant) ille primus Praepoſitus *Gerungus* fuerit. Caeterum quum hactenus fruſtra in anno & die emortuali *Vtae* Welfonis VI. coniugis laborauerim, ſpem certam concipio, fore, vt ex monaſterio eodem rectiſſima comperiam.
Chartas huius monaſterii recentiores edidit *Shannatus* in vindem. litterar. vtinam & *Necrologii* ectypa adtuliſſet - !

(*) His ſacris nimirum diebus armiſtitium religioſe ſeruabant veteres, quod vulgo *Treugam Dei* nominabant. vide gloſſar. *Caroli du Fresne* verbo *Trevia* ſeu *Treuga*.

(tt) Apographum ſequentia addit: *Econtra Dux acies ſuas informat, pedites ſuos loco ſuo exordinat: obſidionem tamen non niſi in extremo diſcrimine poſitis relaxandam confirmat.* - -

illisque noſtrum copioſiorem eſſe denuntians, terrorem incutit: cogitansque quomodo ad bonum pacis perducat, *Fridericum* aduocatum *cognatum ſuum* promiſſionibus ac minis circumueniens ad deditionem hortatur. Ille, vtpote omnibus ſuis deſtitutus, conſiliis *Palatini* adquieuit: & aſſumpto eo in caſtra Ducis veniens, & ad pedes eius ſe humilians, gratiam eius recepit. Quo perpetrato *Ottonem* quoque *generum ſuum* ad deditionem & ſatisfactionem, exponens ei miſerias ſuorum, compellit. Qui ſimiliter eius & aliorum ſuorum conſilio conſentiens ad deditionem venire non diſtulit, ac ſeipſum cum caſtro in manus Ducis ſub omni humilitate contradidit.

§. IX.

Dux vero proût rigor iuſtitie exigit, illum *Patriam* & omnes terminos *Bavvarie* quoadusque per eum reuocaretur, abiurare coegit, & ſic eum captiuum ſuis commiſit, & ad *Rauensburch* ſecum abduci precepit. Caſtrum quoque cum omnibus, que auferri poterant preter edificia, abſtractis, igne ſuccendit. Abducitur (*) ergo uxor illius, que & ipſa in caſtro obſeſſa fuerat, quam Dux benigne ſuſcipiens & bene conſolans *Patri ſuo Palatino* commiſit: ſicque omnis contumacia *Bavvariorum* diuina ordinatione ſuppreſſa eſt. Non multo poſt compoſitio quoque inter Epiſcopum ſit, & comitatus ille, quem *Eccleſia Ratisponenſis* circa *Enum* fluuium habet, ab Epiſcopo ei *in beneficio* conceditur. (**)

§. X.

Circa hec tempora Imperator in generali Curia *Babinberch* habita *Counradum* & *Fridericum* Duces interuentu *Bernhardi Clareuallenſis abbatis* in gratiam recepit, ac ita renouata pace expeditionem in Italiam *ſecun-*

*) Apograph. melius: *adducitur*.

**) Per iſtiusmodi Feuda *oblata* ſeu rectius *ablata* plurimae Eccleſiae optimis ſuis prediis ſpoliatae ſunt. Aliquando tamen, ſed non niſi ſoluto pretio, quaſi rem prorſus alienam emerent, redempta ſunt.

ſecundo indixit. Quam expeditionem *Heinricus Dux* perfecturus, *Ottonem* ſepe dictum Comitem & alios de *Bavvaria*, quibus merito infeſtus erat in gratiam recepit, & ſtipendia condigna offerens ad expeditionem illexit: ſimiliter & alios ex vtraque Prouincia; ita, vt per *vallem Tridentinam* mille quingentos milites in *Italiam* duceret.

§. XI.

Cum Imperatore ergo in citeriore Italia *Gardam* & *Gariſtallum* cepit, que & in beneficio ab eo ſuſcepit. Ibi *Mediolanenſes* & *Cremonenſes* diutinum inter ſe bellum habentes coram Imperatore cauſam Werre exponunt. *Cremonenſes* ergo a Principibus Italie hoſtes iudicantur, proſcriptique diſcedunt. Quos ipſe ſubſecutus territoria eorum ac villas ſeu caſtella deſtruxit: indeque *Papiam* veniens ciues illos pactione pecunie in gratiam ſuſcepit. Ibi & *Otto Comes de Wolueratehuſen* vita priuatus occubuit. *Bononienſes* quoque & *Emilienſes* ſupplices Duce interueniente recepit. Poſt vsque *Taurinum* progrediens totam citeriorem Italiam ſine ferro ſubegit. Inde ad *Pennunum* (*) tranſiens Imperator *Anchonam*, *Spoletum* cum aliis vrbibus ſeu caſtellis vlterioris Italie in deditionem accepit. Deinde contra *Rogerium* aciem dirigens *Campaniam* & *Apuliam* peragrauit.

§. XII.

Porro *Heinricus* noſter per *Tuſciam* exercitum duxit, quam id eſt *Tuſciam* etiam ab Imperatore beneficio obtinuit, *Romamque* veniens ſummo Pontifici *Innocentio* vsque ad Imperatorem conductum prebuit. Suburbia *Albe* ciuitatis ſibi reſiſtere nitentis expugnauit ac deſtruxit. *Beneuentum* cepit ac *Pape* reſtituit. Imperatori non longe a *Barra* (**) cum ſummo Pontifice obuiam venit, ibique caſtrum quoddam, vbi preſidia *Rogerii* fuerant, artificioſe valde expugnauit, militesque in eo repertos & precipue *Sarracenos* patibulo ſuſpendit. Poſt eiecto de *Campania*

*) Apograph. *appenninum*.

**) Codex habet: *ab Arra*. inde manifeſte conſtat, ipſum non *exſcriptum*, ſed ad calamum *dictatum* fuiſſe.

pania & *Apulia Rogerio*, *Reginaldo* vero viro forti ac nobili *Ducatu Apulie* commiſſo de reditu diſponunt.

CAPUT XIII.

De reditu Imperatoris Lotharii & eius morte (*)

§. I.

Igitur de Italia per Tridentinam vallem redeuntes, Imperator morbo correptus, in *filua* que eſt inter *Enum* & *Licum* (uu.) ſub viliſſima caſa XIII. regni ſui anno diem obiit, ac inde per *Auguſtam* & *orientalem Franconiam* portatus in monaſterio *Luther* honorifice ſepelitur.

§. II.

Dux ergo Heinricus *gener eius*, in quibus finibus obierat, *regalia* reſeruauit, vt in generali conuentu Principum, qui in proximo Pentecoſten *Moguntie* condictus fuerat, preſentaret. Quidam autem ex principibus timentes ne forte in generali Curia *Heinricus Dux*, qui tunc precipui & nominis & dignitatis in Regno fuit, per potentiam preualeret, circa mediam XL.mam conſilio habito in oppido Reni *Confluentia*

*) Hic titulus manu multo recentiori inſertus eſt. Autographon continua ſerie progreditur : apographon vero talem habet : *Lotharius Imperator moritur.*

uu) Chronicon *montis ſereni* ſeu *Lauterbergenſe* locum vocat *Bredinam.* Chronographus vero Saxo *Bredunwanc.* Forte in priori *Brédinanc* ſcriptum eſt. Tunc ſecunda ſyllaba ſi corripiatur, eumdem prope ſonum edit ac *Bredunwanc.* Quidquid ſit: ego *Braitenwang* interpretor: nec vllum credo repugnantem habebo illorum, qui dialectum Tyrolenſium callent. Eſt porro Braitenwang locus vno circiter milliario ſupra *Fauces* ſeu *Fueſſen* ſitus. Propius Licum amnem inſigne poſterioribus temporibus adcreuit oppidum *Reute* cui tamen etiamnum Eccleſia *Braitenwangenſis* licet prope ſolitaria *parochialis* eſt. Abbas gottwicenſis in ſua charta geographica *Bredinam* ſeu *Bredunwanc* trans montem collocauit, qua parte a *Cyreola Sharnixium* verſus iter eſt. Ego cis montem colloco : & eo inſuper rectius, quod hac parte *Auguſtam* iter pateat.

conuentum celebrant : ibique *Counradum Friderici fratrem*, de quo ſupra diximus preſente *Theodewino* epiſcopo Cardinali Regem creant.

§. III.

At *Saxones* & Dux *Heinricus* aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitime ſed per ſurreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proximo Pentecoſtes generalis curia *Babinberch* indicitur. Quo *Saxones* omnes ſimul cum viduata Imperatrice *Richenza* venientes vltro ſe *Counrado Regi* ſubdidere.

§. IV.

Heinricus Dux *Regalia* ſeruans aberat, ad que reddenda in *feſto apoſtolorum Petri & Pauli* dies ei *Ratiſpone* prefigitur. Quo veniens regalia quidem multis illectus promiſſis reddidit, ſed ad ea, qûe vlterius inter eos tractanda erant, dies ei in breui poſt *Auguſte* deſcribitur. Quo ex condicto adſumptis fidelibus ſuis & milite non modico venit, ac *ſuper Licum* ex oppoſito ciuitatis Rege ciuitatem tenente caſtra poſuit. Internuntii autem ac mediatores ad hanc cauſam prenominati per triduum huc ac illuc ſepius tranſmeantes nihil profecerunt. Rex enim non aliter compoſitionem fieri voluit, niſi Dux quedam de his, que a *Lothario Imperatore* ſuſceperat, reſignaret. Quod cum Dux rennuiſſet, ac ſe potius dubie ſorti ſupponi elegiſſet, colloquium infecto negotio pacis diſſolutum eſt.

§. V.

Rex ergo metuens aliquid in ſe machinari, dum peracta cena cubitum ſe ire ſimularet, abductis (*) clam equitaturis cum paucis nulli de Principibus valedicens exiuit, ac militem ſuum reliquum in magno diſcrimine relinquens *Herbipolim* peruenit. Ibi iudicio quorundam Principum Dux proſcribitur, Ducatusque ei abiudicantur. Dux ergo in ſubſequenti

*) Apogr. *adductis.* - -

quenti die poſt egreſſum Regis de *Auguſta*, ſuis prout poterat prope (*) diſpoſitis, non multis comitatus in *Saxoniam* properat. At Rex *ducatum Saxonie Alberto* marchioni *Conſobrino* eiusdem Ducis: *Noricum* vero poſt *in Bauuariam veniens Leopaldo filio Leopaldi Marchionis fratri ſuo ex parte matris* tradidit.

§. VI.

Heinricus ergo Dux *Saxoniam* ingreſſus, cum caſum & miſerias ſuas fidelibus & amicis ſuis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & *Alberto* excitauit. Inde in breui eumdem *Albertum* auxilio eorum, nec non ſuorum qui de *Bavvaria* & *Sueuia* eum inſecuti ſub ſpecie peregrinationis terram intrauerant, adeo humiliauit, vt caſtris eius dirutis, terris circumquaque vaſtatis ad Regem auxilii gratia ire compelleret.

§. VII.

Interea *Leopaldus marchio* ſuſcepto a Rege *norico Ducatu*, omnibusque pene Baronibus ad ducatum pertinentibus amore ſeu terrore ad ſe confluentibus primo *Ratisponam* ditioni ſue ſubdit. Poſt collecto milite ſuperiores partes *Bavvarie* usque ad *Licum* pertranſiens, amiſſis aliquot de ſuis, feſtinanter reuertitur. Non multo poſt *Heinricus Dux* dum in *Saxonia* omnibus ſuis rite diſpoſitis *in Bavvariam* redire diſpoſuiſſet, morbo correptus diem extremum clauſit, ac ſic in monaſterio *Luther* (**) iuxta *Socerum ſuum* humatur. Quo mortuo *Saxones* amore *filii ſui paruuli*, quem eis adhuc viuens commendaverat, Regi denuo rebellant.

§. VIII.

Leopaldus vero *Ducatum noricum* exhinc potenter ſe habere confidens, dum in obſidione caſtri *Valeia* duorum fratrum, qui in parte

*) Apogr. *propere*. -

**) Inſignis quondam S. ordinis noſtri abbatia, quam anno 1135. Lotharius Imperator & Richenza coniux fundauerant.

Ducis Heinrici ſteterant, incaute moraretur, *Gvelf* Ducis eiusdem frater collecto milite ſuperueniens fortiſſime dimicando ceſis ex vtraque parte pluribus, multis captis *Leopaldum* ignominioſe fugere coegit. Ipſe enim *Gvelfo* prefatum Ducatum *iure hereditatis* ad ſe ſpectare proclamans, dum iuſtitiam apud Regem impetrare non poſſet, ad rebellionem ſe parat. Ob hoc Rex circa idem tempus caſtrum eius *Winiſperch* obſedit. Quem Gvelf collecto milite in proxima ebdomada Natiuitatis Domini dum incaute pugna aggredi temptat, amiſſis aliquot, multis captis cum paucis fugit e prelio.

§. IX.

Nõn multo poſt *Leopaldus* moritur, eique in Marchiam frater ſuus *Heinricus* ſucceſſit. Cui Rex *Saxoniam* ingreſſus, pacemque cum *Saxonibus* faciens, *viduam Heinrici Ducis in uxorem dedit*, eique *Ducatum noricum* conceſſit. Que res maxime diſcordie ſeminarium fuit. *Guelfo* enim vt dictum eſt, eumdem Ducatum impetens extimplo armata manu ſub oculis eiusdem *Heinrici* partes illas ingreditur, cunctisque circumquaque vaſtatis regreditur. Ob hoc *Heinricus* ille inflammatus coadunato milite fines illorum, qui Gvelfonis fautores erant, ingreſſus, munitiones illorum & villas deſtruxit. Cui dum *Gvelf* reſtaurato milite occurrere parat, audito quod Rex ſuperuenturus eſt, ceſſit. Porro Heinricus ille ſimiliter cum Rege caſtrum *Tachowe*, ſcilicet *Comitis Conradi*, qui ex parte Guelfonis erat, obſidione clauſit: vaſtatisque in circuitu vniuerſis adiutorio Regis ad deditionem coegit ac igne ſuccendit. Sic tota illa prouincia in maximo bellorum diſcrimine laborabat.

§. X.

Igitur *Rogerius Rex Sicilie* audiens huiusmodi conflictationes inter *Gvelfum* & *Regem* timens ne forte ceſſante Gwerra *Counradus* Rex quandoque *Italiam* intraret, ac eadem que a *Lothario*, ab eo quoque perpeſſurus eſſet, *Gvelfonem* adverſus eumdem muneribus illectum incitat, ſingulisque annis mille marcas ſe ob hoc daturum iuramento confirmat. Item

quo-

quoque *Rex Vngarie* eumdem Conradum metuens , *Gvelfum* ad ſe accerſiuit , dataque pecunia non modica , ac deinceps omni anno dandam pollicens , ad rebellandum nihilo minus inſtigat. Gvelfo itaque ſtrenui militis officium exercens , modo in *Bavvaria*, modo in *transalpinis* partibus *Sueuie* : modo *circa Renum* , modo (*alibi*) tot tempeſtates bellorum mouit , vt Regem potius ad defenſionem ſui , quam ad exterarum nationum inuaſiones excitaret.

§. XI.

Circa has tempeſtates *gens Francorum* cum Rege ſuo *Loudevvico* , gens quoque *Theuthonicorum* cum Rege ſuo Counrado aliisque Principibus , *Friderico Duce Suueuie* poſtea Imperatore , Epiſcopis , comitibus ſeu aliis cuiusque conditionis hominibus pro querimonia *transmarine Eccleſie* hieroſolimitanum iter aggrediuntur. Quod & *Gvelfonem Ducem* , licet nondum ſedata Gvverra ire compulit. Egreſſi itaque anno Dominice Incarnationis M. C. XLVII. per *Vngariam* & *Greciam* innumerabilem exercitum ducunt. Qui totus pene , exceptis Principibus ſeu aliis plus cautis , vel inedia , vel aeris intemperantia , vel ciborum inſolentia , vel *Sarracenorum* inuaſione infecto negotio interierunt. In hoc ergo laborioſo itinere *Counradus* Rex *commilitoni ſuo Gvelfoni* , ſic enim eum nominare ſolebat , ſepiſſime in neceſſitate ſubueniebat , ac de omnibus , que a regio fiſco conſtantinopolitani Imperatoris ſibi offerebantur , partem illi tradebat. Denique *Iheroſolimam* venientes cum alii procinctum ſub Rege *Counrado* contra *Damaſcum* mouerent , Gvelf in infirmitate captus ac in deſperatione poſitus ad reuerſionem ſe parat. Tranſito igitur mari conualeſcens *Siciliam* attingit : vbi *Rogerius* eum cum magno Domus ſue tripudio ſuſcipiens , ac honorifice dimittens iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum inuitat.

§. XII.

Igitur reuerſus in proxima hyeme circa Purificationem S. Marie collecto milite fines Regis inuadit , ac caſtrum eius *Flohberch* forti impu-

 gnatio-

gnatione ſollicitans, dum in reuerſione militem nimis *diffuſe* (*) & incaute duceret, a militibus Regis circumuentus, ac aggreſſionibus initis cum paucis aliis circumquaque diffuſis plus ex infortunio, quam ex inſtantia belli, noſtri fugam arripiunt, plurimisque captis nullo occiſo ignominoſe reuertuntur. Ac ſic Gwerra diu anxie inter ipſum & Regem agitata finita eſt. Nam *Fridericus fratruelis Regis* & *ſororius* (**) eiusdem *Gvelfonis* medium ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit, captiuosque Duci reddi, ac Regem de cetero ſecurum penes illum eſſe prouida deliberatione confirmauit.

§. XIII.

Rex ergo accepto conſilio *Gvelfoni* aliquos reditus de fiſco Regni cum villa *Mardingen* (***) conceſſit, ac ſic confirmata pace ipſe in breui poſt vita decedens *Friderico fratrueli* ſuo ſedem Regni (****) reliquit. Qui *Auunculo ſuo Gvelfoni Marchiam Tuſcie*, *Ducatum Spoleti*, *Principatum Sardinie*, *Domum Comitiſſe Mahtildis* in beneficio tradidit. Reditus tamen illos ad fiſcum pertinentes, quorum iam mentionem habuimus, nihilominus recepit.

§. XIV.

Igitur dignitatibus prenominatis ſuſceptis *Italiam* intrat, ac ciuitates, caſtella ſeu villas per totam *Domum Mahtildis* pertranſiens negotia terre ciuiliter pertractat. Ibi legati de omnibus ciuitatibus *Spoleti* ad eum venientes, ac munera condigna offerentes, ſubiectionem voluntariam promittunt. Cum quibus nuntios ſuos ad omnes ciuitates dirigens, ac ſe in breui illo venturum promittens, ſuis rite diſpoſitis reuertitur.

§. XV.

*) Sic *apograph.*

**) Hoc eſt *ſororis filius*; vnde *chronographus* noſter infra edendus melius ſcripſit: *Fridericus fratruelis Regis*, *Nepos eiusdem Gvelfonis ex ſorore.*

***) Ad *Shmutteram* fluuium prope *Donawerdam.*

****) Apogr. addit: *cum regalibus.*

§. XV.

Poſt cum Imperatore collecta multitudine terram ingreditur, ac in obſidione *Cremenſi* vsque ad deſtructionem eiusdem caſtri immoratur. Deinde totam militiam ſuam in *Tuſciam* mouens maximum conuentum apud *S. Geneſium* habuit. Ibi Baronibus terre illius VII. comitatus cum tot vexillis dedit. Ceteris nihilominus de ciuitatibus ſeu caſtellis ad ſe confluentibus vnicuique quod ſuum erat tribuit. Simul & ipſe ſua, que ſingule ciuitates ad ſe iniuſte contraxerant, recepit. Denique conuentu diſſoluto *Piſam* in ſancto ſabbato cum maximo totius ciuitatis applauſu ingreditur, ac ibidem Paſcha iocundiſſime celebrans, egreſſus inde a *Lucenſibus* non minori tripudio ſuſcipitur : ſicque ab omnibus ciuitatibus ad quas declinauerat, hõnorifice ſuſceptus atque habitus, negotia terre potenter pertractans ſuosque ibi in caſtellis ſeu villis ad fiſcum pertinentibus relinquens, verſus Ducatum *Spoleti* procinctum mouet. Ibi ſimiliter omnibus bene diſpoſitis, *filio ſuo* Gvelfoni terram illam ac totam Italiam ad ſe ſpectantem commiſit, ac de ſuis ſtrenuiſſimos quosque ſecum relinquens per vallem tridentinam reuertitur.

§. XVI.

Gvelfo igitur *iunior* terra potitus conſtantia animi, diſtrictione iudicii, largitate & affabilitate ineſtimabili omnibus ſe acceptabilem prebuit. Militibus Imperatoris, qui eo tempore ciuitatibus Italie preerant, quotiescunque fines ſuos iniuſta oppreſſione inuadere temptauerant, omnimodis ſe oppoſuit, & ob hoc Imperatoris offenſam non nunquam incurrit : popularem autem fauorem eo magis ſibi accumulans omnium ciuitatum in ſe prouocauit affectum.

CAPUT XIV.

De execrabili pugna apud Tuoingin. (*)

§. I.

Interea *Hugo palatinus* comes de *Touingin* in Comitatu, quem a *Patre iſtius* poſſederat, quosdam de miniſterialibus eius iniuſto, vt aiunt, iudicio dampnatos patibulo ſuſpendit, ac caſtrum eorum *Moringen* deſtruxit. Pro quo *Dux Guelfo* querimonia eum impetens, & pro ſatisfactione humile ab eo reſponſum recipiens, vt erat manſuetiſſimus, ab impetitione, licet querimoniam non deponeret, ceſſauit.

§. II.

Deinde procedente tempore pater filium de Italia reuocauit, ipſeque illo iturus & negotia terre per ſe tractaturus, filio omne patrimonium & poſſeſſiones, quas ex parte (**) *Matris* habiturus erat, ex integro tradidit. Sicque factum eſt, vt recedente Patre *Guelf* prefatam querimoniam renouaret, & *Palatinum* illum pro ſatisfactione ſepius ac ſepius impeteret. Ille autem non tam ſuis ſuorumque viribus, quam in *Friderici Ducis filii Counradi Regis* (***) confidens, qui & eum ad hoc impellebat quaſi bone fame *Gvelfonis* inuidens, & honeſtis eius actibus detrahens, reſponſionem contumacem ac minacem pro ſatisfactione obtulit: per quam & animum Iuuenis ad rebellandum incitauit, & toti *Alamannie* execrabile infortunium, & infauſtam depopulationem machinabatur. GUELFO enim ſibi illatam iniuriam amicis, cognatis & fidelibus ſuis exponens omnium animos in adiutorium ſibi cum optima voluntate aſciuit.

§. III.

*) Apogr. *Tubingen* - & *Tuwingen*.
**) Apogr. *poteſtate*. ſed retinenda lectio *Autographi*.
***) Hic *Fridericus* vulgo *de Rotenburg* dicitur.

§. III.

Conueniunt ergo collecto milite Episcopi tres, *Augustiensis*, *Spirensis*, *Wormatiensis*. *Bertoldus Dux de Zaringen* - *Bertoldus marchio de Vohebvrch*, *Herimannus de Baden*, *Roudolfus comes de Phullindorf*, (*) *Albertus comes de Habespurch duo fratres comites de Calevve*, *duo de Berge*. *Gotefridus cum Roudolfo fratre de Roumesberch*, *Hartmannus de Kilichberch*, *Heinricus de Feringen* comites. *Counradus aduocatus Constantiensis* cum ceteris terre nostre maioribus in II. milibus & CC.tis armatorum & eo amplius: & castra non longe a Touingen circa vesperam Sabbati *VIII. Idus* (**) *Septembris* ponentes, *Dominicum diem* in quiete & otio deducere statuerunt.

§. IV.

In aduersa autem parte *Fridericus Dux* cum omnibus, quos amore vel terrore excitare poterat, *Zolrenses* omnes cum magno paratu ac alii quam plures erant. Et militem suum coadunatum secum in castro locauerant; totaque illa nocte alii orationi incumbebant: alii de satisfactione & compositione anxie tractabant. Sed Domino, qui omnium nouit corda, cuius & iudicia abissus multa, aliter ordinante seu permittente (ww.) terminatum est. Quidam enim de nostris minus prouidi ac parum premeditantes euentum rei ceteris ignorantibus & diem otio deducere volentibus, e castris circa horam VI. prorumpunt, & cum quibusdam de hostibus, qui simili temeritate a suis prodierant, prope castrum sub oculis inimicorum congrediuntur. Fit igitur clamor in castris. Nostri prosiliunt, quique alios in quo poterant preuenire satagunt. Sicque fit, vt aliis precurrentibus aliis subsequentibus plurimi confusim & sine acie ad locum congressionis suis in auxilium perveniant.

*) Apogr. *Pfullendorf* - *Habspurgk* - *Romsberch* - *Kilchberch* - *Veringen*.

**) Anno 1164. VIII. Id. Sept. iam *Dominica* fuit. Ergo nonis Sept. erat sabbathum, & consequenter clades 6. Sept. accidit.

ww) Autographum manifesto errore calami habet: *permittere*. Malui ergo ex apographo corrigere &c.

§. V.

Interim & hoſtes de caſtello non minus properantes loeum tutiorem ſibi eligunt, & noſtris aditum difficillimum ſuper ripam flumiuis in modum vallis eminentem preſignant. Mox & multitudo noſtrorum acie coadunata, *Heinrico de Veringen ſignum ferente* advolat. Sed pre difficultate aditus perpauci ad locum congreſſionis tranſierunt. Fortiſſime tamen ab his qui congreſſi ſunt per ſpatium duarum horarum pugnatum eſt, licet nullus vtriusque partis excepto vno corruiſſet. Adeo enim armis omnes muniti erant, vt multo facilius capi, quam occidi potuiſſent. Itaque illis, vt dictum eſt conflictum habentibus ceteri fugam arripiunt, hoſtibusque inmeritam victoriam dantes ſibi ac poſteris ſuis perpetuum obprobrium accumulant.

§. VI.

Hoſtes igitur cognita fuga primo illos qui congreſſi erant, paucis emerſis captiuantes ad caſtrum remittunt. Deinde alios inſequentes velut oues de paſcuis ad caulas propellentes. Vt totam ſummam comprehendam DCCCC. captiuos cum maxima preda adducunt. Reliqui preſidio ſyluarum ac montium ſeu vicinorum caſtellorum effugiunt. *Gvelfo* ipſe ad caſtrum *Achalmen* (*) tribus tantum comitantibus peruenit.

§. VII.

Eodem tempore *Gvelfo Pater* de Italia reuerſus audito quod acciderat, pro redimendis captiuis agebat. *Hugo* igitur inito conſilio captiuos reddidit, & facta compoſitione terra eius ab omni infeſtatione *per annum* quieuit.

§. VIII.

Transacto annò pax inter eos rumpitur: terra Comitis circumqua-

*) Eius rudera etiamnum imminent vrbi *Reutlingae*.

quaque depopulatur. Caſtra eius duo *Chelminzen* & *Willare* (*) deſtruuntur, in quibus de ſuis XL. captiuantur. Ille itaque fractus animo propugnatorem ſuum *Fridericum Ducem* de auxilio interpellans, ad *Ducem Boemie* (yy) auxilii gratia ire compulit. Qui collecta multitudine Boemos gentem horribilem ac Deo hominibusque odibilem in fines noſtros adduxit, totamque Germaniam *a Lacu lemano* usque Boemiam execrabilibus ſpurcitiis illorum & turpiſſimis depredationibus ac incendiis inter *Epiphaniam* & *Purificationem ſancte Marie* commaculauit, anno videlicet ab Incarnatione Domini M. C. LXVI.

§. IX.

Humiliata eſt & ilico eiusdem *Palatini* contumacia. In feria enim III.a (**) capitis ieiunii ſub generali Curia *Ulme* habita, in preſentia *Ducis Heinrici* Domini noſtri, ſub oculis quoque ipſius Imperatoris ac *Friderici Ducis* idem *Hugo Gvelfoni iuniori* ad deditionem venit, ac ſe pedibus eius proſternens cuſtodie mancipari & vinctum abduci non reſpuit. Et ſic in captiuitate usque ad obitum ipſius *Gvelfonis* per annum ſcilicet & dimidium tenetur. (zz)

*) *Chelmunzium* ad latus dextrum *Ilarae* rupi praealtae imminet *Vlmam* inter & *Memmingam*. Proxime abeſt viculus hodie exiguus *Weiler*.

yy) Monumenta Zwifuldenſia *Vlatizlaum* Ducem Bohemiae conſtituunt Maritum *Richenzae* filiae *Heinrici* comitis *de Berge* ad Danubium proxime *Ehingam*.

**) Apogr. vt fere ſemper loco notarum numericarum hic ſcripſit: feria *tertia*. Caniſius edidit IIII. & neceſſario quidem ſic legendum erit, ſi preſſe ſumas *caput ieiunii*, quod eſt *Dies cinerum*.

zz) Nimirum in caſtro *Nuinburch* in Rhetia curienſi, vt refert *Otto de S. Blaſio* cap. 19. Eſt autem caſtrum *Newburg* medio itinere inter *Brigantium* & *Veldkirchium* in colle ſublimi e planitie aſſurgens. Muri & turres vaſtiſſimae illud coronant. Ante paucos annos tectis deiectis nunc ad ſuum properare interitum pergit. Vix vnius horae quadrantis interuallo e regione ei opponitur caſtrum *montisfortis*, ad *Cluſam*, qua arctiſſimae viae anfractu *Sulzam* caſtrum & *Ranckwilam* venitur, poſitum: cuius hodie turris eminens ſupereſt; eius autem tanta eſt vaſtities & murorum ſpiſſitudo, vt credi vix queat. Plura iter per *Rhetiam* facientibus iſtiusmodi obiiciuntur veterum familiarum primae nobilitatis monumenta, quae aetatem tulere, ipſorum incolis &

§. X.

In ſubſequenti vero hieme circa *Epiphaniam* Gvelfo *ſenior* hieroſolimitanum iter aggreditur, & in Italia Imperatorem repperiens, ac *filium ſuum* cum omnibus ad ſe ſpectantibus gracie eius commendans *Paſcha ſanctum* apud Sepulchrum Domini celebrauit. Interea Imperator *Gvelfum*

ſtemmate ad incitas redactis. Hac occaſione *Hugonem* concepiſſe votum inſtaurandi *Marchtalenſe* Monaſterium vetus eſt huius celeberrimae Canoniae traditio. Hoc certum eosdem Praemonſtratenſis ordinis Profeſſores *Hugonem* & *Eliſabetham* eius uxorem Fundatorum loco colere. Quam quidem Eliſabetham *Rudolfi* & *Wulfildis* filiam fuiſſe iidem traditione continua adſeuerant.

Quam quidem traditionem certiſſimam reddunt verſiculi in antiquiſſimo *Miſſali* libro eiusdem Imperialis Canoniae contenti & a P. Sebaſt. Sailer in ſua *Marchtala iubilante* allegati :

" Hunc librum ſancto dedit *Eliſabeth* pia *Petro*,
" Proles egregii, de *Wulfild* matre, *Rudolfi*.
" In piis precibus deuote ſit memor *Eius*,
" Qui Miſſas Chriſto libro decantat in iſto.

Ergo *Guelfo VII.* & *Eliſabetha* uxor *Hugonis* amitini erant.

Diplomata Marchtallenſia ordine continentur in *annal. Praemonſtrat.* P. I. T.II. probat: Monaſteriolog. p. LXXX. & ſeq. in charta quam *Idibus Iulii* anno 1171. in *Luſtenowe* dedit, motiuum fundandi Monaſterium adſignat victoriam a Deo armis conceſſam - - Sic loquitur :

" Praedilectis ſibi in Chriſto Fratri *Ottoni* Praepoſito & conuentui mo-
" naſterii *Rothenſis*, HUGO COMES PALATINUS de *Tuwingen* ſalutem, &
" ad ſua beneplacita anhelare. Cum nos auxilio diuinae gratiae de
" hoſtibus noſtris, qui nos & terram noſtram obſidione vallauerant mi-
" litari, victoriam reportauerimus peroptatam, & per litteras noſtras
" vobis intimauerimus noſtri deſiderii voluntatem, quod ad laudem &
" honorem eius, qui nos de inimicis noſtris conceſſit triumphare de
" *gremio veſtri monaſterii* - - in locum *Marchtallenſem* qui nobis iure

ſum iuniorem multis illectum promiſſionibus ad ſe in *Italiam* reuocat. Qui collecto milite ſub paſchali tempore *Pireneum* per iugum VII.montis, quo

" & titulo proprietatis a noſtris genitoribus obuenit - - de nouo Mo-
" naſterium fundare intendimus & conſtruere &c. "

Prop ius ad noſtrum propoſitum facit charta ſequens, quae & *Eliſabethae uxoris ſuae* mentionem iniicit:

" In Nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Notum eſſe cupi-
" mus omnibus tam praeſentibus quam futuris, qualiter ego HUGO
" PALATINUS COMES DE TUWINGEN cum dilecta coniuge mea ELISA-
" BETHA & filiis noſtris, pro remedio animarum noſtrarum & ſucceſ-
" ſorum, & parentum noſtrorum, Eccleſiam in MARCHTELL cum omni-
" bus ad ipſam pertinentibus, videlicet hubis decimis cum curtilibus,
" aedificiis, familiis, mancipiis vtriusque ſexus, terris cultis & in-
" cultis, pratis, paſcuis & ſyluis, aquis aquarumque decurſibus, mo-
" lendinis, viis, ineiis exitibus & reditibus, rebusque quaeſitis & in-
" quirendis, nec non ex eccleſiis quatuor vna videlicet in ipſa villa
" *Marctell* parochiali eccleſia, ſecunda in villa *Birlingen*, tertia in vil-
" la *Wachingen* cum omnibus ad ipſas rite pertinentibus: quarta quo-
" que in villa *Ambra* cum ſuis decimationibus & aliis ad ipſam ſpe-
" ctantibus, praebendam etiam quinquaginta marcis comparatam,
" Deo & ſanctae eius genitrici Mariae & praecipue beato Petro Apo-
" ſtolorum principi & aliis ſanctis quorum ibi reliquiae continentur;
" & fratribus inibi Domino ſub regula S. Auguſtini in ordine prae-
" monſtratenſi militantibus perenniter, in perpetuum donauimus.
" Praedium quoque in *Malſtettin*, villulam etiam in *Bettinkofen* in
" manſis quatuor, vſui eorum praeſentibus conferimus & donamus:
" adiicientes, quod omnia ſuperius ſcripta & nominata liberaliter prae-
" dicto monaſterio elargimur, nullum nobis ac noſtris haeredibus do-
" minium vel ius & nomen aduocatiae aliqualiter reſeruantes: ſed
" quidquid dominii vel iuris nobis in his praetaxatis competiit & com-

Renus & *Enus* fluvii oriuntur transcendens *Papiam* usque pervenit. Vbi Legatos Imperatoris inueniens, & stipendium ab eis promissum recipiens, in *Tusciam* negotia terre vbique tractans transiuit: & sic ad Imperatorem *circa medium Julium* non longe a *Roma* peruenit.

§. XI.

Eodem quoque tempore *Pater eius Ierosolimis* veniens, reuersus *Rome* ei occurrit : ac visis Imperatoris detestabilibus piaculis ipsum & omnem exercitum detestans ad propria per vallem Tridentinam reuertitur. Imperator enim tanta eo tempore in destructione Ecclesiarum, in strage populorum, siue aliis abhominationibus *Rome* exercuit, vt vindictam Dei iusto iudicio sequi oporteret. Maxima enim pars exercitus interiit. Episcopi *Colonienſis*, ille qui totius mali huius nec non & scismatis diutini incentor fuit, *Spirenſis*, *Ratisponenſis*, *Bragenſis*, *Werdonenſis*, *Leodienſis* ac ceteri - - Principes *Fridericus* scilicet *Dux filius Conradi Regis*, *Gvelfo Dux filius Gvelfonis Ducis*. *Berengarius comes de Sulzbach*. *Heinricus comes de Tuingen* cum pluribus regni huius maioribus occubuerunt. Quorum omnium pene ossa carnibus per excoctionem consumptis ad propria reducta sunt. Translata sunt autem & ossa *Gvelfonis*

" petere videbatur, pure propter Deum resignamus, ac praesenti in-
" strumento renuntiasse omnimode profitemur.

" Acta sunt haec in *Tuwingen* anno Incarnationis dominicae M.
" C. LXXI. Kal. Maii, Indict. IIII. *Alexandro PP. III.* Romanam eccle-
" siam feliciter gubernante. Regnante glorioſissimo Imperatore *Fri-*
" *derico*, *Ottone* episcopo *Constantienſi* sedem regente, praesentibus
" *nostro sigillo* aeternaliter roboratis.

Hanc suam fundationem confirmauit idem comes dato Diplomate anno 1179. V. Cal. Iul. in castro *Clementiae* seu *Chelmünzae*, de quo paullo superius. Hodie ad *Rechbergenſes* pertinet ceu feudum *Württenbergicum*.

fonis noſtri, & in monaſterio *Steingaden* a *Patre ſuo fundato* repoſita ſunt. (*)

Anno dominice Incarnationis M. C. I. *Welfo Dux ſenior* iter hieroſolimitanum aggreſſus in Calendis Aprilis.

Anno dominice Incarnationis M. C. VIIII. IIII. Idus Ianuarii prelium iuxta *Idungesheim* (1.) inter duos comites *Roudolfum* videlicet *comitem Bregantinum*, & *Hartmannum Comitem de Kilicperch* commiſſum eſt, ceſis ex vtraque parte plurimis. Cruenta tandem Victoria *Hartmanno* ceſſit. Cecidit in eo conflictu *Waltherus comes* (2.) & alii complures.

Anno dominice Incarnationis M. C. XI. expeditio *Romam* facta eſt per Heinricum V. in qua *Paſchalis* Papa captiuatur.

Anno M. C. XXIII. *Translatio ſancti Counradi* facta eſt VI. Cal. Decembris.

Anno M. C. XXIII. *Heinricus Dux iunior*, qui poſtea in *Saxonia humatus eſt* (3.) arma accepit.

Anno M. C. XXIIII. inceptum eſt monaſterium *S.* Martini Winigartin. (4.)

Anno

*) Hic finit anonymus hiſtoriam ſuam de Gvelfis. Immediate tamen ei eadem antiquarii manu ſequens adnectitur *Chronicon breue.*

1.) Sprecherus *Pallad. Rhaetic.* L. 3. p. 117. locum *Idungesheim* in Rhaetia curienſi collocat.

2.) Filius *Manegoldi* comitis *de Veringen principalis* Fundatoris Monaſterii *Iſnenſis* in *Algoia.* Cuius pater *Wolfradus* comes anno 1042. prima iecerat Eccleſiae illius fundamenta. Porro hic Patrem habuit itidem *Wolfhardum* comitem, qui anno 972. Diplomati Ottonis I. ſubſcripſit, & ex *chronico Auguſt.* apud Freherum obiit anno M. X. Hunc *Eccardus* genealogicae arbori *Guelficae* inſeruit, vt lacunam inter *Rudolfum S. Conradi fratrem* & alium *Rudolfum Ithae maritum* expleret.

3.) Ergo Heinricus vulgo *magnanimus* aut *ſuperbus.*

4.) Nempe *nouum* hoc anno coeptum eſt ab *Heinrico Nigro* Duce Bauariae filio Gvelfonis IV.

Anno M. C. XXVII. *Heinricus Dux ſenior* (5.) *cum coniuge ſua Vulfildi*, que XVI. tantum dies ſuperuixit, obiit.

Anno M. C. XXXV. *Heinricus Dux* (6.) filius Heinrici poſtea *Bavvarie* & *Saxonie* Dux in Pentecoſten *babtizatus eſt*. Quo & in anno pater eius in ſecunda expeditione *Lotharii Imperatoris ſoceri ſui* per Italiam in Apuliam mille ducentas Loricas duxit.

Anno. M. C. XXXVIIII. *Heinricus Dux*, qui in *Saxonia humatus eſt*, obiit.

Anno M. C. XL. *Welfo Dux Leopaldum Ducem Bavvarie in Idibus Auguſti* pugna iuxta caſtrum *Valeium* aggreſſus vicit. Ipſe vero in eodem anno in feſto *S. Thome* a Rege Counrado apud *Winisperch* deuictus eſt.

Anno M. C. XLVII. iter illud Ieroſolimitanum ſub *Conrado Rege* noſtro & *Loudevvico* Rege Francorum factum eſt.

Anno M. C. L. *Welfo* apud *Flohperch* cum Principibus & militibus Regis Conradi conflictum habens deuictus eſt.

Anno M. C. LIII. diuortium factum eſt *Conſtantie* inter *Fridericum* (7.) & *Adilam* filiam *Diopaldi marchionis*.

Anno M. C. LIIII. *Fridericus* expeditionem Romanam aggreſſus eſt, in qua imperiali benedictione ab *Adriano* Papa ſublimatur, in feſto *S. Michaelis* recedens, & poſt annum in eodem tempore reuertens.

Anno M. C. LVII. regni vero *Friderici* VI. to nix magna & frigus inſolitum circa paſſionem Domini inhorruit. Quod mortalitas hominum ad tempus, & exuſtio maxima per totam eſtatem ſubſecuta eſt. Porro in ipſa die Kalendarum Iulii tanta ſeueritas grandinis, tantaque concuſſio ventorum inualuit, vt ſegetes circumquaque conſumeret, robuſtiores arbores radicitus euelleret. In *Altorfenſi* quoque Cenobio campanas omnes

5.) Alias *Niger*. 6.) Vulgo *Leo*. 7.) *Barbaroſſam*.

nes usque ad duas de minoribus fruſtatim confringeret: Edificia etiam caſtrorumque munitiones humo proſterneret.

Anno M. C. LVIII. Fridericus Imperator *ſecundo* expeditionem in Italiam in Pentecoſte movit propter rebelles *Mediolanenſes*. Sed quia ex levi eos vincere nequiverat, Principes qui relicti fuerant, ſequenti anno ſubſequuntur. *Heinricus* videlicet *Dux Bavvariorum & Saxonum* circa Pentecoſten in mille II.tis (8.) loricis, *Wilfo* vero circa feſtum S. Michaelis in trecentis loricis Deuthonicorum, anno videlicet M. C. LVIIII. Sequenti anno, id eſt M. C. LX. *Dux Heinricus* rediit ab expeditione.

Anno M. C. LXII. in feſto S. Clementis diſcidium factum eſt inter *Heinricum Ducem* & uxorem ſuam *Clementiam filiam Conradi Ducis* (9.) Conſtantie.

Anno M. C. LXVI. Devaſtatio Boemiorum ſub *Ducatu Friderici Ducis* filii Conradi Regis in partibus iſtis facta eſt.

Anno M. C. LXVII. Gvelfo *ſecundo* Ieroſolimitanum iter perſoluit. *Filiusque eius Gvelfo* eodem anno defunctus eſt.

Anno M. C. LXXII. *Heinricus Dux Bavvariorum & Saxonum* hieroſolimitanum iter aggreſſus eſt circa Purificationem ſancte Marie.

Anno M. C. LXXIIII. Fridericus Imperator *tertio* expeditionem in Italiam movit circa feſtum ſancti Mathei, & in ſequentis Paſche vigilia conflictum cum italicis habuit apud *Alexandriam*.

Anno M. C. LXXVI. in diebus Rogationum feria IIII. fuga miſerabilis & devaſtatio in partibus iſtis facta eſt. Epiſcopo *Colonienſi*, & *Comite Flandrie* cum aliis quam pluribus hic tranſeuntibus ab Imperatore in Italiam evocatis.

Anno M. C. LXXVII. vnio Eccleſie ſub *Alexandro Papa* reddita eſt.

8.) Chronographus noſter ſine notis numericis ſcribit: *in mille ducentis.*

9.) *Zeringenſis* videlicet.

Anno M. C. LXXX. infra feſtum *S. Galli* & *Martini* Fridericus Imperator habita Curia *Herphurt* (10.) Heinricum Ducem Saxonum & Bavvariorum duobus annis bellis attritum exilii proſcriptione dampnauit.

Anno M. C. LXXXII. Indict. I. II. Idus Nouembris dedicatum eſt Monaſterium *nouum* ſancti Martini Winigartin a venerabili *Bertholdo* Conſtantienſi Epiſcopo.

Anno M. C. LXXXIIII. filii Imperatoris Friderici, ſcilicet *Heinricus Rex* & *Fridericus Dux Sweuorum* in Pentecoſtes Mogontie arma ſumpſerunt. (*)

Eodem anno in *Auguſto* Imperator ſine armis (11.) Italiam ingreſſus eſt, & a *Veronenſibus* & *Mediolanenſibus* cum maximo honore ſuſceptus.

Sequenti dehinc anno *Heinricus Dux Saxonum* poſt feſtum S. Michahelis *de Anglia* reuerſus eſt. (12.)

Anno M. C. LXXXI. (13.) *Welfo Dux* illuſtriſſimus *Winigartenſi* cenobio duas Curias *hereditario* a ſe iure poſſeſſas contradidit, *Berge* vide-

10.) *Erfordiæ.*

*) Muratorius annal. Ital. ad h. a. id de ſolo *Heinrico* affirmat. immo gloſſatores confidentiæ aſſerunt ſolum *Annaliſtam Boſouienſem* de *duobus* filiis mentionem facere. Noſtrum certe res ſub eius oculis geſta latere non potuit.

11.) *Primo* pacifice intrauit *Mediolanum*, ait chronicon *Placentinum* - &c.

12.) Et quidem cum uxore & liberis, vt teſtantur annales *Wauerleienſes* ann. 1185.

Et ad hunc vsque annum produxit Chronicon ſuum Scriptor noſter. Quem diutius ſupervixiſſe idcirco non puto, quod alias certe de coniugio *Heinrici Regis* cum *Conſtantia* ſequenti mox anno inito - de expeditione *Friderici Barbaroſſae* in terram ſanctam - eius morte - interitu quoque *Friderici Ducis* filii eius - *Gvelfonis* obitu - & tot aliis rebus maxime memorandis non ſiluiſſet.

13.) Haeſit ad hanc notam chronologicam *Caniſius*, propterea quod inferius, in Chronico nimirum Imperatorum, alia de anno 1191. ponatur. Verum aduertere debuiſſet vir doctus, hic de donatione duarum villarum, ſibi de eius obitu eſſe ſermonem. Poſtquam enim Heinricus Leo ab Avunculo ſuo Friderico Barbaroſſa vtroque Ducatu ſaxonico & bauarico fuerat exutus, hic etiam patrimonio ſuo ſueuico inſul-

videlicet & *Willare* (14.) cum omnibus appendiciis ſuis, & omni vtilitatis prouentu qui exinde prouenerit : pratis & nemoribus, paſcuis, molendinis, aquis aquarumque decurſibus. Et inſuper beneficia, quibus vaſalli ſui inbeneficiati erant ea conditione dedit, vt ipſi isdem beneficiis dum viuunt, vtantur, ſucceſſores vero eorum niſi ſecundum velle Abbatis & Fratrum de his nihil hereditabunt. Acta ſunt hec *Idus Auguſti* regnante *Friderico Imperatore* ſereniſſimo in villa que dicitur *Mammingen*. Teſtibus quam pluribus aſtantibus.

§. I.

Igitur WELFO *ſenior* poſt obitum filii nullatenus heredem ſuſcepturum ſe de Coniuge ratus, cum & illam minus diligeret, & alienarum magis amplexibus delectaretur, ſtuduit per omnia ſolemniter viuere, venationibus inſiſtere, conuiuiis & voluptatibus deſeruire : in feſtiuitatibus & variis donationibus largus apparere. Ita, quod talibus rebus nimius ſumptus contingeret. Principatum *Sardinie*, Ducatum *Spoleti*, Marchiam *Thuſcie*, & egregiam *Curtim elſinam*, que dicitur *domus Domine Machtildis* cum ſuis appendiciis Imperatori *Friderico ſororio ſuo*

 tradi-

tabat, vt familiam ſuam ditaret. Gvelfo prole carens, præſertim quum a Nepote ſuo exſpectatam pecuniae ſummam non acciperet, Imperatori Ditiones ſuas reſiduas vendidit, vt commodam & lautam vitam ducere poſſet. A contractu tamen venditionis quaedam excepta erant, vt mox pluribus referam : inter quae fuere & duae villae ſuperius recenſitae, quae etiam hoc anno 1181. ipſo facto nobis traditae ſunt. Certe illae notae chronicae *Idus Auguſti* euidenter demonſtrant annum 1191. non poſſe ſubſtitui. Acta enim ſunt haec regnante *Friderico Imperatore*. Qui autem iam anno 1190. & quidem IV. Idus Jun. vt habet Necrologium Weingart. conformiter relationi *Tagenonis* Decani Paſſauienſis, qui expeditioni adfuit, obierat.

14.) Duae hae villae horae vnius duntaxat ſpatio Vinea diſtant proxime ad *Shuſſam* trans flumen. Porro *Eccleſia* Bergenſis cum ſuo praedio pridem ad Weingartenſes adtinebat. Nunc continuationem ex M S. codice ſaec. XV. ſub Lit. G. N. 20. connectimus, hauſtam vt videtur ex membranis ſtaingadenſibus : vnde forte ipſe Codex noſter delatus vel ſaltem deſcriptus eſt, vt alibi iam monui. Sic autem reliqua Welfonis vitae periodus deſcribitur, vt ad commendationem optimi Principis parum conferat.

tradidit, auri & argenti quantitate quam poſtulabat accepta. Cuius pecunie non modicam partem diuerſis Monaſteriis pro remedio anime ſue diſtribuit. Maxime tamen *Staingadenſi* Eccleſie quam fundauit, obtulit. Cuius etiam artifices tam murorum quam aliarum edium quoadusque vixit ſingulis annis per ſe remunerare voluit.

§. II.

Eodem etiam tempore convocatis Optimatibus tam *Sueuie* quam *Bauarie* in plano Lici vltra Auguſtam, in loco, qui dicitur *Concio Legum* (*) ſolemnem Pentecoſten celebrauit, innumeramque multitudinem undecunque coadunatam laute pauit. Omne demum patrimonium ſuum *Hainrico fratrueli* ſuo *Duci Saxonie & Bauarie* conuentione facta tradere ſpopondit. Sed orto inter eos diſſenſionis ſcandalo ipſam transactionem ad Imperatorem *Fridericum* & eius filios conuertit. Imperator ergo Friderieus vir in omnibus ſagax & prouidus, in auro & argento toto niſu ſatisfaciens *Auunculo* traditam ſibi hereditatem lege gentium poſſedit, & quedam in ſignum poſſeſſionis retinuit, reliquis vero ipſum Welfonem *inbeneficiauit*, (**) quedam etiam de ſuis ſuperaddidit.

§. III.

Exceperat tamen idem Welfo quedam predia, que iam dudum pro remedio anime ſue daturum ſe Deo vouerat, ſcilicet *Widenshouen* cum ſuis appendiciis, quod S. Petro in *Augia* (***) donauit. *Berge* & *Weilar* cum ſuis appendiciis, que S. Martino in *Weingarten* delegauit. *Widergeltingen* & Curiam in *Horem* id eſt *Stadel* & bona in *Schars* ſingula cum ſuo iure ſancto Johanni Baptiſte in *Staingaden* pro dote obtulit.

§. IV.

Hactenus quid de rebus & hereditate famoſiſſima Homo nobiliſſimus diſpoſuerit, ſatis dictum putamus. Nunc qualiter de reliquo vixerat paucis oſtendamus. Siquidem de predictis ſolennitatibus nihil vel parum remiſit. Arma preclara cum veſtibus precioſis curie ſue militibus & conſociis idoneis temporibus miniſtrando, proſcriptos & undecunque refugientes ad ſe benigniſſime fouendo. In amore Muliercularum plura diſſi-

pan-

*) In margine *Contzelech*. **) Erant ergo ante *allodia*. ***) *Weiſſenau*.

pando; nec minus eleemoſinis ſtudens, pauperum & maxime cecorum & leproſorum curam ſolicitus agebat. Eorum multa equidem, & quanto plura nitebatur expendere, tanto plura diuinitas ei dignabatur impendere. Ut apte dicatur: quia hic homo fuit, cui fortuna non cecis ſed claris oculis arriſerit.

§. V.

Tandem Pater miſericordiarum, qui flagellat omnem filium quem recipit, & hunc dum iam metas ſenectutis tranſiſſet, tentatione cecitatis corripuit. quod flagellum ſic patienter & honeſte ſuſtinuit, vt a paucis vix ſciri potuerit. Ex tunc eleemoſinis magis intendit, a conſuetis delectationibus temperauit, libidinem frugalitate mutauit: ſpiritualibus hominibus, ſed precipue *Staingadenſi* loco toto deſiderio ſubuenire ſatagebat. Uxori quoque ſue *Vtte* nobiliſſime & caſtiſſime feminе a transalpinis partibus ad ſe vocate reconciliatus eſt: & ſic demum *Meningen*, vbi frequentius morabatur, infirmitate graui correptus anno etatis ſue Lxxvi (*) plenarie penitens diem clauſit extremum. Inde ſublatus a ſuis miniſterialibus quos ipſe viuens ad hoc fide data conſtrinxerat verſus *Steingaden* deportatur. Sed in ipſo tranſitu, talem honorem ut putamus, honorabili Principi Diuinitate deferente, *Hainricus Imperator* ex Italia regreſſus occurrit in *Bewren*, (**) & illuc exanimi Corpore translato exequias eius ſatis honeſto celebrauit obſequio. (***) Imperatore vero iter ſuum aggrediente Corpus venerabile cum multo comitatu Abbatum, Prepoſitorum, Clericorum, hominum nobilium & Militum tam ſuorum quam prouincialium ad preſcriptum locum deducitur: vbi ab Auguſtenſi Epiſcopo *Udalſcalco* amicorum eius intimo honore condigno *iuxta filium* ſepultus quieſcit. Amen.

*) In margine minio eadem manu ſcriptum habetur: *Welfo ſenior in Meningen moritur anno* etatis ſue *76.*

**) Vt reor *Kauffbeuren* ciuitate hodie imperiali, & hoc aeuo inprimis celebri a ſepulcro venerabilis *Mariae Creſcentiae Heſſinn* ſanctimonialis. Eſt & locus cis Lycum propius Steingaden *Berenbeuren* dictus, quo forte Imperator funeri occurrit.

***) M S. habet: *exequio* calami errore.

Vt omnia quae de Gvelfone eius Nominis vltimo ſcripti noſtri codices continent, ſimul cohaereant, huc refero ea, quae ad calcem *chronici* noſtri de *Romanis Imperatoribus* inſcripti, adiecta ſunt. Sunt ſequentia:

Anno M. C. LXXXXI. xviii. Kal. Ian. *Welfo* nobilis Altorfenſis, Principum noſtrorum illuſtriſſimus, *Heinrici Ducis* videlicet & *Woulfildis* filius carne ſolutus migrauit a ſeculo. In quo nobilitas *Altorfenſium* non mediocriter completa deſiit. Innatam ſiquidem nobilitatem virtutum ampliauit moribus. Seculari etiam dignitate pleniſſime preditus circa ſtatum ſpiritalis vite ſumma vigilare ſtuduit diligentia. Quid plura? cottidie pauperum continuauit expenſas, atque donis munificientie ſue Monaſteriorum vel Eccleſiarum diſcrete ſuppleuit indigentiam. Monaſterio etiam *Winigartenſi* principaliter a parentibus ſuis fundato, ſpeciali condeſcendit beniuolentia, & fratribus Deo & *S. Martino* ibidem ſeruientibus inter alia beneficia tradidit *Berge* & *Willare* cum non modica familia & ſuis appendiciis. Fratribus etiam in *Augea* pro remedio anime ſue contulit predium in *Fidanshouin*. In montanis etiam clauſtrum *Steingadim* dictum a primaria fundatione conſtruxit, quod & conſecratione & multa dote ditauit. Quibus ex ordine rerum ita diſpoſitis, nobile patrimonium cum prediis, nec non aduocatiis & Miniſterialibus *Friderico Romanorum Imperatori*, & filio illius *Friderico Duci Svveuorum* ſub iure poſſeſſionis contulit. Quibus in expeditione hieroſolimitana mortuis, idem *Welfo* propter innatam familiaritatem & conſanguinitatis lineam predictum patrimonium cum omnibus ſuis pertinentiis *Heinrico illuſtri Romanorum Imperatori* ſub hereditaria poſſeſſione contradidit.

Diffuſa late Welfonum nobilitate
Nomine poſtremus obit, & virtute ſupremus.
Sublato fatis hoc Principe, nobilitatis
Gloria multorum ruit, & lux aurea morum.
Plangant orbati vitam Ducis incinerati!
Mortis in edicto qui viuimus ordine ficto
Labimur vt fenum cum florem perdit amenum.

(o)

II.



De romanis. imperib;.

Sub hoc tpe imperiū Romanū
ad reges francorū translatū ē.
Karolo magno. filio pippini
regis. primo imperatore facto.
In constantinopoli vero regnū
solo imperii nomine permansit.
et post Hyrenē. Nicephorus qui et the
ophilus imperiū arripuit.

II.

CHRONOGRAPHUS WEINGARTENSIS

Ex M S. Codice exeuntis ſaeculi XII.

Biblioth. Weing. ſub Litt. G. 11.

De Romanis Imperatoribus (1.)

Tandem romanum Imperium ad reges francorum translatum eſt. Poſt *Childericum* in *Auſtria* deficientibus regibus Duces dominari ceperunt. id eſt *Pipinus* filius *Anchiſe*. Poſt hunc filius eius *Karolus* Tutudes cuius ſoror *S. Gertrudis*. & poſt eum filius eius *Pipinus*. qui poſtea deiecto *Hilderico* Rex eſt factus. Hic genuit *Karolum magnum*. hic eſt Karolus magnus, qui primus Regum Francorum romanum adeptus eſt Imperium anno ab Incarnat : Domini DCC. LXXVIII.

Pip-

1.) Duo penes nos ſunt Chronica de *Romanis Imperatoribus* inſcripta. Vnum eodem codice continetur, quo hiſtoria de Gvelfis ſupra edita, alia tamen manu ſed ſynchrona exaratum, quod ex codice *Auguſtano* editum iam pridem eſt, mendis vtique ſcatente. Alterum ſubiicitur Hiſtoriae *Hugonis Nouanti* inde a creatione mundi initia ducenti. Hoc priori multo locupletius eſt : immo videtur iſte *chronogra-*

Pippinus Rex Francie XIIII. ann. Imperator *Karolus magnus* XLVII. *Brema* conſtruitur & *Dacia* conuertitur a *S. Willibrordo*. *Alcvvinus* qui & Albiuus & *S. Egidius* claruerunt. Imperator *Ludewicus magnus* qui & *pius*, Karoli magni filius regnauit ann. XXVII. qui eccleſias ditauit. Huic ſucceſſerunt IIII. or filii, inter quos bellum de regno oritur. *Ludewicus* Germaniam ſiue Alemanniam obtinuit. *Lotharius* cum *Imperator-*

phus (ſic enim ad vitandam confuſionem compello) & Anonymi de Gvelfis & eam de Romanis Imperatoribus Chronologicam narrationem in vnum volumen compilare ſtuduiſſe. Tametſi determinare nolim, an non forte prius illud chronicon ex hoc defloratum ſit. Ad calcem adnectitur Catalogus Imperatorum & Romanorum Pontificum. Definit in *Innocentio III.* aliena vero manu recentiori aſſuti ſunt *Phylippus Rex* & *Ot.* Vnde ſcriptoris aetatem metiri licet. Hoc ergo primam videre lucem volumus. Ex quo edita facile corrigi poterunt. Ordimur vero a tempore Caroli M. quoniam reliqua ad inſtitutum noſtrum non pertinent. Corrigere tamen grandiores qui in Ectypa irrepſere, errores haut erit abs re. - - Anno ab vrbe condita *DCCXXII.* ab exactis vero Regibus DLXXX. - Primus Iulius Ceſar regnauit ann. V. poſt quem Ceſar Auguſtus regn. ann. LVI. cuius anni XLII. non computantur ad ſummam - - - Chriſtus naſcitur - - *Albinus* Iuliani ſocius, ſub quo *Narciſſus* epiſcopus - - *Macrinus*, qui & *Ophnus* - *Abdon & Sennes* - - *Xixtus* - - Gallus cum Voluſiano filio an. *VIIII. Dacianus*, ſub quo *Vincentius* & *Georius* - - *Probus* regn. an. VI. Carus cum *Carino* - - Perſecutio *decima* - - *In Nicea* ſynodus ſit. *Nicolaus* claruit - - filii Conſtantini *Magni*. *Iulianus* apoſtata regn. *ann. II.* ſub quo Gregorius *Nazianzi* - - Leo maior r. a. XVII. hic Theodericum Theodmari filium ab Oſtrogothis *obſidem* accepit . . . Anaſtaſius r. a. XXVIII. *Conſtantinopoli.* Caſſiodorus & Boetius *ſenior* - - Iuſtinianus Iuſtini ex ſorore nepos *Conſtantinopoli* r. a. XXV. *hic Iuſtinianus reduxit imperium ſuperato Witigi per Beliſarium: & deinde Thotila per Narſetem interfecto, qui illi ſucceſſerat*. . . Heraclonas regn. a. II. filius Heraclii cum matre ſua *Martina* . . . Ludewicus qui & *Clodoueus* - - *Gundpertus* epiſc. . . Philippus qui & *Bardanius* - - *Karolus Tutudes* - - magni Karoli *Auus* - - - Hyrene dum pace facta Karolo *nubere diſpoſuit* electa eſt anno ab Incarn. Domini DCC LXXVIII.

Ceterum vt in edendo hoc chronico lima mordacius vtar, praeſertim in computatione annorum regni, nemo recte a me exiget: nec etiam temporis anguſtiae id mihi conceſſiſſent. Sufficit codicem ſic communicaſſe qualis eſt - nec alia ratione illum *meum* facio.

peratoris nomine Italiam cum Lotharingia : *Karolus* Galliam ſiue Franciam. *Pipinus* Equitaniam.

Ausgardus epiſcopus *Svveuos* (2.) conuertit. *Welfo primus* pater *Iudith.* hanc idem *Ludewicus* defuncta uxore ſua *Irmingarda*, ex qua tres filios, *Lotharium*, *Pipinum* & *Ludewicum* progenuit, duxit uxorem. que genuit *Karolum Caluum*, qui in diuiſione imperii regnum Francie obtinuit XLV. annis : poſtea Imperator annis III.

Franciam obtinuit Rex *Karolus Caluus* ann. XLV. Rex *Ludevvicus balbus* minoris Karoli filius ann. XLV. Rex *Karlomannus* ann. X.

Italiam cum Lotharingia obtinuit *Lotharius* filius Ludewici pii cum nomine Imperatoris ann. XVII. qui poſt fit monachus, tribus filiis diuiſo regno ſuo. *Ludewico* Italia cum nomine Imperatoris. *Lothario* Lotharingia. *Karolo* minori *prouincia.*

Ludewicus Imperator ann. XXXVI. poſt hunc regnauit *Karolus Caluus* patruus eius Rex Francie. *Lotharius Rex. Adilgiſus Dux. Hugo Rex.*

Equitaniam obtinuit *Pipinus.* hic captus a Karolo fratre Monachus fit.

Alemaninam vel Germaniam obtinuit *Ludewicus* Rex ann. X. Hi IIII.or fratres Filii *Ludewici magni* imperium diuiſerunt. Corpora ſanctorum *Martini* & *Remigii* transferuntur. *Rabanus* & *Meginradus* heremita claruerunt.

Ludewicus in Alemannia Rex ann. V. poſt hunc *Karolus minor* Imperator frater eius ann. VI. hic Rex chriſtianiſſimus tandem a Regno

 pulſus

2) Non confundendi cum *hodiernis Sueuis.* iuuat huc verba Bolland. ad III. Feb. §. XI. adſcribere " Danos, inquit, *Sueuosque* ad fidem Chriſti a *S. Anſcharo* " conuerſos fuiſſe ſupra ex variis Martyrologiis & carmine *Hamconi* retulimus, " vbi *Sueui* ſunt iidem, qui *Tacito* de moribus germanorum cap. 44. *Suiones*, " aeuo S. Anſcharii *Sueones*, nunc *Sueci* aut *Suedi* appellantur. " Corrupte vero *Ausgardus* a noſtro vocatur Sueciae Apoſtolus ; quum *Anſgarius*, aut melius *Anſcharius* fuiſſet compellandus.

pulſus; licet poſt Karolum magnum potentiſſimus, ad ſummam egeſtatem deuenit. *Ethicho filius Welfonis primi.* (*)

In regno Francie *Ludewicus* nil fecit VI. ann. Rex. poſt hunc *Odo* Rex. *Karolus ſimplex* ann. X. Rex, Ludewici balbi filius. *Roudolfus* alienus Rex Burgundie ann. XIII. ab hoc *Heinricus Rex* extorſit haſtam regalem.

Regnum poſt hec reductum eſt. *Ludewicus* filius Karoli, qui fuit de femine *Karoli* ex matre *Giſila.* ad quem tandem regnum reductum eſt. Sub hoc tempore romanam ſedem tres inuaſerant. quorum vnus *Benedictus. Lotharius* Rex annis XXX. *Ludewicus* Rex ann. VIIII. *Karolus* frater eius annum dimidium. poſt hec regnum translatum eſt. *Hugo* annis VIIII. qui vocatus eſt *Capot filius Ducis Burgundie. Ropertus* Rex annis XXIX. & dimid. vel XXX. *Heinricus* ann. XXV. vel IIII. or *Phylippus* ann. XLVIIII. vel L. *Ludewicus* Rex. qui ſe viuente fecit coronari duos filios ſuos & vngi in reges : diuerſis tamen temporibus, quia mortuus eſt primogenitus, qui prius inunctus eſt.

In regno Germanie poſt Karolum minorem *Arnolfus* filius *Karlomanni* Imperator ann. XII. *Salomon* Abbas & Epiſcopus Conſtantienſis. Vngari Italiam vaſtant.

Ludewicus Rex filius Arnolfi ann. XII. huius frater *Zendebaldus. Heinricus filius Etichonis pater ſancti Counradi. primus fundator Altorfenſis Cenobii.* Vngari Saxoniam & Touringiam invadunt. His temporibus imperium uſurpauerunt iſti, non ſimul, ſed vnus poſt alium : *Wido Spolitanus. Lampertus* filius eius. *Ludewicus Boſonis* filius. *Berengarius de foro iulii*, vnde Longobardorum regnum dicitur. *Berengarius, Hugo, Berengarius, Lotharius*, itemque *Berengarius.*

Counradus Rex filius *Counradi principis* ann. VII. Vngari Saxonia & Touringia inuaſis *Alemanniam* vaſtant.

Heinricus Rex filius *Ottonis* Ducis Saxonum annis XVI. *S. Oudalricus* & *S. Counradus* epiſcopi claruerunt. *Wibrada* coronatur. *Roudolfus, Princeps filius Heinrici frater S. Counradi epi.*

Regnum

*) Quis admittet, filium Guelfonis I. qui ſynchronus Carolo M. fuit, coaeuum fuiſſe Carolo craſſo ?

Regnum Theutonicorum exhinc cepit.

Otto magnus Imperator filius Heinrici ann. XXXVIII. *Parthenopolis* conſtruitur.

Otto filius prioris Imperator ann. VIIII. *Nogger* Abbas claruit.

Otto filius ſuperioris Imperator ann. XVIII.

Heinricus Dux Bavvarie Imperator ann. XXIII. Sub hoc tempore *Rauinſpurc* & *Babimberg* conſtruuntur. *Ruſci*, *Polani*, & *Vngari chriſtiani* fiunt.

Chounradus francus Imperator ann. XV. *Stephanus* vngarorum Rex pie memorie obiit. *Spira* conditur. *Bruno* Auguſtenſis epiſcopus & *Welf Roudolfi filius* confligentes incendia faciunt.

Heinricus pius *filius Counradi* Imperator ann. XVII. *Hermannus contractus* claruit. *Welf Dux Charinthie frater Chounize, quam duxit Azzo marchio Italie. Baldevvinus comes Flandrie.* Hoc tempore inuentus eſt precioſus theſaurus *Sanguinis Chriſti Mantue.*

Heinricus filius Heinrici pii Imperator ann. XLVIIII. *Hieruſalem* a paganis capta eſt. *Alexius Cpolitanus. Welf Dux Noricorum filius Chounize & Azzonis.* Hic Imperatori Heinrico quarto antequam machinationes in mortem ſuam patraſſet - - (3.)

Eo tempore expeditio hieroſolimis contra Paganos mota eſt. Temporibus eiusdem Heinrici Imperatoris *Gotefrido Duce* cum chriſtianis in obſidione *Antiochie* morantibus cunctis orientalium populis terrore perculſis, *egyptiorum* Regis qui vulgo *Babyloniorum* putatur Legati ad *Gotefridum* Ducem veniunt, eique auxilium contra *Turchos* qui tunc *hieroſolimam* cum tota *Paleſtina Sarracenis* ablata tenebant, in dolo promittunt. Eſt enim antique Babylonis, vt a probatis transmarinorum viris cognouimus, pars adhuc habitabilis *Baldach* dicta. pars, vt in Prophetia habes, deſerta & inuia per X. miliaria usque ad turrem *Babel*

3) Reliqua vt ſupra in *Anonymo* Cap. VIII. a §. I. usque ad III. niſi quod ea quae de *Sifrido Auguſtano* Epiſcopo ibi memorantur, hic deficiant.

extenſa. Ipſa autem que inhabitatur, ſcilicet *Baldach*, maxima eſt & populoſa. & cum de imperio debeat eſſe *Perſarum ſummo Sacerdoti* quem ipſi *Caliph* dicunt, ab Regibus Perſarum conceſſa. vt & in hoc quedam habitudo inter *Babyloniam* & *Romam* eluceat. quia *quod hic a chriſtiano Imperatore ſummo noſtro Pontifici in vrbe Roma traditum eſt:* hoc ibi a PaganisPerſarum regibus, quibus a longo tempore Babylonia ſubiacuit, *eorum ſummo Sacerdoti* indultum eſt. Ipſi vero Perſarum Reges ſicut & noſtri *vrbem regiam* velut *Aquisgrani Ebactani* vel *Eblatani*, quam *Arfaxat* in libro *Iudith* fundaſſe legitur, lingua eorum *Hani* dicta centum vel amplius vt volunt, puguatorum milia habentem, ſedem regni ſui conſtituerunt, nihil ſibi de *Babylone* preter nomen imperii reſeruantes.

Porro ea que nunc vulgo vt dixi *Babylonia* vocatur, non ſuper *Eufraten* vt illi putant, ſed ſuper *Nilum* circiter VI. dietas ab *Alexandria* poſita eſt: ipſaque eſt *Memphys* a *Cambiſe* filio *Cyri* olim *Babylonia* vocata. & ibi Rex Egyptiorum, quamuis caput regni ſui *Alexandria* ſit, propter ortum Balſami morari dicitur. quod etiam ex hoc perpendi poteſt, quia cum in vtraque Chriſtiani, ſed ſub tributo maneant, *Mempheorum* epiſcopus *Alexandrinorum* Patriarche iure eccleſiaſtico ſubditus eſt. quem non *Aſſyriis* ſeu *Babyloniis*, ſed *egyptiis* & *affricanis* ex prima inſtitutione, & *Nicei* concilii auctoritate prelatum fuiſſe inuenimus.

Heinricus filius ſuperioris Imperator ann. XVIII. qui patrem eiecit & *Paſchalem* Papam captiuauit. *Kalo Johannes* imperator Grecorum. *Welf & Heinricus* Duces Bavvarie *filii Welfonis ex matre Judintha* Regina Anglie. *Welfo* iſte maior natu poſt mortem patris paternum Ducatum in *Bavvaria* obtinuit. Rome cum Imperatore *Heinrico V.* fuit - - (4.) Poſt cuius mortem frater eius *Heinricus* ducatum & omnia que illius erant obtinuit & potenter ditioni ſue ſubiugauit. qui uxorem iam dudum *fratre* (5.) viuente de Saxonia accepit filiam *Maginonis* Ducis & *Sophie* ſororis regis vngarie *Colomanni*, *Wulfildem* nomine. ex qua

4.) Reliqua vt ſupra cap. IX. niſi quod hic vltima periodus, qua de morte eius agitur, deſit.

5.) Anonymus habet: *Patre viuente.* vtrumque verum eſt.

qua tres filios habuit, *Counradum* clericum, *Heinricum*, *Gwelfonem*. Eo tempore *hieruſalem* Franci liberant. anno ab Incarnat. Domini M. LXXXXVIIII. vnde verſus:

Anno milleno centeno, quo minus vno
Hieruſalem Franci capiunt virtute potenti.

Lotharius Imperator ann. VIII. *Emmanuel* grecorum Imperator. *Heinricus* Dux *Saxonie & Bavvarie.* & *Welf* frater eius filii Heinrici & Wulfhildis. qui *Heinricus* defuncto patre ducatum eius adeptus generalem conuentum *Ratispone* omnibus indixit. Interea miſſis Legatis in Saxoniam ad deducendam ſponſam ſuam *Gertrudem* ſcilicet filiam *Lotharii* imperatoris optimates quosque Bavvarie ac Sweuie ad nuptias inuitat. Quibus laute in plano iuxta *Licum* fluuium vltra *Auguſtam* in loco qui dicitur *Conciolegum* in octaua Pentecoſtes celebratis, eandem in caſtro *Rauinſpurc* adduxit. Ipſe vero ad Imperatorem reuerſus ducatum *Saxonie*, *Norenberch*, *Gredingin* & omnia beneficia, que Imperator ab epiſcopis & abbatibus habuit ſuſcepit. ac rebellionem contra *Fridericum Ducem Sweuie ſororis ſue maritum*, & contra *Counradum* fratrem eius pollicetur. Poſt hec tempora Imperator *Lotharius* in generali curia *Babinberc* habita expeditionem in Italiam ſecundo indixit. quam expeditionem *Heinricus* Dux profecturus ſtipendia condigna offerens ad expeditionem plures ex vtraque prouincia illexit. Ita vt per vallem tridentinam mille quingentos milites in Italiam duceret. Inde *Appenninum* tranſiens Imperator Anchonam, Spoletum. - - (6.)

Chounradus Rex filius ſororis Heinrici regis ann. XV. (7.) Huic prefati Duces prope ad finem reſtiterunt. Igitur Saxones & Dux *Heinricus* aliique, qui electioni non interfuerant. - - - (8.)

Sub hoc tempore expeditio hieroſolimis facta eſt anno ab Incarnat. Domini M. C. XLVII. vnde verſus:

6.) Cetera vt cap. XII. & cap. XIII. usque ad §. III.

7.) In margine graciliori calamo ſed eodem caractere ſcriptum eſt: *Reginaldus obiit. Rogerius Apuliam & Capuam recipit.*

8.) Cetera a §. III. cap. XIII. usque ad §. XI. ſupra habes.

Anno milleno centeno teſſera deno.
Cum ſeptem pariter cepit & iſtud iter.

Facta eſt autem hec expeditio pro querimonia transmarine Eccleſie propter inmanitatem impiiſſimi illius *Sanguini.* huius expeditionis Principes erant Rex ipſe *Counradus*, Rex Francie *Ludevvicus*, *Dux Svveuorum* poſtea Imperator, Friderici Ducis filius fratris Counradi regis, *Fridericus* (9.) *Gwelf Dux* Heinrico fratre iam defuncto. *Heinricus* frater Regis Counradi tunc *Dux Bavvarie*, Epiſcopi plures & Comites cum diverſis hominibus. Egreſſi itaque per Vngariam & Greciam - - (10.) Rex ergo accepto conſilio *Gwelfoni* aliquos redditus de fiſco regni cum villa *Mardingen* conceſſit. ac ſic confirmata pace ipſe in breui poſt vita decedens *Friderico fratrueli ſuo* ſedem regni *cum Regalibus* reliquit. *filiumque* ſuum *Fridericum* adhuc puerum cum *Ducatu Sweuie* & omni *ſuo patrimonio* fidei illius commendauit, & ſic in pace migrauit.

Fridericus Imperator filius *Friderici Ducis & Judinthe ſororis Welfonis* regnauit anno ab Incarnat. Domini M. C. LII. Hic *Auunculo ſuo* Welfoni marchiam *Tuſcie*, Ducatum *Spoleti*, Principatum *Sardinie*, Domum comitiſſe *Mahthildis* in beneficio tradidit, & *Heinrico* Duci Saxonum filio *Heinrici auunculi ſui* Ducatum Bavvarie, *Patruo ſuo Heinrico de Oſterrich* ablatum *reſtituit.* tali compoſitione facta: vt que prius *Marchia*, exhinc *Ducatus per ſe* conſiſteret.

Anno II.o diuorcium factum eſt *Conſtantie* inter *Fridericum* Imperatorem & *Adilam* filiam *Diopaldi* Marchionis de *Foheburg.* Sequenti anno *Fridericus* expeditionem *romanam* aggreſſus eſt cum *Beatrice* uxore ſua filia ditiſſimi *Comitis de ſancto Egidio*: in qua imperiali benedictione ab *Adriano papa* ſublimatur. in feſto S. Michahelis recedens, & poſt annum in eodem tempore reuertens. Poſt hec Imperator *ſecundo* expeditionem in Italiam in Pentecoſten mouit propter rebelles *Mediolanenſes.* ſed quia ex leui eos vincere nequiuerat, Principes qui relicti fuerant, ſequen-

9. Hoc nomen hic quidem omiſſum ſubſtituo ex alio Codice coaeuo.

10.) Reliqua vt cit. cap. XIII. (usque ad §. XIII. vt autem iam monui: dum anonymus l. c. §. XII. Fridericum vocat *ſororium* Welfonis, *chronographus* rectius nominat illum *Nepotem ex ſorore.*

quenti anno ſubſecuntur. *Heinricus* videlicet Dux Bavvarorum & Saxonum circa Pentecoſten in mille ducentis loricis. *Gwelfo* vero *Patruus eius* circa feſtum *S.* Michahelis in trecentis loricis theutonicorum anno videlicet M. C. LVIIII. Eo anno pie memorie *Adrianus Papa* obiit, & *Alexandro* canonice electo ſciſma periculoſiſſimum inter ipſum *Alexandrum* & *Octavianum* cepit. Circa idem tempus in feſto S. Clementis diſcidium factum eſt inter *Heinricum* ducem Saxonie & Bavvarie & vxorem ſuam *Clementiam* filiam Ducis *Conſtantie.*

Ea tempeſtate legati Imperatoris a Cpolitana vrbe reuerſi quedam *magis ad miranda quam credenda* referebant in ſcriptis huiusmodi, & hoc ex relatione *gabulenſis Epiſcopi de Syria.* *Johannes* quidam Presbyter vltra *Perſidem* & *Armeniam* in extremo oriente habitans Rex & ſacerdos cum gente ſua Chriſtianus eſt ſed Neſtorianus. qui Perſarum & Medorum reges fratres *Saniardos* dictos petiit, atque *Ebactani* ſedem regni eorum expugnauit. Cui dum prefati Reges cum Perſarum Medorum Aſſyriorumque copiis occurrerent, triduo vtrisque mori magis quam fugere volentibus dimicatum eſt. Presbyter *Johannes*, ſic enim eum ſolent nominare, tandem verſis in fugam Perſis cruentiſſima cede victor extitit. poſt hanc victoriam Johannes Presbyter ad auxilium hieroſolimitane Eccleſie procinctum mouit. ſed dum ad *Tygrim* veniſſet, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuiſſet, ad ſeptentrionalem plagam, vbi eundem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexit. Ibi dum per *aliquot annos* moratus gelu expectaret, ſed minime hoc impediente aeris temperie obtineret, multos ex inſueto celo de exercitu amittens ad propria redire compulſus eſt. Fertur iſte de antiqua progenie illorum quorum in Euangelio mentio fit, eſſe Magorum, eisdemque quibus & illi gentibus imperans, tanta gloria & habundantia frui, vt non niſi ſceptro ſmaragdino vti dicatur. Eiusdem vero Johannis quanta ſit dignitas & potentia plenius cognoſci poterit ex epiſtola quam idem Emmanueli Imperatori grecorum per Apocriſarium ſuum miſit. (11.) Sed nunc redeamus ad ordinem. Imperator *Fridericus* tertio expeditionem in Italiam

11.) Haec epiſtola eodem hoc Codice inferius per extenſum continetur. ſed anilem fabulam tota quanta eſt olet.

liam mouit circa feſtum S. Mathei, & in ſequentis Paſche vigilia conflictum cum italicis habuit apud *Alexandriam.* Tertio poſt hec anno vnio Eccleſie ſub Alexandro Papa reddita eſt. Dehinc procedente tempore infra feſtum S. Galli & S. Martini imperator habita curia *Herbfurte* Heinricum ducem Saxonum & Bawarorum filium *Auunculi ſui* duobus annis bellis attritum iudicio principum exilii proſcriptione dampnauit, & *ducatum Saxonie Bernardo filio Alberti Marchionis de Anehalde* : *Noricum* vero *Ottoni palatino Comiti de Witilinſpach* conceſſit. - Quarto poſt hec anno filii Imperatoris Friderici *Heinricus Rex* & *Fridericus Dux Sweuorum* in Pentecoſten Moguntie arma ſumpſerunt. Eodem anno in Auguſto Imperator ſine armis Italiam ingreſſus eſt, & a *Veronenſibus* & *Mediolanenſibus* cum maximo honore ſuſceptus. Sequenti dehinc anno *Heinricus Dux Saxonum* poſt feſtum S. Michahelis *de Anglia* reuerſus eſt, *vtroque Ducatu* cum beneficiis omnibus, nec non PATRIMONIO deſtitutus : exceptis *Brunswich* & *Luineburc* & eorum appendiciis.

Sub hoc tempore *Saladinus* ſarracenus, vt aiunt, Rex Babilonie cum innumerabili Exercitu trans Iordanem veniens omnem *Paleſtinam* & Maritimam occupauit. ipſam Chriſti vrbem *Hieruſalem* cum reliquis ciuitatibus & caſtellis cepit, exceptis *Tripoli* & *Fo'r* que & *Tyrus*, & *Antiochia* & paucis caſtellis. Cuius facti miſerabilem caſum Principes transmarine eccleſie & ceteri chriſtiane profeſſionis homines lacrimabili conqueſtione ad aures romani ſummi Pontificis & ſereniſſimi imperatoris *Friderici* curauerunt deſtinare. Verum continentia litterarum tam inopinabile malum explicans circa feſtum beati Clementis in hec verba cepit publice recitari :

Accidit *prima die Maii*, quod venerabilis frater *Gyrardus de Ridefor* Magiſter milicie templi cum fratre *Hurſone* eiusdem Domus Seneſcalco : & fratre *Robberto Frauiel* Marſchalco : & fratre *Laquilino de mali* ſtrenuo milite : & venerabili fratre *Rogerio de Molina* Magiſtro Hoſpitalis, & aliis fratribus pro pace querenda cum Tripolitano comite, qui malignabatur aduerſus Regem Hieroſolimitanum, *Tyberiadim* pergerent. *Turchi* vero maximo exercitu barbarorum congregato ipſa die

ſum-

ſummo diluculo terram *Nazareth* intrauerunt, vaſtantes & depredantes eam ab ipſa ciuitate ſancta, in qua Angelus Gabriel beatiſſime Virgini apparuit, usque *Achor.* Igitur cum tam pertimeſcendus rumor auribus venerabilium nuntiorum predictorum fratrum *Girardi de Ridefort* Magiſtri Templi, & Magiſtri Hoſpitalis & ceterorum inſonaret, conſulentes Dominum exercituum & in eo confidentes in cuius manu eſt victoria, & antiquorum facta commemorantes, congregauerunt modicam cohortem Chriſtianorum : cum ipſa patrimonium Chriſti cupientes defendere. Exeuntes ergo de quodam caſtello templi quod *Faba* nuncupatur, direxerunt acies ſuas contra inimicos Crucifixi : & obuiauerunt eis vltra *Nazereth* in loco qui dicitur *Caſel* (*) *Robert.* Ilico communientes ſe ſigno ſancte Crucis dicentes : nobis viuere Chriſtus eſt & mori lucrum, inuaſerunt eos. & propter peccata chriſtianorum dedit eos Dominus in manus inimicorum ſuorum : & ceciderunt in medio campo *Magiſter Hoſpitalis* & frater *Robbertus Frauiel*, & frater *Laquelinus de Mali* & plures alii ſtrenui milites. pauci vero terga vertentes fugam arripuerunt. Inimici quoque Chriſti collectis interfectorum ſpoliis flumen *Iordanis* transierunt. quid plura? Ex tunc vaſtabat foris gladius & intus pauor. Interim *Saladinus* combuſtis vniuerſis frugibus & arboribus, & vineis extirpatis *montis terre regalis* reuerſus eſt *Damaſcum.* & interim exercitu multiplicato cuius numerus numerum excedebat, venit ad *pontem tyberiadis* : & fixis tentoriis manſit ibi. & poſt plurimos dies terram omnem exercitu ſuo intrauit, & *tyberiadem* obſedit, & poſt diem tertium ciuitatem vi cepit. Rex autem hieroſolimitanus, qui cum exercitu ſuo ad *fontem Saforie* tentoria & papiliones fixerat vel tetenderat, rumorem audiens accepto conſilio a templariis & hoſpitalariis & ceteris probis hominibus exiſtimauit diſpoſitis turmis ſuis Ciuitati ſuccurrere.

Saladinus vero audiens Regem venientem perrexit obuiam ei, & obuiauit exercitus exercitui. fuitque ibi clangor buccine & ſtrepitus equorum, & concluſit Dominus in gladio populum ſuum. quid amplius loquamur? proh dolor! venerabilis *Bernardus Liddenſis epiſcopus* capitis obtrunca-

*) F. *Caſtel.*

truncatione Martyr effectus est: & dominus *Rufinus Achornensis episcopus* qui crucem dominicam baiolabat sagitta percussus tandem mortuus est. ipsa vero Crux dominica, in qua de latere Christi sanguis & aqua manauit, capta est, & *Rex* in captivitatem ductus est, *Magister templi*, & *Aymericus* frater regis, & comestabulus, & nobilissimus princeps *Raynaldus*, qui propria manu Saladini peremptus est, & alii Christiani quorum nomina longum est enarrare tam seruientes quam milites, tam seculares quam venerabiles Fratres templi & Hospitalis. alii sagittati, alii lanceis perforati, alii gladiis truncati pro defensione christianitatis vitam finiuerunt. Volens itaque predictus Tyrannus virtutem dominice Crucis experiri, in presentia principum exercitus sui fecit eam in ignem vehementem prosterni. sed cum ilico egrederetur, stupefactus iussit eam in suo thesauro vehementer & reuerenter custodiri. hec igitur vobis notificamus lacrimabiliter deprecantes, quatinus pro redemptione animarum vestrarum Terre quam Christus suo Sanguine consecrauit, consilio & auxilio vestro succurrere dignemini. nec eam ab inimicis Christi diutius coinquinari patiamini. facta sunt autem hec anno ab Incarnat. Domini M. C. LXXXVII.

Sequenti anno *Fridericus Imperator* Romanorum Dominica in medio XL.e curiam Moguntie cum Principibus & Prelatis ecclesie habuit. vbi recitatis Literis de contritione transmarine ecclesie habuit. ipse dominus *Imperator* & filius eius *Fridericus Dux Sweuorum* cum episcopis, comitibus & innumerabili multitudine signo Crucis accepto, expeditionem Hierosolimis disposuit.

Item subsequenti anno circa festum S. Georgii Imperator expeditionem mouit cum filio Friderico & Comitibus & episcopis & innumerabili multitudine electorum militum. transiens autem per Vngariam in Greciam hyemauit *Andrianopoli*: & sopito tunc demum quod inter ipsum & Fratrem suum Imperatorem Constantinopolitanum fuerat dissensionis scandalo, accepit ab eo DCCC.tos obsides usque *Iconium* deducendos. & ministrante Greco mille quingentas naues & XX. Galeas in festo Pasche brachium S. Georgii, quod est *mare proponticum* omnem exercitum sancte

cru-

crucis traiecit VII. diebus, ita, quod nec vnus homo periclitatus eſt. vbi magnos legatos Soldani multe deuotionis baiolos accepit, & ſic cum inumerabili periculo ſuorum tam ex fame quam ex itineris aſperitate & frequenti paganorum incurſione circumuentus & deſolatus tam ab obſidibus grecis, quam a legatis Soldani, tandem circa Pentecoſten venit *Iconium*. qua ſubacta & omni recreato exercitu cum ſumma alacritate ceptum iter aggreditur. vbi cum ſummo honore a rege *Leone* chriſtianiſſimo cum ſua gente inter *montes Ange* (*) ſuſcipitur, ſed occulto Dei iudicio inter ipſos montes in quodam flumine prefocatus lacrimabili obitu vita priuatur. anno regni ſui XXXVIII.o Huius vero filius *Dux Fridericus* Princeps totius Exercitus conſtitutus *Antiochie* veniens, carnem quidem patris honorifice tumulauit, ſed oſſa usque *Accharon* transtulit: vbi & ipſe cum multis nobilibus migrauit. (12.)

Heinricus Imperator filius Friderici Imperatoris regnauit anno ab Incarnat. Domini M.o C. o XC.o [.o Opere pretium eſt hic inſerere diuiſionem ab *Imperatore Friderico* factam inter filios ſuos, inſtante videlicet expeditione transmarina, que talis erat: *Heinrico* iam pridem in Regem inuncto *procurationem Imperii* commendauit. *Friderico cum Ducatu Sweuorum omne patrimonium tam Altorfenſium quam Roudolfi comitis de Phullindorf conceſſit.* (13.) *Counrado* cum *Egire patrimonium Friderici Ducis filii Counradi Regis in Wizimburc* (**) & *Rotimburc* tradidit. *Ottoni cum patrimonio matris ſue* quedam beneficia reliquit. *Philippum*

*) Hos montes ex libro *Iudith* c. II. v. 12. transtuliſſe videtur chronographus hic noſter. ceterum mire torquet ingenia locus & flumen, quo tantus Heros dolendo caſu ſubmerſus eſt. Alberto Lubec: *Saleph*, aliis *Sapheth* aliis alio nomine cenſetur.

12.) Sed anno primum ſequenti, 1191.

13.) Vides hic Ducatum Sueuie a patrimonio Guelfico, quod deinceps ad Stauffenſes venit, palam diſtingui. vt hiſtoriae patriae exiguam habere notitiam illi arguantur, qui ex reliquiis comitatus Altorfenſis & Praefecturae ſuevicae titulo neſcio quas ſibi praerogatiuas & iura *Ducatus* fingunt. *Rudolfus* ille comes de Pfullendorff vt alias ſaepius occurrit in Charta 233. apud P. Hergott. Tom. II. p. 181.

**) Ambigua valde eſt Lectio. primum credebam legi debere *Witemberg*, ſed re adcuratius perpenſa ſcriptum auguror *Wizemburg* id eſt *Würzburg*.

pum vero minimum cuidam ſcolaſtico Colonienſi *in Clericum educandum* commiſit.

Igitur *Imperator Heinricus* ſopita Gwerra inter ſe & *Heinricum Ducem de Saxonia duos filios illius maiores* (14.) obſides accipiens, ex quibus *ſeniorem* ſecum habens Romam cum exercitu venit, & apoſtolica benedictione coronatus regnauit. Eo tempore defuncto *Willihelmo* rege Siculorum *Dancredus* quidam *Siciliam* inuaſerat. quem Imperator dum eicere diſponit, a *Neapolitanis* reſiſtentibus, in quorum obſidione laborabat, eſt impeditus. multisque de exercitu mortalitate percuſſis, cum & ipſe infirmitate deſperabili teneretur: qum etiam de obitu *fratris Friderici Ducis* ibidem certificaretur, vix recuperata ſalute anno ſequenti reuertitur. *Heinricus vero Dux iunior*, quem obſide illo adduxerat, circumuentum ſe dolens ad *Neapolitanos* confugerat. quorum conſilio & auxilio ad portum *Maſſilie* deſcendens euaſit, & ſic per *Galliam* in *Saxoniam ad Patrem* peruenit. (15.)

In inſtanti vero defuncto nobiliſſimo Principe *Welfone vltimo* (16.) Imperator ex Italia regreſſus occurrit in *Bouirron* (*) & illuc exanimi corpore delato exequias funeris ſatis honeſto celebrauit obſequio. ſicque tam *Ducatūm Sweuorum quam omne patrimonium Altorfenſium* per ſuos ad tempus diſponens, tandem *fratri ſuo Counrado* ipſum Ducatum cum ſupradicto patrimonio conceſſit.

Ea tempeſtate Rex Anglorum a transmarinis partibus rediens verſus *Aquilegiam* contra voluntatem deuectus, dum per *Carinthiam* & *Orientalem prouinciam* repatriare temptabat, a *Liupoldo* orientalium Duce ob quod-

14.) *Heinricum*, & *Ludgerum* ſeu *Lotharium* hic Juuenis obiit *Auguſtae* non ſine ſuſpicione veneni ei porrecti, ſaltem inde cautiorem factum *Heinricum* Heinrici Leonis filium mirum non eſt.

15.) Egregie hæc cum narratione *Stederburgenſis* conueniunt: immo magis dubia illuſtrantur.

16.) Eius videlicet *nominis*. etiamnum hodiernos *Reges Anglie - Brunswicenſes* & *Lunaburgicos Duces* Welforum ſanguine recta linea deſcendere quis eſt qui ignoret?

*) *Beuren - Kauffbeuren.*

quoddam latens odium per insidias comprehensus, Imperatori *Ratispone* presentatur. Cuius iussu in *Confinia Reni* deportatus in castro *Triuelsa* sub diligenti custodia prope per annum tenetur. Tandemque centum milia marcas argenti persoluens, & *hominium* Imperatori faciens liber in sua reuertitur.

Tempore sub eodem Imperator habita curia *Moguntie* in Pentecosten *Counrado fratri suo* & *Ludewico filio Ottonis Ducis Bavvarie* arma sumenda ministrauit. sed & vtrique Ducatum suum confirmauit. vbi *Heinricum filium Heinrici Ducis Saxonie gratia sua priuatum hostem publice pronuntiauit, eiusque Sponsam filiam Counradi palatini patrui sui Ludewico Duci Noricorum matrimonio coniungere modis omnibus laborabat.* Heinricus vero tali machinatione Imperatoris cognita dubie se sorti tradens sub specie peregrinationis cum quibusdam suis fidelibus ad castrum *Stalegge* festinanter accessit. vbi inuenta sponsa sua *matre puelle mediante* potitus est uxore. quod factum dum ad aures Imperatoris delatum est, efferatus animo aduersus *palatinum patruum suum*, qui eo tempore secum in *Spira* morabatur, minis & ira vehementer exarsit. Tandem palatino cum principibus & amicis agente, Imperator eundem *Heinricum* in gratiam recepit. factoque sibi sacramento *Palatium* (17.) cum suo iure illi concessit, & sic Gwerra inter eos hactenus agitata decisa est.

Post hec Imperator *Heinricus* largissime donatiuo erogato circa Pentecosten assumpto *Phylippo fratre suo minimo*, & *Heinrico palatino cognato suo* procinctum mouit in *Apuliam*, tam nauali bello quam strenuo milite capturus *Siciliam.* Dancredo vero viam vniuerse carnis iam ingresso, cunctisque nobilibus venienti Imperatori ad deditionem occurrentibus, tam *Siciliam* quam *Galabriam* & *Apuliam* sine marte cepit. Denique filiam Imperatoris *Grecie* nomine *Hyrene* infra nubiles annos positam, quam in palatio *palermensi* inuenit, *Phylippo fratri suo* in Matrimonio coniunxit : in beneficio traditis ei *Tuscia* cum *Spoleto*, & *omni*

17.) *Palatinatum.*

Domo Domine Mahthildis. ſicque omnibus pro voluntate illic diſpoſitis uxorem ſuam ſcilicet filiam *Rogerii* cum *paruulo filio* quem ex ea habuit, in Sicilia reliquit, & anno ſequenti regreſſus eſt.

Poſtea vero absque exercitu Imperator Italiam tertio ingreditur anno ab Incarnat. Domini M. C. XC. VI. Eo anno *Counrado Duce Sweuorum Imperatoris fratre* mortuo, *Phylippus frater ipſorum iunior* ab Imperatore ſuſcepto *Ducatu Sweuorum* a Tuſcia in ſucceſſorem fratris dirigitur. Ipſe vero Imperator in *Sicilia* conſtitutus dum de inſidiatoribus regni ſui ſollicitus cauſaretur, quemdam *Riſcardum* nobilem Comitem comprehenſum execrabili ſuſpendio dampnauit.

Ea quoque tempeſtate *Margaritam* quondam famoſum piratam, quem iam dudum in *confinia Reni* cum *filio eiusdem Riſcardi*, & quodam paruulo *filio Dancredi* Siculorum Tyranni, nec non & aliis Epiſcopis, Abbatibus & mulieribus per captiuitatem transtulerat, miſſa legatione quosdam exoculari, quosdam incarcerari ab inuicem ſeparatos precepit. ea propter dum plures *Apulorum* aduerſus eum malignarentur, callide comprehenſos quotquot habebat ſuſpectos, exquiſitis & crudeliſſimis mortibus extirpauit. Ipſe vero potentialiter regnans tam *Siciliam* quam *Calabriam* & *Apuliam* dum omnimodis edomitas ſibique ſubſtratas prout Iuuenis gloriatur, ſubito dolore correptus anno imperii ſui VII.o circa feſtum S. Michahelis inmatura morte decedit. Anno ab Incarnat. Domini M. C. XC. VII. (18.)

Quo

18.) Hic finit *Chronographus* noſter. paullo tamen recentiori calamo inferius ad *Honorii in geſta temporum* eiusdemque ſextam aetatem ſubiicitur continuatio usque ad *Philippi* obitum. poſtremi ſeculi manus ad *Honorii* nomen minio ſcriptum, atramento adſcripſit: *Auguſtodunenſis.* Recentiores quidam ſcriptores *Honorium Auguſtodunenſem* centum, immo ducentis annis iuniorem faciunt ac eſt. *Poſſeuinus* quidem Appar. ſacr. Tom. II. pag. 58. eum ad annum 1220. collocat. *Fabricius* vero Bibl. med. & inf. Lat. pag 813. - nec non *Joecherus* in Lex. Erud. Tom. II. col. 1693. omnino illum ad annum demum 1300. reiiciunt. At hos oppido falli conſtat ex *Trithemio* de Script. Eccleſ. pag. 54. qui eum ad ann. MCXX. refert. qui quidem annus cl. P. Bernardo Pezio *Diſſert. Iſagog. in Tom. II. Theſ. Anecdot. N. VI.* emortualis eſt. *Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiae* inquit, *in Burgundia Presbyter & Scholaſticus ab anno circiter MXC.*

Quo decedente quemadmodum in *Katalogo Romanorum Regum* prefignatum eſt, *Phylippus frater eius minimus*, qui *Counrado Duci Sweuorum fratri* videlicet *vtriusque* in Ducatum ſucceſſerat, euocatus ab Imperatore cum trecentis Loricis *Tuſciam* intrauerat. vbi dum pro recreatione ſuorum in caſtro quod dicitur *Mons flaſci* moraretur, vix de morte fratris Imperatoris ſcilicet ad certum edoctus, redire maturauit, & non

ſine

usque ad ann. MCXX. *non modica ſcribendi laude floruit.* meminit deinceps Codicis membranei in Bibl. Clauſtroneoburg. aſſeruati, & iam *ſaeculo XII.* exarati: huius de quo loquimur, Honorii Auguſtodun: *Elucidarium in tribus libellis* complectentis. Haec idcirco adnotaſſe neceſſarium fuit, ne quidquam vetuſtati codicis noſtri detrahatur, quaſi eſſet continuatio Scriptoris, qui demum poſteriori aeuo inclaruiſſet.

Ad calcem huius narrationis hic in margine addam, quae in *Chronico Weingartenſi* iam pridem edito, (quod vt iam monui eodem in Codice quo *Anonymus Weingartenſis*, continetur licet alia manu exaratum) de Heinrico VI. Imperatore eiusque fratribus habentur, ne quidquam praeteriiſſe videar ad hiſtoriam illius aeui pertinens: praeſertim quod *Caniſius* & hic Codice Auguſtano multoties deprauato ſit vſus. poſt carmen exequiale Morti Guelfonis VI. adiectum ſic reſumto calamo pergit Monachus noſter:

De ordinatione Heinrici Imperatoris.

" Anno ab Incarnat. Domini M. C. XCI. *Heinricus* Imperator filius
" Friderici Imperatoris magno electorum militum comitatus exercitu
" circa mediam XL. mam Romam ingreſſus eſt, & a Domno apoſtolico
" *Celeſtino* in ſecunda feria Dominice Reſurrectionis glorioſe conſecra-
" tus. a Roma vero digrediens cum eodem exercitu *Apuliam* infeſta-
" turus adiit, & obtentis quibusdam caſtellis circa menſem Auguſtum
" *Neapolim* obſidione vallauit. vbi maximum exercitus conſecutus eſt
" infortunium. nam ex inſolita corruptione aeris cecidere quique maio-
" res & nobiles, adeoque excreuit peſtis illa miſerabilis, vt idem Im-
" perator amiſſis viribus langueſceret, & relicta obſidione per montana
" rediens, mortalitatem illam quodammodo declinando vix euaderet.
" tranſiens ergo per terminos Alemannie, *Welfonem illuſtrem* cogno-
" uit occubuiſſe, cuius omne *patrimonium* ſuo mancipauit dominio.

ſine graui periculo ſuorum euadens *Auguſtam* deuenit. Exin profectus in *confinia Reni* a cunctis Optimatibus Regnique fidelibus cum alacritate multa ſuſcipitur, & proxima Natiuitate Dominica in *Hagenov* peracta, quotquot regales theſauros illic inuenit, large donando diſtribuit.

His ita geſtis citra vltraque *Renum* usque *Moſam* regni negotiis pro voluntate diſpoſitis, proxima Dominica XL. e collectis Principibus ſibi fauentibus in *Northuſen* regni apicem affectauit. Aſtipulantibus itaque Principibus, quorum precipui *Archiepiſcopus Parthenopolenſis*, *Dux Noricorum*, *Dux Saxonum*, *Preſes Turingie*, *Marchio de Miſne* cum aliis quam pluribus, ſingulis largis muneribus, beneficiis & promiſſionibus illectis in *Arnſperch* Rex creatur. de cetero *Colonienſis* archiepiſcopus malignabatur aduerſus eum, electionemque talem calumpnians cui nec *Moguntinus* Archiepiſcopus, ſeu *Palatinus regalis aule* interfuerint; ſiquidem in transmarinis partibus morabantur, conſpirantibus ſecum Epiſcopo de *Argentina* cum vniuerſis epiſcopis & Principibus *trans Moſam OTTONEM filium Heinrici Ducis Saxonie* Colonie vocatum Regem creant. que res ſeminarium cruentiſſime diſcordie fuit.

Otto

De captiuitate Regis Anglie.

" Eodem anno (*) *Leopaldus Dux Auſtrie Richardum Regem Anglorum* in Mari ignotis in partibus vento precipitatum, captiuauit, " & quamdam habens de eo transmarini negotii querimoniam, Imperatori tradidit. ſed inter ſe facta compoſitione idem Rex a Domino Imperatore ſatis honeſte dimiſſus eſt. circa terminum autem eiusdem anni Heinricus Imperator caſum prime expeditionis animo reuoluens, *Apuliam* conſultius diſponit inuadere : edictaque imperiali " Curia, cunctosque regni ſui conuocauit principes, illisque paratis " ad arma ſecunda in Apuliam iuratur expeditio, atque larga militibus dantur ſtipendia.

*) Quum Imperator primum menſe *Decembri* & quidem poſt 15. eiusdem, qua mortuus eſt *Welfo*, Alemanniam tranſierit, fieri non potuit, vt eodem adhuc anno *Richardus* ei adduceretur. Ergo id anno 1192. factum eſt.

Otto ſiquidem conſilio & auxilio cunctorum ſue partis ad vrbem *Aquisgrani* deſcendit, & eiectis inde militibus quibus eandem vrbem *Rex Philippus* preoccupauerat, in throno regali ſolenniter a quodam *Cardinale*, & Epiſcopo *Colonienſi* coronatus eſt.

Exhinc procinctus mouentur, exercitus congregantur, vaſtationes & incendia prouinciarum tam eccleſiarum quam ciuitatum ſecuntur, ſed magis ex parte *Philippi*, *Ottone* ſolummodo ad defendendum ſe laborante. porro *Philippus* dum nullo conatu *Aquasgrani* poſſet adipiſci, anno *regni ſui tertio* indicta curia *Moguntie* principes totius partis ſuperioris regni coadunauit, & preſentibus Archiep'is, epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus & Comitibus & innumerabili populo, nec non *Rege Boemie* cum multis *Saxonibus* a Patriarcha *Aquileie* preſente *Counrado epiſcopo Moguntino* ſolenniter conſecratus, *regalibus cum corona* potentialiter potitus eſt. poſt inde inaudita & futuris ſeculis incredibilia rurſus *annis duobus* patrantur piacula. Tandem *Preſidem Turingie*, qui prevaricans a ſe receſſerat, *Rex Philippus* ad deditionem coegit. Cui & *Heinricus palatinus frater ſcilicet Ottonis Regis* tum neceſſitate coactus, tum muneribus delibutus ſe dedidit, & hominio prebito quedam beneficia cum *Palatio* recepit.

De ſecunda expeditione.

" Anno M. C. XCIV. Heinricus Imperator coadunato milite circa " *Aſcenſionem Domini montana transſcendit*, & a Mediolanenſibus eum " maximo glorie apparatu ſuſceptus potenti manu totam ſibi ſubiuga- " uit *Apuliam*. *Palermam* quoque Metropolim *Sicilie* obtinuit, atque " *Margaritam* piratam peſſimum cum aliis perfidis captiuatum rediens " ante ſe premiſit. vtroque ergo regno tam *Romanorum* quam *Sycilie* " in pace diſpoſito Imperator glorioſus Hieroſolimitanum cepit iter " *diſponere*, pollicitisque non modicis ſtipendiis multos accendit ad " redimendam ciuitatem Domini.

" Infra idem tempus *Chounradus illuſtris Dux Sweuorum* mota Gwer- " ra aduerſus *Bertholdum* Ducem *Zaringenſem* omnes regni iſtius pene

Ea tempeſtate *Adoldus* colonienſis epiſcopus & ipſe muneribus corruptus *Ottone* relicto deditionem fecit, & hominio Regi *Philippo* cum ſacramento facto, a ſuis Ciuibus ſtatim eſt eiectus, illis in animoſitate ſua cum *Rege ſuo* perſeuerantibus. Rex itaque *Philippus* exercitu pergrandi collecto, conſilio & auxilio *colonienſis epiſcopi*, nec non *Heinrici palatini*, Ducis quoque de *Brabanden* Aquisgrani deſcendit, & in throno regali ab Archiepiſcopis ſcilicet *Colonienſi* & *Treuerenſi* vna cum *Regina ſua* glorioſiſſime coronatus eſt.

Item procedente tempore *Philippus Rex* cum procinctu *Coloniam* iam ſecundo inuadit, & omine fauſto magis adiutus quam vi, aciem procedentem ad pugnam cui *Bruno* epiſcopus intererat, qui ex mandato *Domni Apoſtolici* loco *Adoldi* epiſcopus tunc ordinatus fuerat, cuiusdam Ducis perfidi nomine *Waltram* conſilio premonitus, exterruit, fugauit, & in quandam munitionem ire coegit. vbi dum alii vulnerantur, alii occiduntur, reliqui cum Epiſcopo ſuo capiuntur. ſed dimiſſis omnibus Epiſcopus *Bruno* ſolus abducitur & in *Retiam* curienſem transportatus in caſtro *Amedes* (**) non ſine vinculis ſeruandus committitur.

Hactenus tali Gwerra inter *Philippum* & *Ottonem* protracta, tandem miſſi ſunt duo Cardinales ab apoſtolico ad pacem & compoſitionem inter Reges faciendam. ſed & ipſi poſt multos tractatus infecto negotio Romam regreſſi ſunt. Cum ecce ex diuine potentie iuſſione ſeu permiſſione *Philippus* ad vaſtandum *Ottonem* exercitu premiſſo dum minus

“ commouit prouincias. ſed eodem Bertholdo in magno terrore poſi-
“ to, morte preuentus *in menſe Auguſto* occubuit. pro cuius requie mi-
“ niſterialibus & hominibus ſuis mediantibus non parua cenobiis dona-
“ ta ſunt *allodia*. inter que monaſterio *Winigartenſi* collatum eſt pre-
“ dium in *Berngartruite* (*) cum eccleſia & omnibus appendiciis
“ nec non familia.

*) Hodie vulgo *Bergettreuta* trans ſyluam, ad viam regiam qua *Rauensburgo Meningam* pergitur, iacet.

**) *Altemſium* ſeu *Hohenems* hic intelligi reor.

nus caute in *Babenberch* in cubiculo meridiana quiete pauſaret, *Palatinus de Wittelinisbach* omnium perfidorum perfidiſſimus inopinate ſubiit, & velut iocando gladium gutturi glorioſi Regis inmergens ſolo ictu inermem vita priuauit. Anno videlicet XI. ex quo regnare cepit. X. Kal. Iulii. (19.) fretusque ſuis quos pre foribus ibidem isdem palatinus locauerat, illeſus euaſit.

Regis vero relicta *Hyrene regina* poſt X. hebdomadas plus minusue ex difficultate pariendi laborans, obitu miſerabili deceſſit. facta ſun t autem hec anno magni Cycli C. L. II. ſolaris Cycli XIII. decennoualis XII. lunaris VIII. Indictione vndecima, Epacta vna, concurrentibus duobus.

19.) Necrolog. Weingart. XI. Kal. Iul. ſed de hoc ſuo loco.

" *Heinricus* romanorum Imperator in *Apulia* poſitus audito triſti ru-
" more, vltra quam credi poteſt, animo conſternatus eſt. quippe cuius
" meſtitia ex tanti viri & *fratris* amiſſione vix alleuiari poterat. demum
" reſumpta conſolatione *Philippo fratri ſuo* penes ſe poſito Ducatum
" Sweuie conceſſit. qui quamuis puer, partes iſtas ingrediens terram
" ſatis ſtrenue rexit, *Herena* filia Regis grecorum aſſumpta in Matri-
" monium: quam pridem Imperator deuicto *Palermo*, filio *Dancredi* de-
" ſponſatam, illi copulauit.

" Anno ab Incarnat. Domini M. C. XC. VII. *Philippus illuſtris Dux*
" *Sweuorum* conuocatis cunctis terre iſtius Principibus, nec non ad-
" ducta uxore in inſigni equitatu in Pentecoſten glorioſe arma ſum-
" pſit in loco qui *Concio legum* dicitur. transacto poſtmodum aliquan-
" to tempore, aſſumptis iterum terre maioribus, nobili militum ap-
" paratu Dominum & fratrem ſuum Imperatorem viſitare volens trans-
" montanas partes adiit, vbi infauſto quodam exagitatus omine, vt in
" ſequenti linea videbitur, difficulter rediit.

" Anno ab Incarn. Domini M. C. XC. VII. Heinricus romanorum
" Imperator regnum totius *Sicilie*, *Apulie*, & *Calabrie* potenti manu
" nullo reſiſtente tenuit. ſed poſtquam multos indigenarum, vt aiunt,
" euaſit inſidias: poſt depoſitos terre illius Prefectos & Tyrannos:
" poſt direptas munitiones & caſtella, morte interueniente diem clau-
" ſit extremum.

Ea tempeſtate filii Belial diabolico furore ſe propellente res eccleſiaſticas tam monaſteriorum quam eccleſiarum tam intrinſecus quam extrinſecus diripientes : ſed precipue per *Sueuiam* & *Alemanniam* in locis, que ſub *Regis Philippi* ditione & tuitione principaliter conſtiterant, pene mortiferum fumum & nebulam deſperationis & timoris inuexerant.

Anno Domini M.o CC.o VIII.o OTTO Rex filius *Heinrici Ducis Saxonie* vniuerſis pene Principibus & Optimatibus romani regni coadunatis in *Franchonwurth* in feſto *S. Martini* omnium voluntate nec non fauore regno potitus eſt.

" Eximium ſydus lucens a ſydere refert. (id eſt differt
" Quod factor fidus ſtellis hoc munere prefert.
" Etheris infixa ſolio ſtat clarius vna. (ſc. ſtella
" Cornibus innixa noctis fugat abdita Luna.
" Sydera regali ſata partu *quina* ruere ,
" Lege *Pater* tali *Genitrix Sol*, *Luna* fuere.

III.

III.

VITA S. CONRADI EPISCOPI CONSTANTIENSIS.

Incipit prefatio in vitam beati Counradi Epiſcopi. (*)

Cum in amore Creatoris aliquid in creatura eius dignis laudibus predicatur aut colitur, ad eius procul dubio laudem refertur, qui auctor ipſius operis invenitur. Quia vero Scriptura dicit: mirabilis Deus in ſanctis ſuis; iure ad artificis laudem colligitur, quicquid in artificio laudabile vel mirabile maguis laudibus celebratur. Vnde ſcriptum eſt: laudate Dominum in ſanctis eius. ergo ſi ad ipſum immo quia ad ipſum Redemptorem noſtrum refertur quicquid ſanctis illius a fidelibus pro reuerentia exhibetur: conatu quo valemus memoriam abundantie ſuauitatis eius eructare debemus, virtutes ſcilicet eius quas per ſeruos ſuos operare dignatus eſt extollendo, & laudibus quam maxime claras efficiendo. ſi enim apud Deum in memoria in celis habentur eterna, quare meritum eorum taceatur

*) Haec S. Conradi vita eodem continetur codice, quo Anonymus de Guelfis, & vt videtur eiusdem etiam ſcriptoris manu eſt exarata.

ceatur in terra ? plurime quippe vtilitates fidelibus ſubtrahuntur, ſi Sanctorum geſta obliuione delebuntur. per *exemplum* enim plerumque diſcitur, quod per ſimplex preceptum minime retinetur. quapropter de vita & actibus precelſi confeſſoris Chriſti *Kounradi* aliqua quam paucis ſtilo cupimus exarare : dicta vel ſcripta precedentium non vituperando, ſed magis pro modulo noſtro ſequendo atque laudando. quedam etiam neceſſario his ſimpliciter adiciendo. ceterum fides dictorum penes Auctores erit : ad nos enim pertinet queque competenter ordinare, ad illos vero veritatem dictis obſeruare.

Incipit Vita S'ci Counradi epiſcopi.

I.

ILluſtris itaque KOUNRADUS preclariſſimis ortus natalibus velud eximium ſydus alamannorum rutilat in partibus. Cuius parentes in loco qui *vetuſta villa* (*) cognominatur, ſumma dignitate floruerunt, & quod eſt laudabilius circa diuinum cultum non mediocres extiterunt. nam mater eius in loco *Vinea* (**) dicto, qui adhuc quoque nobile monachorum continet monaſterium, *primo ſanctimoniales feminas* diuino mancipandas ſeruitio congregauit. vbi nunc quoque ipſa cum filiis ſuis *Roudolfo* atque *Welfone* (***) corpore ſepulta requieſcit.

Igitur

*) *Alt-dorf.* **) Vtique nondum tempore *Beatae* S. Conradi matris *Vinea* dicebatur, ſed tempore *huius ſcriptoris.* ruit hinc quoque fabula nullis innixa antiquis tabulis de *Iſamberto & Irmentrude* primis huius Parthenonis Fundatoribus, qui exeunte iam ſeculo 8.vo opus inchoaſſe narrantur, contra aperta teſtimonia Anonymi noſtri atque huius vitae ſcriptoris. nempe quum Welfonis I. parentes *hos ipſos* ſtatuere quibusdam fixum animo fuerat, opportunum ſimul ad faciendum fucum fuit, iisdem fundationem monaſterii affingere.

***) Temeraria prorſus manus hoc loco auſa eſt vti cultro raſorio atque textum corrigere in hunc modum : *ubi nunc quoque ipſa cum filio ſuo Rondolfo . . . . . ſepulta requieſcit.* commodum vero accidit, vt reperirem eamdem S. Conradi vitam in antiquo *Lectionario* Bibliothecae noſtrae ſeculo XIII. ex hoc ipſo codice deſcriptam ; vnde tuto licuit lacunam explere atque textum ſuae reſtituere integritati. nimirum quum Corrector ab anonymo cap. III. §. V. S. Conrado tribui fratrem

Igitur quaſi ex ameno prato exorto hoc flore flagrantiſſimo iubar illud ſancti Spiritus in ſacro fonte babtismatis conſecutum, & quandoque uniuerſo mundo ut eſt hodie magnis virtutibus rutilum, iam iamque domeſticis etate tenerrima habitudine corporis apparebat prematura. tum pia vultus meſtitia, tum quoque morum conſuetudine modeſtiſſima, ſenectus enim venerabilis inerat ei non diuturna neque numero annorum computata; cani enim ſunt ſenſus hominis & etas ſenectutis vita inmaculata.

Talibus itaque parentes eius auſpiciis incitati divino ſervitio decreuerunt eum quantocius mancipari: quatenus hoc indeſinenter inſtrueretur meditari, quod iam etatis ſimplicitate videbatur vultu proten-

Etichonem cerneret, eumdemque *Conſtantiae* ſepultum, erraſſe Hagiographum intulit tum in nomine, tum in ſepulturae loco, adeoque eum corrigi debere. at vereor ut recte! enimuero prope iam inter rerum guelficarum peritos conuenit, Anonymum noſtrum hic quid humanitus paſſum *duos* Rudolfos in vnum compegiſſe, atque *Ithae* oeningenſis Maritum pro fratre S. Conradi obtrudere inuita prorſus chronologia. haec enim Itha *Neptis Ottonis M.* qui anno 912. natus eſt, legibus viri non poterat ſubiici ante annum 961. quo Rudolfus frater S. Conradi ex recepta relatione pridem obierat defunctus anno 940. quod ſi contendas, ipſum non fuiſſe primogenitum, Piſtorii computum minus eſſe exactum, conſequenter eum diutius ſuperuixiſſe, ſaltem nemini perſuadebis Rudolfum eiusdem Beatae matris filium 30. vel 40. annis poſt S. Conradum fuiſſe primum in lucem editum: quod tamen conſequeretur; quia S. Conradus poſt 42. annorum Praeſulatum defunctus anno 76. *ad initium* ſaeculi X. natus eſſe debuit: Rudolfus vero ad eiusdem ſaeculi *finem* e viuis abiit, & quidem nondum *longaeuus*, vt conqueritur eius uxor Itha in vita S. Altonis n. 10. Poſtquam ergo Anonymus Weingartenſis ſemel aberrauit in aſſerendo *Rudolfo Ithae marito*, quaſi S. Conradi frater fuiſſet; mirum non eſt, quod & Etichonem eiusdem B. Praeſulis germanum affirmarit.

Ipſi Eccardo maiorem mereri fidem Auctor vitae S. Conradi hic videtur. & merito quidem; quoniam hagiographus in praefatione teſtatur, *praecedentium ſe* ſcripta fuiſſe ſequutum, qui ergo ad tempora S. Antiſtitis propius noſtro Anonymo pertigerunt. quae quidem res permagni momenti eſt. hactenus enim viri doctiſſimi filum genealogicum non niſi per *Rudolfum* fratrem S. Conradi continuare auſi ſunt propterea, quod ex monacho Weingartenſi noſſent praetenſum eius fratrem *Etichonem* ſine prole maſcula deceſſiſſe. Inſuper quoniam verus S. Conradi frater Rudolfus anno 940. iam obierat, neceſſe fuit vnum aut duos etiam intercalare deſcendentes vt ratio temporis haberetur. anxie ergo qui relationem ad Welfos haberet, inueſti-

protendi. liberalibus demum ſtudiis conſecratus tantum acumen ingenii per ſupernam inſpirationem paulatim eſt conſecutus, ut in morem ſtudioſiſſime formice tanquam ex fertili ſegete diverſorum librorum ſapientie opima verba veluti frumentorum grana colligeret, que in horreo cordis ſibi multisque aliis poſtea famem verbi Dei ſedatura comportaret, atque ut apis prudentiſſima ex multigenis ſententiarum floribus mella conficeret, quibus quandoque multorum fauces predicando demulceret, ſecundum quod ſcriptum eſt: quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine ſuper mel & fauum ori meo, ut annuntiem omnes predicationes tuas in portis filie Syon. congregabat ſibi quippe in iuuentute quibus refectus non deficeret in ſenectute.

Videntes itaque parentes illuſtris pueri quod ſapientia ſibi in corde illius ſeptenis columnis Spiritus ſancti domum edificaret gratulabundi gratias retulerunt bonorum omnium largitori, atque perfectius imbuendum *Clero ſancte Conſtantienſis Eccleſie* curauerunt eum attentius commendare. inter quos poſitus quia accenſam lampadem iugiter ſtuduit habere per cotidiana virtutum incrementa lucere cepit quaſi maximum luminare. non enim ut ceteri conſodales eius laſciviam ſecutus eſt mundi, ſed die ac nocte meditabatur in lege Domini ſemper intentus in id, quod vocatus fuerat ſanctum miniſterium deſiderio ſpiritali. iam tunc de profectu tanti filii riſum fecerat Deus matri Eccleſie, ſicut olim legitur feciſſe ſanctiſſime Sare; quippe que illum ſe gaudebat peperiſſe per quem omnes gentes benedicendas iam dudum audierat ex repromiſſione.

II. Eo

gabatur. Eccardus certe confidenter inſeruit *Wolfradum*, ſeu *Wolueratum* comitem qui inter teſtes conſtitit Diplomatis Ottoniani de anno 973. Conſtantiae dati. *Wolfradus enim*, inquit *idem eſt ac Wolfhardus, ſeu Welfus.* verum pace tanti viri dixero, hanc aſſertionem mihi non probari. equidem in monumentis noſtris Welforum fere ſinguli ſub *Welfhardi* nomine, ſub *Wolfradi* nunquam occurrunt. hoc *Veringenſibus* Comitibus quaſi gentilitium fuit, vt vel ex *Hermanno Contracto* ſatis conſtat, conſtabitque amplius ex Chronico *Iſnenſi* inferius afferendo. Itaque quamdiu ex antiquis ſcriptoribus tot nobis *propriae ſtirpis* occurrunt viri, qui genus ipſi propagare potuere, inconſulto aliunde aduocandos nullos eſſe reor.

Ponamus ergo Heinrico & Beatae *Welfum* hunc poſtremum fuiſſe thori coniugalis munus, natum C. a. 910. - 915. & diem clauſiſſe extremum C. a. 960 - 965. ſi ei *Ru-*

II.

Eo tempore cathedram Conſtantienſis Eccleſie regebat venerandus Pontifex *Notingus* nomine , qui iam ſepe dictum atque dicendum ſpectabilem puerum Kounradum a genitoribus ſuſceperat educandum ; ut ſicut Moyſes Joſue , ita ille hunc ſibi enutriret ſucceſſorem. cernens autem preſul morum dignitatem cum generis nobilitate in illo convenire quemadmodum Patriarcha Jacob filium ſuum Joſeph , ita hunc iſte pre omnibus coequeuis cepit adamare , excolere , atque inſtruere ; utpote quem vas electionis domino futurum prenoſcebat , quemque cuncta que didicerat moribus exercere preuidebat. optime vero indolis adoleſcens virilis etatis metas attingens iam iamque ſcintillantia carnis deſideria iugi caſtigatione corporis refrenabat , atque celibem vitam ſectando capud ſerpentis ſibi inſidiantis fide non ficta , ſpe non deficienti , atque caritate flagranti conculcabat. ſimplicitatem namque columbinam per prudentiam exornabat ſerpentinam. nequaquam animum inerti ocio commodando , ſed piis ſtudiis intentus ſemper in melius proficiendo. quibus virtutum pennis ſubleuatus per eccleſiaſticos conſcenderat non inmerito gradus : donec perfectionis culmen aſſecutus prespiterii eſt honore digniſſime functus. non ergo tunc quemadmodum Nadab & Abiu ignem alie-

L num

dolfus filius C. a. 945. natus ſit , circiterque annum 970. matrimonio *Ithae oeningenſi* iunctus : ac tandem quinquagenarius obierit C. a. 995. iuſte certe conqueri poterat Itha orbata viro , quod inmatura morte Welfi nondum *longaeui* vita excederent.

At , ais , monachus Weingartenſis *Rudolfo fratri S. Conradi* generis propagationem & Filios tribuit *Heinricum* , *Welfum* & *Richgardim* filiam (cap. IV. §. 3.) non *Welfoni* ; quem ne quidem ex nomine nouit. Ego vero repono , monachum tribuere dictos liberos Rudolfo *ex ſua Itha* progenitos. atqui conſentiunt hi ipſi eruditi , quos forte aduerſarios experiar , Rudolfum *maritum Ithae* non fuiſſe S. Conradi fratrem , ſed hoc iuniorem ſcilicet *nepotem* , tametſi aliud viſum fuerit noſtro. Deinde fateor *Weingartenſem* Welfum ignoraſſe : immo haec cauſſa fuit , vt vtrumque Rudolfum in vnam perſonam confunderet. quid enim ageret ? ex tribus fratribus vnus erat Epiſcopus , alter ſine legitimi Matrimonii copulatione obierat : ergo *Rudolfo* adſcribenda erat uxor & liberi - nec ego improlem eum obiiſſe credo : at uxorem *Ithan* & proles ſupra memoratas *alterius* Rudolfi eſſe conſtat.

num ſacrificiis offerens iracundiam altiſſimi provocauit, ſed ſpiritu feruens domino cum timore ſeruiens acceptabilem victimam contrito corde & humiliato ſpiritu in ara Crucis inmolabat, dignisque muneribus Chriſtum placare non ceſſabat.

III.

Predictus vero Pontifex eius inexhauſta prudentia prouocatus familiarius illum ſibi adoptauit: conſiliis eius domi forisque in omnibus vti cepit, vniuerſa epiſcopii negotia ad eius nutum cedere conſtituit. videbat enim quia in conſilio impiorum non abiit, & in via peccatorum non ſtetit, & in Kathedra peſtilentie non ſedit: ſed in lege Domini voluntas eius ſimpliciter gradiens vias Domini rectas ſine querela. & ideo iuſtum erat, vt lucerna ardens & lucens modio non tegeretur, ſed ſuper candelabrum ad

Cur autem *Welfum* ignoraſſet Anonymus noſter, ſi fratrem hunc habuiſſet quoque S. Conradus? pridem hanc quaeſtionem ſoluerunt viri docti dicentes: monachum Weingartenſem plerumque eorum duntaxat illius gentis inieciſſe mentionem, qui benefici in ſuum monaſterium fuiſſent. & recte! horum enim nomina ex chartis donationum ſeu libris traditionum diſcere poterat, aliorum non aeque.

Puto igitur, tres fratres ampliſſimam haereditatem pro more illorum temporum inter ſe fuiſſe partitos. *S. Conrado*, licet Monachus vel Clericus eſſet factus, tractus *trans Schuſſam* flumen obtigit, vt ex concambio inter germanos inito conſtat. *Rudolfo* cis flumen poſita ceſſere - Rhetiae Curienſis - Alſatiae loca. & Welfo - ? *bauaricae* ditiones, ſuſpicor, auita horum Principum allodia. certe Biographus S. Altonis n. 6. de *pluribus* conqueritur, qui res Monaſterii vſurpaſſent, *tantique loci fuiſſent poſſeſſores pompae ſecularis & curae familiaris ſtudioſi magis quam diuinae ſeruitutis.* itaque prope S. Altonis Monaſterium caſtrum incolebant Welfi etiam ante *Rudolfum* parentem illius qui vulgo *Catuli* nomen ſortitus erat.

Heinricus certe is non erat, qui patiebatur *locum annullari*, quum ipſe iunctis in vnum coetum Monachis *Ammergouienſibus* in Altenmunſter *Abbatiam ſatis diuitem perfecerit.* ergo illae vexationes tribuendae ſunt *filio* ac *nepoti*, qui illic principabantur. Quid? quod Auentinus Lib. VI. nobis nomen quoque prodidit illius caſtri, quod Welfi inhabitauerunt? *Ille* (Welfo fecundus) *in Welphouen . . in ripa Geloni in ſuperiore Vindelicia habitauit; vnde is locus ab eo cognomen traxit . . . . hunc que Welfonem primum, nimirum Lycatiorum atque Ambronum Tetrarcham Scri-*

ad lucendum omnibus qui in domo ſunt poneretur. Sed & clerus ſancte ConſtantienſisEccleſie induſtria eius incitatus communi decreto atque vno omnes animo *Prepoſitum* ſibi elegerunt, cunctisque eccleſiaſticis rebus ad ſe ſcilicet pertinentibus prefecerunt. Quique omnibus prepoſi-

ptores Baioariae vocant. Rudolfus II. huius filius uxorem habuit Itham ſuevam genere . . filiam Conradi Oeningenſis &c. alium Aventinus hic intelligit ab eo Welfone, quem vulgo *ſecundum* dicimus; hic enim *filius* erat Rudolfi non *pater*. In hac ergo hypotheſi ſequens prodit shema:

Heinricus Comes - ux. Beata de Hohenwarth
† c. a. 920. † c. a. 930.

Rudolfus - ux. N. † c. a. 940.
Welfo ux. N. † c. a. 960.
S. Conradus ep. Conſtant. † 976.

Eticho ep'us Auguſt. † 987.

Eticho. † Conſtantiae.
Rudolfus † c. a. 995. uxor Itha † c. a. 1020.

Richgarda. Maritus Adalbero Comes de Eberſperg in Bauaria.
Heinricus † c. a. 990. Inuenis in venatione.
Welfo † 1030. ux. Imiza † 1060.

Chuniza - marit. Azzo marchio Eſtenſis.
Welfo improlis. † 1055.

Welfo Dux Bauariae &c. † 1101.

Nec mouere quemquam debet, quod ille Welfo *Beatae filius* hic in *Altdorf* ſepulturae traditus dicatur. enimuero & poſteri eius, licet de iis certo conſtet, quod frequentius

tus creditam domum vt Ioſeph prudentiſſime gubernabat, atque vt ſeruus fideliſſimus conſeruis in tempore tritici menſuram prudenter miniſtrabat. iam tunc demum accepta opportunitate quaſi lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet & omnia quecumque faciet proſperabuntur : ſic iſte Deo & hominibus dilectus omnia iuſte ac prouide diſponendo, pauperes ſolando, diuerſis calamitatibus oppreſſis ſuccurrendo, in iudiciis normam iuſtitie cum moderamiue diſcretionis retinendo ſemet per omnia inreprehenſibilem exhibendo, ita carus & acceptus factus eſt omni populo, vt ſe non mediocriter gratularentur talem ac tantum promeruiſſe prouiſorem, per quem cuncta Eccleſie negotia in melius reformauerant ſuum vigorem. Dominus enim erat cum eo & omnia in manu eius dirigebat, & multiplicauit tam in edibus quam in agris cunctam eccleſie ſubſtantiam. & quia ſcriptum eſt, qui fidelis eſt in minimo, & in maiore fidelis eſt, quoniam fidelis in minimis extitit, ad maiora illum protinus diuina prouidentia ſublimauit.

IV.

Denique cum reuerende memorie *Notingus* pontifex viuendi metam attingens morti debitum exſoluiſſet, ouile Dei orbatum quia ſine paſtore eſſe non poterat, ſummopere querebatur quisnam tanto nomini dignus inueniretur. Aderat tunc forte ſanctiſſimus ac Deo diguus *auguſtenſis* eccleſie Antiſtes *Oudalricus* ad tumulandum defuncti preſulis cor-

in Bauaria habitarint, tamen in Sueuia & in Monaſterio Altdorfenſi ſibi ſepulcra delegerunt; idcirco maxime autumo, quod tunc Altomunſter *nulla veneratione congrua viſitaretur*, vt loquitur Hagiographus l. c. Principes autem in celebribus & religioſo cultu frequentibus locis tumulum quaererent. accedit, quod poſtquam frater ſuus Rudolfus (vt videtur ſine haerede, Etichone iam in clerum Auguſtanum adſcito) defunctus fuerat, patrimonium etiam ſueuicum ad ipſum deuolutum ſit, vbi ergo per interualla habitare, mori & tumulum inuenire potuit. atque haec quae hactenus fuſius diſputaui non tam aſſerendo quam coniectando dixerim. neque enim in re tam perplexa Judicis mihi partes ſumere auſim. hoc ad calcem moneo: tametſi Anonymus Weingartenſis & S. Conradi Biographus *eadem manu* in codice noſtro videantur exarati, *Auctores* tamen eſſe diuerſos; alias in nominibus homo vnus non variaſſet.

corpus, vel potius vt reor, *ad consulendum viduate ecclesie* diuinitus destinatus. Verum cum hic quasi Dei oraculum summa vt decuit cum reuerentia pro eligendo pontifice consuleretur; vtpote qui & sanctimonia vite, etatis ac sapientie maturitate apud Deum & homines clarus habebatur. ille spiritu instructus consilii triduano ieiunio rem querendam decreuit a gratia Christi, vt summus pastor relictis ouibus talem sibi vicarium dignaretur ascisscere, qui vicem suam digne velit vel possit adimplere. Omnes itaque quasi celesti commonentur edicto: faciunt imperata cum spiritali gaudio, animo promptissimo atque deuotissimo. Igitur postquam expectata tertia dies illuxit vniuersa Concio in vnum conuenit, virique Dei Oudalrici quasi diuinum presagium a cunctis tanta vnanimitate prestolatur, vt quem ille denominaret voce, procul dubio ab omnibus pastor eligeretur absque vlla cunctatione. Ipse vero inspiratus ab eo qui dixit: aperi os tuum & ego adimplebo illud, *Kounradum* pridem prepositum omnibus offert eligendum; quia ex meritis precedentibus inuentus est dignus subire tanti regiminis pondus. Clerus ergo, senatus ac populus hoc preoptato viri Dei audito preconio inmani gaudio repleti vocem in altum extulerunt cum ingenti iubilo supremi pastoris laudantes clementiam, qui seruis suis talem monstrare dignatus est prouidentiam. sane cum clerici predicarent multitudini quia Kounradum sibi Dominus pontificem elegit hodie, nullum in tanta multitudine murmur resonabat reprehendentium, sed sanctitatis eius preconia ab omnibus ad Celum ferebantur piis vocibus exultantium. secundum Apostolum enim bonum testimonium etiam ab his qui foris erant habebat. quia vt supra dictum est, ab ineunte etate usque in presens angelicam vitam inter homines inreprehensibiliter agebat. Itaque felix Mater Constantia Kounradum licet multum renitentem, seque tanto oneri imparem vociferantem, patronum promeruit, per quem quasi post tenebras egypti splendore columne ignis a Domino vsque hodie meruit illustrari. Anno igitur dominice Incarnationis *nongentesimo tricesimo quarto* illustris Kounradus canonice electus condecorari meruit infulis pontificalibus, atque ciuitas summi Regis ecclesia tanto speculatore feliciter est premunita.

V.

Ille autem ſuper ſpeculam Domini poſitus dormitantem pigritia ſeruum non eſt imitatus, ſed ſecundum nomen ſuum *ſtrenuo conſilio* (*) pro domo Iſrael factus eſt murus ereus, cuſtodias gregis ſui obſeruans (**) ſollicite, annuntians pacem his qui prope & pacem his qui longe, iuxta illud Eſaie: quam ſpecioſi pedes euangelizantium bona predicantium pacem! non enim ſubterfugit quo minus conſilium Dei ſubiectis annuntiaret. vnumquemque eorum monens a prauo declinare, bona vero facere, & in his laborantes non deficere, quatenus tempore meſſis gaudentes mererentur in benedictione metere, que nunc in lacrimis de benedictione ſatagerent ſeminare. Hec itaque agens & ſemetipſum a ſanguine omnium emundans per cottidiana virtutum incrementa ſemper ad alta proficiebat, cum corpus ſuum ieiuniis, vigiliis & orationibus caſtigando & in ſeruitutem redigendo per artam & anguſtam portam intrare nitebatur. & quamuis adhuc in terris carne videretur, iam tamen in celeſtibus tota mente verſabatur. iam Chriſto cruci confixus erat. iam illi viuere Chriſtus & mori lucrum erat. iam diſſolui & cum Chriſto eſſe cupiebat: permanere autem in carne propter electos adhuc magis neceſſe erat. nempe cuncta, que aliis predicabat opere ipſe prius exercebat, reputans ne forte cum aliis predicaret, ipſe reprobus efficeretur. Juſtitia indutus eſt quaſi veſtimento & quaſi diademate iuditio ſuo; quia iuxta beatum Job oculus fuit ceco & pes claudo, & cor vidue conſolatus eſt, tribulatis adiutor oportunus, merentium conſolator benigniſſimus. Pater erat pauperum, quibus etiam ex propriis ſumptibus *Conſtantie* inſtituit *hoſpicium*: vbi decreuit, vt cottidie duodecim alerentur, exceptis duntaxat paſſim ſupervenientibus peregrinis, quibus affatim miſericordia impenderetur.

VI.

Suſpirabat iugiter ad ſupernam patriam, atque deſiderii calore ad videndum Deum Deorum in Syon ſuccenſus *peregre factus tertio venit Hie-*

*) Kuon - rat. **) Ms. habet *obſeruandas* calami errore.

Hieroſolimam: hac ut reor intentione, quatenus ex huius viſione mens ſibi magis flagraret in illius amore. Dolebat namquequodam modo ſe tamdiu a Domino peregrinari, ita vt videretur cum Apoſtolo Paulo conqueri, quamdiu ſumus, inquid, in hoc mundo, peregrinamur a Domino. Ibi quoque, hoc eſt in terra repromiſſionis, carne reſolui & in terra viuentium cupiebat ſpiritu collocari, vt ſi poſſibile eſſet corpus in hac, ſpiritus vero in illa terra repromiſſionis diem ſupremum expectaret. Sed ſuauis Dominus vniuerſis, cuius miſeratio ſuper omnia opera eius Kounradum nobis reſeruabat, per quem nebuloſam patriam noſtram illuminari disponebat. Itaque diuina inſtigante prouidentia ad eccleſie ſue deſtituta reuerſus ouilia ſobrie & iuſte & pie viuendo beatam ſpem aduentum glorie magni Dei & Saluatoris noſtri Jeſu Chriſti expectauit, indefectiue ad omnes bonum operando, maxime autem ad domeſticos fidei usque in finem perdurauit. Nullum namque tempus ocioſe preterire paſſus eſt, ſed orationi aut lectioni intentus ſiue verbum Dei predicans ſpiritalia lucra ſectabatur, precauens quoque ſubiectis arguendo, obſecrando, increpando cum omni tamen pacientia & doctrina, ne in aliquo detrimentum gregis ſui patiatur. Edifficiis quoque aut veteribus renouandis, aut nouis conſtruendis, infudauit. in quibus *tres eccleſias a fundamentis conſtruxit, & ex ſuis prediis dote liberali ditauit.* quarum vnam quidem in honore *S. Mauritii*, in cuius medio *figuram dominici Mauſolei* auro & argento decoratum conſtituit. Alteram in honore ſanctorum *Johannis babtiſte & Johannis euuangeliſte.* tertiam vero *extra muros ciuitatis* in honore ſancti *Pauli* apoſtoli dedicauit. Super hec omnia *congregationem quoque cleri apud ſanctam Mariam* nobiliter augmentauit. ipſam eccleſiam multis poſſeſſionibus ditauit, ac precioſis metallis decorauit. profecto cunctis liquido declarans, quia dilexit mandata Dei ſuper aurum & topazion. nam cum bonis omnibus in hoc mundo abundaret, quibus temporaliter vti atque florere potuiſſet, paupertatem ſibi pocius elegit, nec ſpem ſuam in incerto diuitiarum poſuit, ſed in Deo viuo, qui preſtat omnibus abundanter ad fruendum. Ergo omnibus in Dei ſeruitio erogatis liber ac expeditus miles Domini aduerſario congreditur nec ſuperatur,

quia

quia veluti animalpennatum oculis vndique plenum circumquaque se suosque prouidebat animo circumspecto, ne aliquis aditus pateret inimico.

VII.

Non ferens talia humane salutis inimicus aliquam molestiam quieti quam in Christo possidebat, inferre machinatus omnimodis ei insidiatus est, sed nulla ad eum arte pertingere permissus est: sed sicuti vulgo dicitur, vbi per se venire non potest diabolus, illuc dirigitur eius nuntius, per membrum illius temptatus est seruus Dei *Kounradus*. nam tempore aliquanto post exactos sacros dies Quadragesime cum quasi post labores egypti, paschalis agnus debuisset immolari, verus Israhelita *Kounradus* ipso *die Dominice Resurrectionis* sacro sancta misteria celebrare exorsus est. Cumque initia sacre celebrationis deuote peragerentur, & iam carnes Agni incontaminati & inmaculati Jesu Christi ederentur, diuinorum mysteriorum tractator libamen Sanguinis Christi pariter degustandum ori propinauit. Et ecce subito, vt reor, inmissu tortuosi colubris, aranea in calice Christi inuenitur, mirumque in modum vita morsque in vno vasi includuntur. hoc viso vir Dei parumper quid ageret trepidus, sed mox in se reuersus atque in eo confisus qui dixit: si mortiferum quid biberint, non eos nocebit, vitam & mortem fiducialiter simul exhausit: nec morte ledi potuit, quem vita perennis seruauit. Videntes autem hec qui aderant, paschalia illis gaudia inmanis de periculo Sacerdotis adimebat tristicia. ille autem in virtute Dei confortatus populum sacra communione refectum atque benedictione pontificali premunitum dimisit. ipseque quasi pransurus cum suis ad mensam accessit. Tum itaque pater Kounradus aliis epulantibus ipse abstinuit, nec ori quicquam applicauit. pro qua re a quibusdam interrogatus, dum se hospitem in proximo aduenturum sustinere responderet, capud protinus super mensam posuit, apertoque egressum belue patefecit. & ecce illa venenosa bestia subito per aditum oris erupit, virumque Dei incolumem reliquid, interciſaque paschalis festi gaudia omnibus letiora portauit. quem enim sibi locum ibi vendicaret diabolus, vbi iam man-

sionem

fionem ſibi fecerat Spiritus almus? que enim conuentio Chriſti ad belial? aut qui conſenſus templo Dei cum idolis? (*)

VIII.

Cum igitur Dominus famulum ſuum *Kounradum* hoc mari magno & ſpacioſo transmeato in celeſti palatio collocaſſet, quandoquidem mors per ſucceſſiones hominum & temporum cuncta obliuione, niſi ſepius replicentur, ſolet abolere: Redemptor humani generis meritorum eius magnitudinem ſignis & prodigiis voluit clarificare. vt iuſtitie eius obliuionem in ſeculum nequaquam poſſint accipere. tantam denique gratiam ſue largitatis apud oſſa eius cunctis diuerſis calamitatum miſeriis laborantibus dignatus eſt omnipotens Deus oſtendere, quantam nullarum etiam diſertiſſimarum exprimere valeat facundia linguarum. paucis tamen attingamus, vt vel veſtigia ſanctitatis eius querentibus quoquo modo oſtendamus.

De ſignis ſancti Counradi epiſcopi.

IX.

Igitur cum per multa temporum curricula diuerſis temporibus plurima apud ſepulcrum beatiſſimi Preſulis Kounradi miraculorum clare-

 ſcerent

*) Vita S. Conradi a Leibnitio Tom. II. Script. Brunswic. edita *tribus numeris* auctior eſt, viderique poſſet, quod Codex quo ipſe vſus eſt, a iuniore *interpolatus* ſit. verum vt nihil diſſimulem, quum in codice noſtro nihil de eius obitu, annis pontificatus ſui aut Incarnationis Domini, memoretur, magnopere ſuſpicor, oſcitantia librarii noſtri forte integrum folium fuiſſe praetermiſſum. Interim tamen numerus VIII. & IX. illic occurrentes talia complectuntur, quae viri iam magis creduli ſimplicitatem arguunt. maxime vero momenti eſt N. X. quo notae chronologicae afferuntur, quibus annus Incarnationis quo defunctus ſit, dies item emortualis, nec non tempus quo epiſcopalem ſedem tenuit, exacte determinantur. " Sedit autem in epiſcopatu, inquit, *annis* " *quadraginta duobus*, anno vero dominicæ Incarnationis *nongenteſimo ſeptuageſimo* " *ſexto*, regnante *Ottone Imperatore ſecundo*, *ſextò Calend. Decembris* feliciter migra- " uit ad Dominum.

ſcerent inſignia, celebre nomen eius vbique ferebatur. factum eſt autem temporibus venerandi Antiſtitis *Gebehardi* eiusdem nominis *tertii*, (*) placuit eidem epiſcopo & conſilio habito cum beate recordationis *Heinrico* prepoſito ac vicedomino eiusdem loci, ac totius cleri ac populi, contionis voto in vnum concordante, *transtulerunt Corpus eius de priori ſepulcro in eccleſiam ſancte Dei genitricis Marie* (**) ibique cum omni honore & reuerentia poſuerunt illud *retro Altare S. Crucis* ſub pulpito eiusdem eccleſie, ne videlicet clariſſima lucerna ſub modio lateret abſconſa, ſed omnibus qui in domo ſunt eius claritas fieret manifeſta. prefatus vero *Heinricus* prioris locum monumenti *altius exſtructum* celebri memoria decorauit. capellam etiam antiquitus inibi conſtructam, ſed tunc deſolatam deſtruxit, aliamque in ſublimi edifficauit, quam in honore *ſancti Nicolai* dedicari fecit. Nouum etiam tumulum variis ornamentis decorauit, idemque totum eiusdem loci clauſtrum renouauit, nouisque ſtructuris exornauit. Nunc ergo quia *priorem* (***) beati viri translationem perpaucis expediuimus, aliqua etiam de miraculis eius breuiter explicemus. in quibus tamen lector a nobis ordinem quo quid tempore factum ſit, non requirat, ſed ex innumeris pauca admodum recognoſcens, ex his ad amorem celeſtium aliquatenus quaſi confricatus incaleſcat.

Duo igitur ceci a natiuitate ad tumbam ſancti Pontificis *Kounradi* perducti, perque eius merita protinus ſunt illuminati. & quod per natiuitatem minus habuerant, per gratiam pii interceſſoris a Deo promerueRant. ex hoc nempe liquet facto, quod intus per hunc geratur in occulto. quia videlicet qui viſum reddidit carnaliter orbis, multo libentius fideliter poſtulantibus eterna lumina pandet peccatis obtenebratis.

Preter-

*) Ex Ducibus *Zaringiae*. praefuit exeunte ſaec. XI. & fatis conceſſit anno 1110.

**) Ergo e templo S. Mauritii translatum fuit in eccleſiam *Cathedralem*.

***) Ergo & *ſecunda* ſeu *poſterior* translatio tempore huius Biographi iam facta fuerat, de qua tamen nihil in *codice noſtro*.

Preterea quidam priuatus inceſſu beati Kounradi interceſſu die noctuque flagitabat ſanitatem promereri, quo ſarcinam Corporis firmis valeret greſſibus ſuſtentari. hoc dum ferme ſex menſibus infatigabiliter gereret, & quadam die orationi attentius incumberet, ſubito ſuſtentaculis quibus nitebatur elapſis in terram corruit, ac quaſi mortuus totus obriguit. Aſtantes autem vt viderunt protinus accurrerunt, mortuumque putantes leuauerunt. nec multo poſt oculos aperuit, crura extendit, gaudensque & exultans cum fauore omnium ſanus abscelſit.

Item puer quidam ex infortunio ita debilis eſt effectus, vt in modum quadrupedis manibus & genibus reptaret curuus. hic magno eſtuans deſiderio ſupplicauit patri ſuo, quatenus *Conſtantiam* deferretur, ſi forte ſaluaretur ſancti Kounradi interceſſionibus. quo dum naui aduectus perueniſſet, ante memoriam beati viri depoſitus ab omnibus mirabiliter eſt admiratus. oblationem tamen ſuam poſtquam optulerunt, puer ad ſancte Dei genitricis altare vt potuit reptando peruenit, ſe ſeque manibus in altari ſuſtentando ſenſim erexit, & munuſculum quod attulerat are impoſuit. quem protinus piiſſima Dei genitrix miſerata ſanauit. & vt credendum eſt vna cum beato Kounrado pietatis ſue miſericordia reſpectum ſanum atque gaudentem patri reſtituit, cunctorumque ora laudibus & exultatione compleuit.

Muliercula quedam plantis ad poſteriora retortis circa tumbam beati preſulis Kounradi aliquod diebus volutabatur, eiusque auxilium tota intentione precabatur, que dono greſſuum donata plurimis annis in eadem ciuitate in teſtimonium adepte curationis eſt demorata.

Non ſolum autem ex vicinis ſed ex longinquis regionibus aduenientes quocunque incommodo detinentur, eius meritis optatam ſanitatem plerumque promerentur. Vnde gallus quidam *Arnoldus* nomine pictauenſis, qui iam duodecim annis ofitio caruit pedis, ſed Aſcellis ſuppoſitis ſuſtentabatur duobus baculis. cum longinquus viator aduenieſſet, & multa mirabilia ſancti huius de quo loquimur, certo certius comperiſſet, continua prece eius ſuffragia querebat, que iam audiſſe tam

multos & inueniſſe audiebat. in genu quippe eius tumor nociuus excreuerat, & tibia cum pede ſubtilis vt fiſtula arida remanſerat. contigit ergo vt in ſacratiſſima nocte Pentecoſtes apud ſepulcrum ſanctiſſimi peruigil in oratione pernoctaret, & matutinorum vigiliis indefeſſus intereſſet, cum repente arida membra nouo dolore incipiunt torqueri, ita vt homo proſtratus ſenſu & voce cogeretur priuari. Dum ergo tempus Ymnum Te Deum laudamus dicendi inſtaret, vt pius paraclitus omnium ora ex ſui conſolatione ad laudes in integro excitaret, homo vires cum inceſſu per beatum Kounradum recuperauit, & cum ceteris immo pre ceteris iubilum laudis datori ſanitatis leto corde reſultauit. fit preſens feſtiuitas tanto in omnium mentibus letior, quanto Spiritus paraclitus apparuit in donis ſuis abundantior.

Fit vero plerumque vt preſtitum donum gratie ingratis ad tempus aliquando ſubtrahatur, vt potentia medici poſtmodum magnificentius ex reddito laudibus extollatur. Denique puella quedam venit Conſtantiam, que digitis in volam contractis onus inutile portauit ex vtero matris. hec ante memoriam beati Kounradi curata pre ſimplicitate ſiue ſtultitia animi accepti doni ingrata eccleſiam rem celans eſt egreſſa. que ſtatim priſtina debilitate occupatur, nimioque dolore atque ſtupore perculſa continuo regreditur. at ubi rem geſtam innotuit, ſanitatem quam amiſerat recepit, cunctisque mirantibus cum gratiarum actione receſſit.

Quidam autem inter ſuos non ignobiles vnicum filium habentes Deo illum obtulerunt, liberalibusque ſtudiis imbuendum tradiderunt. qui ex infortunio paraliſi dolore percuſſus eger iacebat atque claudus. parentes itaque eius nimio confecti merore ad vrbem Conſtantiam illum cum multis aliis detulere, ſi forte clementia huius patris vnicus eis redderetur, vt quandoque in miniſterio tabernaculi veri Miniſtris Chriſti iungerent. ad ſepulcrum itaque ſerui Dei poſtquam peruenerunt, orationem deuote peregerunt, ac deinde hoſpitium ſuum intrantes nocte manſerunt. in craſtinum autem mater pueri quandam cognatam ſuam in ciuitate voluit viſitare, ad quam pergens per eccleſiam ſancte Marie neceſſe habuit tranſire. ad orationem itaque apud ſepulcrum conſtiterunt, puerumque iuxta

tumu-

tumulum viri Dei repoſuerunt. poſt orationem vero homines ſuos cum puero remanere iuſſerunt: & vir quidem ad ſpectaculum nundinarum proceſſit, mulier vero quo ceperat ire perrexit. necdum limen eccleſie longe exceſſerant, & ecce puer magnis vocibus matrem inclamitat. que ſtatim ad vocem filii concite recurrit eiusque in occurſum puer ſanus exiliuit, eamque letis complexibus per medium brachiis conſtrinxit. quanta illic exorta ſint gaudia lacrimarum plena, nec lingua effari, nec ſtilo facile poterit exarari.

Preterea due virgines de monaſterio quod a Conſtantia non minus vno diſtat miliario diuerſis infirmitatibus laborantes atque de carnali medicina deſperantes, ad huius ſancti viri Kounradi tumulum peruenire deſiderabant. vna denique ex his quicquid alimenti pro ſuſtentatione percipiebat, per continuos menſes octo protinus euomebat. altera vero paraliſi percuſſa nimia egritudine laborabat. he itaque prima cuiusdam hora noctis Conſtantiam nauigio delate, & ante ſepedicti atque dicendi Confeſſoris Chriſti memoriam expoſite, precesque ab ipſis atque pro ipſis a preſentibus deuotiſſime ſunt effuſe. tum deinde *ex poculo ipſius patris* quod in eadem eccleſia debita cum reuerentia hactenus ſeruatur, (*) modicum aque cum deguſtaſſent, ſeque attentius Domino commendaſſent, virtute celeſti per meritum pii patris ambe protinus ſunt ſanate, atque cum immenſis gratiarum actionibus proprio ſunt loco reſtitute.

*) Vtrum hoc poculum etiamnum Conſtantiae ſeruetur? me latet. habemus autem in *Vineis Calicem argenteum inauratum*, quem ex traditione continua *S. Conradi* fuiſſe noſtri affirmant. *conoidem* habet figuram eius *cupula*, quae autem circiter $\frac{1}{6}$ menſurae *Rauensburgenſis* capit. pes ſtellae ſimilitudinem refert radiis in angulos acutos definentibus. *patenae* circulus interior, cui panis conſecrandus imponitur vetuſtate iam pertuſus eſt. pariter ſeruatur penes nos *caſula* & *Alba* cum aliis quibusdam veſtibus ſacris, quas itidem a S. Conrado reliquas ferunt. alba, quae ſingularis eſt longitudinis, ex lino tenuiſſimo contexta eſt. feminae earum peritiores edixerunt: materiem albae propius ad eam lini ſpeciem accedere, quam vulgo *Neſſelgarn* vocitant. ad pectus albicantiori tela ſed rudi opere acu picta vel potius aſſuta cernuntur animalia, ornatus cauſſa reor. vnum cerui figuram exprimere ex cornibus auguror: ceteris non auſim certum tribuere nomen.

Inter innumeros quoque pro neceſſitatibus diuerſis ad ſuffragia beati pontificis conuenientibus muliercula quedam aduenit, que decennali iam egritudine ita erat confecta, vt tam ex ſiniſtro latere quam ex collo patentibus vlceribus ſanies proflueret quam plurima. hec itaque cum ex iam dicta infirmitate multis diebus vt dictum eſt laboraret, humore tandem paululum ſiccato manus tabida remanſit cum brachio eiusdem lateris ſiniſtro. eadem quippe iam antea non omnimodis fruſtra per viſum conſolabatur; quia ſibi quam ſepe quod ante memoriam beati viri ſanaretur, in ſomnis videbatur. Igitur ad locum cum aliis qui feſtiuitatis gratia conuenerant, perueniens, quia pene nuda erat ad publicum procedere erubeſcens cunctis ad eccleſiam feſtinantibus domi merens remanſit, largoque imbre lacrimarum dolori ſatisfecit. tum quidam miſeratione permoti, veſtium aliquantulum contulerunt: quibus miſera induta quaſi iam dies facta ad eccleſiam cum aliis proceſſit letabunda. plurima igitur aſtante turba coram tumba ſancti confeſſoris conſtitit oratura. aridam deinde manum ſiniſtram cum adiutorio dextere ſarcofago ſancti ſuppliciter imponens, nec multo poſt ſanatam atque reſtitutam cum brachio retrahens, Deum qui in ſanctis ſuis mirabilis predicatur, benedixit, inmenſoque repleta tripudio repedauit.

Quedam vero debilitates corporum inmittuntur a Deo pro reatibus peccatorum, dumque is, qui ſiue pro ſuis ſiue etiam pro parentum culpis debilitatur, a nexibus criminis in anima abſoluitur, vinculum corporis etiam plerumque relaxatur: vt videlicet per corpus in aperto declaretur, quid circa animam etiam in occulto geratur. plerumque contingit, ſicut Dominus in euangelio (dicit) vt neque pro ſuis neque pro alienis peccatis conſtringatur: ſed ut gloria Dei manifeſtetur. quarum omnium rerum euidens inditium in ſequenti miraculo patebit, ſi quis tamen vigilanter diſcernere valuerit. Mulier quedam a primeua etate paralitica ad ſancti viri delata eſt iam matura etate memoriam. que patrociniis eius curata mox in laſciue etatis prorupit petulantiam. itaque per quendam clericum grauidata, iniqua ſobole prolata dolore priſtino continuo eſt preoccupata. que piiſſimi medici iterum reuiſit ſepulturam, ibique iterum ex parte recipere ſubtractam promeruit gratiam. denique

que omni vite sue postea tempore membrorum omnium rigiditate informi statu corporis penas luit amissi pudoris.

Non solum autem in presentiam reliquiarum eius aduenientibus, verum etiam quacunque parte terrarum eius nomen inuocantibus in cunctis necessitatibus benignus adest patronus beatus Confessor Christi Kounradus. nec mirum; quia vtique illi incircumscripto spiritui vnitus coheret, qui vniuersam creaturam maiestate sua circumplectitur, regit & implet. vnde quemdam adolescentem flumen *Tura* dictum transire cupientem mirabiliter vt creditur de periculo mortis liberauit. eumque contra spem parentibus incolumem restituit. is itaque cum die quadam vespertino tempore iam dictum fluuium incaute transiret, in limoso vado arborumque radicibus pleno irretitus infixus est in limo profundi, & non erat ei substantia transeundi. Cumque obsistere contra impetum fluminis non valeret, nec gressum quoquam mouere posset, planum se super vndam proicit, si forte vel natando euadere posset. in vanum ergo laborauit; quia pedibus insolubiliter profundo adhesit. quid plura? vnda vehementi penitus absorbetur. vestes eius in litore obseruantes hoc viso fociferantur: parentes quoque citius aduocantur: ciues omnes cum parentibus aduenerunt, vndique discurrentes sollicite querunt nec inueniunt. ad vltimum etiam retia vndique per gurgites trahunt & nichil proficiunt. due quoque sorores submersum fratrem flebili querimonia subsequuntur. & quamuis locus periculi monstraretur, omnis inquisitio eorum spe non inueniendi frustratur. labore igitur fessi & nocturnis tenebris obuoluti domum quique tristes se receperunt, miserum quoque beati Kounradi precibus & patrociniis obnixe commendauerunt. aliquanta iam parte noctis transacta puer vnda vehementi incolumis proicitur ad littora. qui in se aliquantulum reuersus qualiter circa se actum sit non mediocriter est admiratus. luce enim adhuc diei flumen se ingressum recolebat, & nocturnis tenebris egredi se nichil de re gesta cognoscens cernebat. de his ergo hesitans domum nudus redibat, ostiumque vt aperiretur pulsabat. quanto tandem exceptus sit gaudio, nullus enarrare poterit sermo. dies vt illuxit crastina plebs ad eum conuenit vniuersa, quasi de mortuis resuscitato aliquid noui auditura de futuro seculo.

lo. ille autem nihil de his referebat, quia nec se in aliquo periculo fuisse recognoscebat. omnibus ergo visum est precibus beati Kounradi illius hunc esse saluatum adiutorio, cuius gratia Israel submerso pharaone viam meruit in mari rubro. ipse quippe sanctus vir solus dum vixit in lacrimis seminauit, sed non solus gaudens usque nunc manipulos collegit. solus inquam tunc in laboribus insudauit: sed non solus in perceptione premii exultauit. centesimum quippe fructum attulit, ex quo multos usque in hodiernum saginauit.

Nec nostro quippe nec cuiusquam stilo omnes singillatim poterunt annotari, qui beneficiis illius hactenus meruerunt adiuuari. ad illius enim sacratissima ossa vt breuiter & simul dicamus, ceci illuminantur, demonia eiciuntur, paralitici sanantur, debiles & claudi curantur, hostilibus vinculis irretiti ad eius sancti nominis inuocationem a nexibus soluuntur, atque diuersis incommodis laborantes consolantur. & quod his maius est omnibus diuersis peccatorum fecibus aggrauati exonerantur. tanta enim monstra cera formata circa monumentum eius dependentia conspiciuntur, vt totius numeri rationem excedere videantur. quisquis denique ex aliquo dolore eius liberatus est adiutorio, maximum se passum putabat detrimentum, si non sue curationis huiusmodi palam ostenderet signum. Et quamquam hec mirabilia a priscis temporibus per illum semper virtus operaretur diuina, a temporibus tamen *Oudalrici* episcopi (*) multiplicius sumpserunt incrementa. die quodam namque *Bruno Treuerensis* Archiepiscopus superuenit, quem tocius Cleri ac populi caterua cum Ymnis ac laudibus honorifice suscepit, & inter easdem laudes in conspectu omnium claudus quidam eiusdem loci indigena curatur, ac deinceps cottidie tanta inibi coruscabant mirabilia, vt nullo modo potuisset dubitari, quin nostrum genus per viscera misericordie sue visitasset gratia diuina. Vnde & a cunctis finibus

*) *Constantiensis.* fuit is, vt recepta habet opinio, eiusdem cum *S. Vdalrico Augustano* Prosapiae. hoc certum est, ipsum in memoriam eiusdem *S. Vdalrici* & *Afrae* fundasse Collegium *Creuzlinganum* Canonicorum Regularium proxim: Constantiam littori helueticq Lacus podamici adiacens C. a. MCXX.

finibus terrarum ſuauiſſimo odore ſanctitatis eius attracti, cottidie innumerabiles confluebant. in quibus nullus vie longioris laborem ſe perdidiſſe queritabat, ſed omnibus illuc peruenisſe maximum lucrum fuit adquiſiſſe. Sacerdotes etiam cum plebibus ſuis dominicum preferentes vexillum cateruatim confluebant, atque cum Ymnis & laudibus Dominum noſtrum Jheſum magnificabant, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Hic finit Biographus noſter, nec de translatione ſecunda ſeu canonizatione S. Conradi quidquam refert; tametſi dubium mihi nullum ſit, quin Codex primum poſt hanc Apotheoſin exaratus ſit. ergo vt integrum cohaereat, ex Tomo II. Script. Brunswic. p. 11. huius translationis ſecundae excerpta damus:

Reuerandae memoriae Vdalricus *eius nominis* primus *monachum quemdam eruditiſſimum ex* Auguſta ciuitate *apud ſe exulantem, qui poſtea* Monaſterio beatae Afrae penes Vindelicam *ſtrenue praefuit, atque* Vicedominum *ſuum* Heinricum, *qui & ipſe quoque* cellae S. Vdalrici ſecus Conſtantiam ſitae Praepoſitus *extitit cum litteris pontificalibus ad ſedem Apoſtolicam direxit; cui tunc praeerat* Kalixtus ſecundus. *ille cognitis beati* Conradi *epiſcopi geſtorum praeconiis ex decreto generalis concilii reſcripſit, vt ſi vera agnoſcerentur miracula, recordatio ipſius* inter Sanctos *futuris temporibus ex apoſtolicae ſedis auctoritate haberetur . . . perlectis vero epiſtolis coram clero & populo Pontifex venerandus* Vdalricus *inito conſilio celebri edicto longe lateque iuſſit promulgari, vt* die ſexta Kalendas Decembris, *hoc eſt,* die Depoſitionis *beati Conradi omnis dignitas omnisque ſexus* Conſtantiae *conueniant . . . Aderant autem tunc in praeſentia* Patres Monaſteriorum *viginti quatuor cum religioſorum caterua diſcipulorum, Presbyterorum etiam atque Diaconorum aliorumque Clericorum infinita multitudo. ſaecularium vero dignitatum proceres religioſa cum deuotione conuenerunt.* Tres *videlicet* Duces (*)

 cum

*) Ex his fuiſſe Guelfonis IV. filium *Heinricum* cognomento *nigrum* Ducem Bauariae, teſtis eſt auctor grauiſſimus & coaeuus, ſub nomine *Annaliſtae Saxonis* notiſſimus. col. 661. ſic habet: *Ipſo etiam praeſente* (Heinrico) *corpus iam dicti S. Conradi de tumulo honorifice leuatum eſt: quem tunc & prius Deus per multa miracula glorificaverat. pro cuius amore & honore idem Dux plura donaria in prediis & vtriusque ſexus familia*

cum Praefectis atque conſulibus plurimis : militum quoque turmae cum innumera vulgi multitudine ſexus utriusque & aetatis - - - - - Igitur poſtquam dies exaltationis illuxit, Pontifex Vdalricus *eccleſiam, rem expectatam ad effectum perducturus, intrauit, gradum aſcendit, adeundi ſepulcrum ſpatium ſibi aliisque Sacerdotibus dari popoſcit: Sanctum quem deſiderabant, in medium ſe eis prolaturum promiſit. multa ergo ſuadens ſed nihil proficiens pontificalibus induitur ornamentis, ſolis duntaxat* nudatur plantis. *alternis ſacerdotes* confeſſionibus purificantur, *ac demum contritis cordibus auxilio principum paruiſſima ſemita ad ſepulchrum obtinetur. Lapide tandem monumenti ſublato, etiam ligneo quo ſacrum depoſitum ſeruatur confracto, pretioſiſſimus Theſaurus reperitur ſerico pallio decenter inuolutus. Epiſcopus autem repertas complectens oſſium margaritas vna cum aſtantibus fudit lacrymas gaudio plenas. ſacratiſſimis ergo reliquiis oſſibus videlicet atque cineribus beati Conradi diligentiſſime collectis, atque in* Sarcophago ad hoc nouiter praeparato *digna cum veneratione reconditis ex collata pecunia idem ſarcophagum poſtmodum ex parte deaurauit atque pretioſis lapidibus decorauit.* Brachium *tamen*

Conſtantienſi Eccleſiae ipſo die contradidit, & hoc pignore SE NEPOTEM TANTI VIRI euidenter oſtendit. Immo ex *Bothonis chronico picturato* non obſcure colligitur, hanc S. Conradi eleuationem cura & voluntate eiusdem Heinrici Ducis (qui defuncto ante paucos annos fratre ſuo *Welfone V.* etiam patrimonium ſueuicum haereditauerat) fuiſſe factam. ſic habet: *De Lycham leyt he upp heuen van eynem Biſchoppe .... to Coſteniz ... unde begiffte de Kerken mit Goder.*

Tom. I. Script. Brunswic. pag. 334. me non monente attentus Lector colliget *Bothonem* eo loco de vtraque eleuatione, *Etichonis* nempe in *Ammergau*: & *S. Conradi Conſtantiae* agere: at ſimul vtrumque factum turpiter confundere. ex his tamen corrigendum duco auctorem chron. vet. Ducum Brunswic. l. c. p. 16. vbi haec lego: *De eadem ſtirpe* (Catulorum ſeu Guelfonum) *fuit in Conſtantia quidam Epiſcopus nomine Conradus, qui pro ſanctitatis ſuae merito eſt canoniſatus. quo cum quoque veniſſet Dux Hinricus Leo, pro affectu naturali & deuotione Eccleſiam Couſtantienſem ob S. Conradi reuerentiam donis & prediis magnifice honorauit.* Nepoti hic tribuitur, quod Auo fuiſſet adſcribendum. idem quoque ſcriptor hallucinatus eſt aſſerendo *Heinricum Leonem* duxiſſe uxorem *Clementiam* filiam Ducis *de Thuringe*; quum certum ſit, eam fuiſſe filiam *Conradi* Ducis *de Zaringen.*

men eius dextrum *forinſecus retentum ſegregatim minori receptaculo conditum decreuit in promtu habendum*, populum ſcilicet Dei ad conſignandum .... *Poſt haec principes exercituum dona hilariter* Sancto *offerunt familiarum ſuarum atque praediorum. ſub hac tamen Conditione, vt* Hoſpitii, *quod ipſe ſanctus quondum inſtituerat ſed iam collapſum fuerat, ſeruiant inſtaurationi, & iuge ſolatium inueniant ibi pauperes & peregrini. Epiſcopus autem id ipſum quidem facere primo & ipſe cupiens domum aedificauit: ſed poſtea ſaniori uſus conſilio Religioſos quosque Clericos regulariter viuere cupientes* foris muros Ciuitatis Conſtantiae apud eccleſiam ſancti Vdalrici *congregauit, quibus etiam ex iam dictis aliisque Eccleſiae ſuae poſſeſſionibus aliqua in ſubſidiis conceſſit. horum autem conuerſatio in eo loco* per illum quidem exordium ſumſit, *incrementum vero in hodiernum diem laudabiliter gratia Chriſti miniſtrare non deſinit ..... Recedente igitur aduenarum turba, ciues conſtantienſes facultate progrediendi reperta vna cum Pontifice ſuo dilectas Patroni ſui Conradi reliquias tulerunt, atque ciuitatem ſuam his praemuniendam luſtrauerunt; vt videlicet eo melius eius patrociniis tuerentur, quo frequentius eius exuuiarum praeſentia viſitarentur.* ad Baſilicam quoque ſanctiſſimi Praeſulis Vdalrici quondam amici ſui *illum attulere, vt ſicut viuentes quondam in carne, ita etiam poſt mortem ſe inuicem viderentur viſitare. inde itaque reuertentes nouum in quo reconditus fuerat ſarcophagum in monumento, quo & prius requieuerat, poſuerunt, ipſo tamen ſepulchro prius in melius reformato &c. Facta eſt autem haec translatio egregii Chriſti confeſſoris Cunradi* anno dominicae Incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo tertio Indictione ſecunda, *romanam eccleſiam regnante* Calixto *papa* ſecundo, *ordinationis quoque* Vdalrici *conſtantienſis Epiſcopi eiusdem nominis* primi anno quinto, *imperante* Hainrico *Imperatore Auguſto, die* ſexto Kalendarum Decembrium *dominante ſuper omnia in coelo & in terra Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in omnia ſecula ſeculorum Amen.*

S. huic Praeſuli *Canonia oeningenſis* priuilegium caeſareum debet, quod etiamnum Autographum in Archiuio celſiſſimi Principis *Ma-*

risburgenſis integrum ſeruatur. extat in *Sueuia eccleſiaſt.* p. 646. ſed non ſine mendis. Nos excerpta damus, quae vir integerrimae fidei mecum communicauit. " Vnde notum facimus tam preſentis quam futuri tempo-
" ris Chriſti fidelibus, qualiter dominus *Chouno Comes* dari ſibi priuile-
" gium ad *oeningenſem eccleſiam* noſtram implorauit ſerenitatem, quam
" ipſe in honorem SS. Petri & Pauli ... conſenſu *uxoris ſue Richlinde* fi-
" liorumque eius *Eggeberti*, *Leupoldi*, *Chounonis* & *Lutoldi* in pro-
" prio fundo conſtruxit .... predia ſua diuerſis *pagis*, comitatibus ac lo-
" cis contradidit Oeningen, Elma &c. venerabilis quoque viri *Counradi*
" conſtantienſis Epiſcopi aliorumque petitionibus aſſenſum prebentes &c.

" Signum Domini Ottonis Magni & inuictiſſimi *Imp.* Hiltiboldus
" Epiſcopus & cancellarius vice Willigiſi Archicancellarii recognoui.
" Data Idus Ian. anno Incarnat. DCCCCLXV. Regni vero Ottonis-XXVIII.
" Imperii IIII. actum feliciter CURIE amen.

Rei diplomaticae minus peritos monitos velim, ne ex ſubſcriptionibus Cancellarii & Archi cancellarii *Diploma ſubleſtae fidei argui poſſe exiſtiment.*

Equidem Hiltiboldus *anno in diplomate ſignato nondum erat Curienſis epiſcopus*: *nec* Willigiſus *munere Archicancellarii auctus*: *ſed nempe hoc diploma vt multa alia tardius fuit* expeditum *quam ſit* conceſſum. *Regulas de his iudicandi* - & exempla *etiam vide in* Chron. Gottwic. *Tom. I. L. II. pag.* 186. *n. XXIII. Cuius quidem Diplomatis ea tantum de cauſſa hic mentionem feci, vt liquido conſtet, quam nihil a veritate alienum ſcripſerit* Anonymus de Guelfis *cap. IV.*

Monaſterium quoque Rhenaugienſe *hodie celeberrimum S. Conrado, qui eius Curam poſtquam ab Hunnis plurimam ſtragem fuiſſet paſſum, ſuſceperat, ſuam inſtaurationem in acceptis refert. ipſo praeſente & donationem conſentientibus Monachis acceptante quidam* Thueto *praedium ſuum* Trullikon *in Thurgouia ſitum, eidem monaſterio tradidit. eius meminit Cl. P. Mauritius van der Meer Hiſt. Rhinaug. pag.* 46. *qui & chartam ex codice ſeculi XI. num.* 27. *exacte deſcriptam ad me miſit, & eſt huius tenoris:*

" No-

" Notum ſit omnibus tam preſentibus quam futuris qualiter ego " *Thoueto* pro remedio anime mee Matrisque mee tale predium, quale " in villa & in marcha *Trullinhoua* aquiſiui, do atque trado in proprie- " tatem ad monaſterium quod vocatur *Rinowa*, quod eſt conſtructum " in honoré S. Marie ſemper virginis & S. Petri Principis Apoſtolorum, " ceterorumque quam plurimorum, ea videlicet conuentione, quatenus " *Wipertus* nepos meus, qui eſt monachus Renaugienſis cenobii ha- " beat, & quidquid ibidem ad locum illum rite pertinet, ſimiliter ea " conditione ad neceſſitatem ſuam redigat, quatenus ſingulis annis ad " menſam Monachorum de prefato loco tribuat III. *modios farine* & *VI.* " *ſitulas cereuiſie*, *& I. vini*, *& II. frishlingos*, ſiue I. vnius ſicle va- " lentem. hec omnia habeat atque poſſideat omnibus diebus vite ſue " ſine vllius contradictione. poſt mortem ipſius prefata res ad ipſum " Monaſterium ad menſam fratrum ipſius Monaſterii redeat. ſi Abbas " aut Monachus vel aliquis de poteſtate eorum impedimentum vel ul- " lam leſionem deinde intulerit, hoc ipſum ad coheredes meos redeat. " Actum in villa *Trullinhoua* coram preſentia Domni *Chounradi* epiſco- " pi cum conſenſu Monachorum & preſentia populi & idoneis teſtibus, " & *Engilbold*o Aduocato *V. Idus Auguſti dominico die.* Anno XXVIII. " *Ottonis M.* Imperatoris, Duce *Burchardo.* (ergo anno 963. quo lit- tera dominicalis D. fuit & 9. Aug. annus item 28. regni Ottonis I. ſi quoque anni 936. menſes reliqui computentur.)

Quam autem fuerit ſub reformationis praetextu a rapinae ſtudio a- lienus S. Conradus, patet ex ſequenti Diplomate originali eiusdem Mo- naſterii, quo nedum priuilegiorum & immunitatum confirmationem, ſed & liberam Abbatis nec non Aduocati electionem ab eodem Imperatore ob- tinuit.

" In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis OTTO diuina diſponente " prouidentia Imperator auguſtus. Omnium pateat fidelium noſtrorum " preſentium ac futurorum induſtrie, quod venerabilis eccleſie Conſtan- " tienſis Epiſcopus CHOUNRADUS noſtram implorauit Serenitatem, " quatenus conſcriptiones & precepta ab Anteceſſoribus noſtris, Regi-

 " bus

" bus videlicet & Imperatoribus, Monachis & Monaſterio *Renaugie* e-
" dita, noſtra etiam confirmatione roboraremus. Cuius petitioni aſſen-
" ſum prebentes ſimulque priorum conſtituta ſuper immunitatem ſan-
" cti loci perpendetes, precipimus & ſtatuimus, vt preſcriptum Cenobium
" ea immunitate ſubſiſtat, ſicut chartarum textus eidem loco conſcripta-
" rum enuntiat. vt videlicet Monachi in ipſo Monaſterio manentes, vel
" impoſterum ſucceſſuri ſecundum regulam *S. Benedicti* Abbatem inter
" ſe eligendi, & aduocatum quocunque eis libuerit inquirendi habeant
" licentiam. & ut idem Monaſterium cum perſonis intrinſecus & forin-
" ſecus ſibi coherentibus, terris quoque cultis & incultis ad ſe iuſte, do-
" natiue ac legaliter pertinentibus, noſtro noſtrorumque Succeſſorum poſt
" Deum & ſanctos eius municipatui ſubiectum, nullius ſuperioris aut
" inferioris perſone difficultate turbetur, aut cuiuscunque diſtrictionis
" ſiue preceptionis moleſtiam patiatur. ſed liceat ipſi Abbati ſine vllius
" contradictionis obſtaculo monachos ſuos regulariter regere, familie
" precipere, res monaſterii ordinare, intus vel foris omnia iuxta con-
" ſilii ſui prouiſionem decenter, congrue, & utiliter gubernare. Igitur,
" ut predictum eſt, ſub noſtra tuitionis immunitate locus prenotatus
" ſubſiſtens ab omni aliene inquiſitionis ſeu exactionis moleſtia ſecurus
" permaneat, vt Dei ſeruitoribus inibi degentibus pro nobis & Imperii
" noſtri ſtabilitate ſine aliqua forinſeca inquietudine omnipotenti Deo
" iugiter liceat ſupplicare. Et ut hoc noſtre conceſſionis preceptum
" per futuri temporis curicula ratum perſeueret, hanc chartam inſcribi
" iuſſimus, annulique noſtri impreſſione manu propria ſubtus firmaui-
" mus.

" Signum Domni OTTONIS Magni Imperatoris Auguſti

(L. M.) (L. S.)

" WIL-

" WILLEGISUS Cancellarius ad vicem ROUDBERTI Archinota-
" rii ſubſcripſi. Data XV. Kal. Sept. Anno dominice Incarnationis
" DCCCCLXXIII. Indictione XV. Anno *Regni* Domni OTTONIS
" XXXIIII. *Imperii* autem XIII. Actum CONSTANTIE.

De conſecratione capellae B. Virgins in Cœnobio S. Meginradi cœlitus facta, de qua agit Hermann. Contract. ad ann. 948. & cui S. Conradus interfuiſſe dicitur, lege Annaliſtam Einſidlens. in actis S. Eberhardi p. 49. nos ad alia progredi neceſſe eſt.

IIII.

CRONICA MONASTERII SANCTI NICOLAI

Extra muros Ciuitatis Memmingen

Incipit feliciter. (*)

In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti amen. Regnante *Cunrado* ſereniſſimo rege Romanorum fuit potentiſſimus Dux in Sueuia nomine WELFFO. Hic in tantum nobilis extitit quod nullus ei inter tocius almannie Principes linea nobilitatis & diuitiarum copia & cognatorum poſſet ſimilis inueniri. Qui ſi vt dicebatur, ſuperſtes eſſet Regis *Cunradi*, omnes Principes ipſum vnanimiter in regem eligerent Romanorum. (**)

Dux

*) Hunc titulum praefert MS. codex Saeculi XV. aut XIV. Bibliothecae noſtrae ſub Litt. G. N. 20. correctius eſt ſcriptum, conſequenter etiam vt reor vetuſtius illo *Tegerenſeenſi*, quod ediderunt Orig. Guelf. Scriptores Tom. II. p. 431. ſcatet fabulis relatio, & tantis quidem, vt patientiſſimus etiam oculus vel legendo offendatur. nos ea tantum excerpimus, quae ad fundationem Monaſterii *Scotorum* extra muros Memmingenſes quondam ſiti & a *S. Nicolao* dicti, pertinent; his enim certiora reperire hactenus non licuit; ſed nec ſibi certi quidquam conſtare *Memmingenſes* affirmant. Si cuidam chronico Auguſtano in *Sueuia eccleſiaſtica* p. 613. allegato fides ſit, conſtructio huius Monaſterii & Scotorum Monachorum aduentus contigere anno 1168. hinc coniicio Welfum piis manibus defuncti priori anno *Filii ſui vnici* hoc ſtatuiſſe monumentum. hodie praeter aream in Cœmeterium conuerſam ſupereſt nihil.

**) Inde longiſſimam & inſulſam narrationem de cede Epiſcopi Auguſtani a Welfone perpetrata - itinere romano - plurium annorum pœnitentia - texit auctor nos 6. foliis maioribus omiſſis quae pròpius ſcopo ſunt, delibamus; necque enim ut continua ſerie etiam ſequentia transſcribamus imperare mihi potui.

Dux autem *Welffo* quia per ſcoticam gentem multa mirabilia in terra ſua fieri viderat & audierat, recordatus precepti Domni pape, quod ob remiſſionem omnium peccatorum ſuorum fundare deberet Monaſterium in honorem ſancti *Nicolai* epiſcopi & confeſſoris, in quo die & nocte per religioſas perſonas diuina miſteria deuote & inceſſanter perſonarent, cui etiam dotem ſufficientem tribueret & aptaret, & ad conſilium prudentum virorum non alias perſonas quam *ſcotice gentis* viros vtique religioſos & in diuino ſeruicio valde deuotos ibi poneret & locaret, quod & factum eſt.

Dux igitur *Welffo* exſtruens monaſterium iuxta ciuitatem *Memmingen* vocatam de opere ſatis ſumptuoſo, erigensque parietes ipſius monaſterii in altitudine competenti conſumat domum Domino Deo, & ſancto Nicolao conferens dotem per quam Deo famulantes poſſent commode ſuſtentari. & cum hec & alia cum ſumma diligentia eſſent facta & fine debito conſummata, *Dux Welffo* conuocans omnes maiores curie ſue ſciſcitabatur ab eis vbi perſonas ſcotice gentis colligeret, & eas in domo quam fabricauerat nomini domini altiſſimi poneret & congregationem inibi perpetuo collocaret, per quam laus & gloria & iubilatio & gratiarum actio nocte ac die omnipotenti Deo deuotiſſime reſonaret, & peccatorum exoptata remiſſio & redemptio animarum fieret ſalutaris & celeſtis remuneratio ſine fine. Cui talia ſciſcitanti reſponderunt curie ſue nobiliores: Domine Dux nos audiuimus & veraciter ſumus experti de gente iſta, quod ſit gens ſancta, populus acquiſitionis, populus vtique ille, in quo Deo beneplacitum eſt habitare in eo, & hec eſt generatio querentium Dominum ---- Quapropter Domine Dux vobis conſulimus bona fide quod vos nuntios veſtros ſolennes ad *herbipolenſem* epiſcopum dirigatis ſupplicantes ei cum omni precum inſtantia vt ipſe Dei & veſtri cauſſa pio & paterno motus affectu mittat vobis ſcotice gentis perſonas monachos regule *ſancti Benedicti* quantoscunque ſue complacet honeſtati, per quas domus Dei quam fundaueras poſſet per cultum diuini operis multipliciter adornari & populus chriſtianus, qui adhuc imperfecte diuinis ſubiacet legibus propter duriciam cordis ſui per eorum bonam & ſanctam &

Deo acceptabilem conuerſationem & exempla cultu diuino fidei chriſtiane valeat adiuuari. Dux igitur vſus conſilio nobilium & magnatorum ſuorum ſubito miſit nuntios ſuos bene expeditos ad epiſcopum herbipolenſem ſupplicans ei cum omni diligentia qua potuit, quod dignaretur ei mittere fratres ſcotice gentis ad habitandum in Monaſterio quod nouiter fundauerat propter diuini cultus & celeſtis patrie amorem. Epiſcopus autem herbipolenſis receptis nuntiis & honorifice tractatis remiſit eos ad Dominum ipſorum pretendens cauſam excuſationis legitimam & honeſtam, quia nullo modo mitteret ſibi Monachos, quorum defectum etiam in ſuo Monaſterio non modicum pateretur. ſed ſalubriter conſuluit ei dicens, vt mitteret in *Ratisponam* ad abbatem *S. Jacobi* virum vtique iuſtum & ſanctum, qui tunc maximam fratrum congregationem ſub regula ſancti Benedicti pauit & fouit: a quo ipſe etiam cum magna ſupplicatione fratres ſibi mitti poſtulauerat; ipſe quoque peteret ab eo ut ſi fieri poſſet mitteret ſibi aliquos de congregatione fratres ad manendum & multiplicandos interceſſores in domo Domini & ſeminatores verbi Dei. Vt autem epiſcopus ſermonem compleuit, nuntii Ducis accepta licentia ab epiſcopo receſſerunt, & ea que per epiſcopum Domino Duci mandata fuerant & conſulta de verbo ad verbum totaliter explanantes cauſam ſue legationis, nihil horum que epiſcopus efficaciter mandauerat obmiſerunt. Dux autem ad conſilium epiſcopi herbipolenſis miſit legatos ſuos in *Ratisponam*, vt venientes ad clauſtrum *ſancti Jacobi* domno abbati fratrum ſcotice gentis porrigerent ſuas preces --- Legati autem domini Ducis agili curſu usque ad Ratisponam peruenientes ingreſſi ſunt clauſtrum S. Jacobi inquirentes faciem domni abbatis, & inuenientes eum magna reuerentia ſalutauerunt eum ex parte Ducis: & omnem legationis ſue & ardue petitionis cauſam coram ipſo diligentiſſime proponentes illic usque in craſtinum permanſerunt, in omnibus neceſſariis per Domnum abbatem honeſtiſſime procurati.

Mane autem facto domnus abbas congregatis fratribus in vnum dixit eis: Filii in Chriſto Kariſſimi! vniuerſitati veſtre notum fieri cupimus quod Dominus *Dux Sueuie* nomine *Welfo* mittens ad nos legatos

ſuos

ſuos ſupplicauit nobis & vobis omni qua potuit diligentia & maxima precum inſtantia ... quatenus de congregatione noſtri conuentus fratres aliquos ſibi mittere dignaremur ad habitandum & ſeruiendum Deo in Monaſterio quod ad honorem & laudem Dei & omnium ſanctorum eius fundauit noviter & exſtruxit, & omnem eius Monaſterii ſuppellectilem ampliauit. & nunc dilecti filioli mei bonum videatur in oculis fraternitatis veſtre vt tanti Ducis petitio repulſionis ingratitudine nullo modo priuetur - - At illi vnanimiter - Domno abbati reſponderunt dicentes : pater ſancte & domine, videtur dignum & iuſtum & equum & ſalutare vt tanti ac talis principis petitio effectui ſalutifero debeat mancipari, qui apud Deum & homines magnus & prepotens & multum honorabilis nullo modo dubitatur. cuius annuentes pie petitioni in hac parte noſtre vniuerſitatis conſilium veſtre porrigimus ſanctitati, vt ad minus duodecim electe perſone ad ipſum cum nuntiis transmittantur ... Abbas autem audito fratrum conſilio ſtatim elegit de ipſa congregatione *duodecim* fratres, viros valde religioſos - ex quibus elegit vnum vita & moribus approbatum, *Maurum* nuncupatum, & conſtituit eum *abbatem* & dominum ſuper eos - . His itaque plane & decenter ordinatis curribus & *Summariis* (*) ſufficienter oneratis, ſumptis etiam ſecum largiſſimis expenſis profectus eſt ipſe domnus abbas *Gregorius* cum fratribus in Sueuiam, nuntiis ante duos dies & eo amplius eos precedentibus, vt nuntiarent Domino Duci abbatem S. Jacobi de Ratispona cum fratribus pro quibus ſupplicauerat aduenire. Qui vt audiuit aduentum abbatis *Gregorii* & fratrum qui cum ipſo ipſo veniebant, vltra modum gauiſus eſt: & pollicitus eſt nuntiis magna donaria ſe daturum, eo quod ſollicite & diligenter ſua negocia peregiſſent.

Facto autem breui interuallo Dux aſſumpta ſecum multa militia & comitatu veniebat in occurſum abbatis & Fratrum cum magna reuerentia & honore. Videns autem abbatem Gregorium & Conuentum fratrum ſequentem eum, pre gaudio ruens in oſcula eorum lacrimatus eſt coram eis amplexans & deoſculans colla eorum - - omni quo potuit honore duxit

*) *Sumpſerit en* ſen equis clitellariis.

ad clauſtrum, quod ab ipſa civitate *Memmingen* videlicet eſt nomen fortitum. in quo collocat eos cum ſumma diligentia & honore, conferens eis redditus, per quos ſatis honeſte poſſent ſuſtentari in victualibus & veſtitu: familiam quoque ſufficientem, que ſingulis diebus debita ſervitutis obſequia perſolueret ſollicite & deuote tradidit fratribus in perpetuum---. Dux autem accipiens ſecum *Gregorium* abbatem & *Maurum electum* de Memmingen venit ad Epiſcopum *Auguſtenſem*, rogans quatenus manus confirmationis & benedictionis imponeret electo de Memmingen. Epiſcopus autem ſatisfaciens petitioni domini Ducis electum confirmans conſecrat in abbatem, conferens ei in ſpiritualibus plenariam poteſtatem.

His ita peractis abbates & Dux acceperunt licentiam a domino Epiſcopo & venerunt ad clauſtrum Memmingen & ibi poſt laborem aliquantulum quieuerunt. Sequenti vero die conſcripta ſunt *priuilegia* ſuper omni libertate & donatione prediorum: & roborata ſunt munimine *ſigillorum Ducis Welfonis*, ſub hac tamen conditione, vt quamdiu ibi ſcotica gens vel congregatio eidem preeſſet Monaſterio, tamdiu priuilegia ipſius Monaſterii forent inuiolata & conſiſterent inconuulſa. Preterea diſpoſuit Dux Welffo, quod abbas de Memmingen & omnes ſucceſſores ipſius & ipſum Monaſterium cum perſonis & ceteris attinentiis ſuis domno abbati & capitulo *ſancti Jacobi in Ratispona* ſubeſſet in omnibus quamdiu voluitur mundus iſte.

Poſt hec omnia Dux Welffo domino Gregorio abbati S. Jacobi tradidit munera copioſa in Ratisponam fratribus deferenda. inter que contulit dona precipua & precioſa ipſo Domino abbati Gregorio valde conuenientia, videlicet *calicem ex auro puriſſimo* per manum nobiliſſimi artificis fabricatum, & *Palefridum* (*) fortem & agilem ineſtimabili pecunie precio computatum. quibus omnibus decenter & honorifice peractis dominus abbas S. Jacobi a Duce ſufficienter remuneratus & licentia ab ipſo

*) *Equum gradarium.* ſingulare eſt, quod in gloſſar. Caroli du Fresne ex conſtit. cluniacenſibus affertur: *Praecipimus vt in Prioratibus dicti ordinis per mortem aut per AMOTIONEM PRIORUM vacantibus, ABBAS CLUNIACI PALEFREDUM CAPAM & Breuiarium Prioris praemortui ſecundum antiquam conſuetudinem habeat.*

ipſo recepta valedicens fratribus & confortans eos & exhortans ... receſſit ab eis & venit in Ratisponam ad S. Jacobum .....(*) Interea autem dum hec feſtiuitas decenter & glorioſe celebraretur, Dux Welffo quodam die rogat Epiſcopum vt eccleſiam *ſancti Nicolai* in clauſtro Scotorum & altaria conſecraret. qui ſubito acquieſcens eius pie petitioni eccleſiam dedicauit & altaria conſecrauit &c. &c.

Et quoniam omnia mors tollit - dominatur tam Ducibus quam Principibus -

Illa fremit, genus omne premit, quod in orbe mouetur.
Illa ferit, caro tota perit, dum ſub pede mortis
Conteritur, non excipitur vir robore fortis.
Forma, genus, mores, ſapientia, res & honores
Morte ruunt ſubita, ſola manent merita.

Sic Dux Welffo eterne mortis formidans imperium in quantum potuit ſue bone operation's merita dilatauit fundans *ſeptem clauſtra* de diuerſis generibus monachorum, & hec ipſa in temporalibus optime procurauit, vt ſpiritus eius rediret ad Dominum qui dedit illum. Quicquid autem faciebat licet bonum foret, tamen mors aculeos ſue conſu-

*) Mirum eſt quanta rerum omnium Guelficarum non tantum ſed & Germanicarum vniuerſim ignorantia laborauerit iſte Monachus. poſtquam ſuperius tot fabulis relationem infarciiſſet, hic rurſus occiſi a Guelfone epiſcopi Auguſtani mendacium repetit, additque Duciſſam uxorem ipſius poſtquam hoc audiuit, in maximum toedium & moleſtiam conuerſam, nimio terrore correptam vitali ſpiritu priuatam *de medio ſublatam eſſe* - nulla prole relicta praeter *vnicam filiam - Friderico de Rotenburg* nuptui traditam. quis autem neſcit *Vtam* Guelfonis VI. vxorem viro ſatis anno 1191. functo, fuiſſe *ſuperſtitem* - - Filium *Guelfonem VII.* anno 1167. itemque *Fridericum de Rotenburg* (praetenſum illum fictae *Adelhaidis* ſponſum) eodem anno peſte in Italia periiſſe - - ? & quid de *Conrado* Rege dicam, quem Guelfoni VI. ad poſtremos usque vitae dies coaeuum garrit hic ſcriptor; quum ille iam anno 1152. vitam & Coronam amiſerit ? Neque tamen ſuſpectum fimul reddere volo Auctorem, quaſi & de conſtructione ſeu fundatione Monaſterii in Memminga nugas diuenditaſſet. plura enim obtrudere Lectoribus ambiebat quam quae ſibi ipſi cognita erant, non aduertens ad illud: Sutor ne vltra crepidam!

mationis & crudelitatis ſue, finem horrendum & miſerabilem in ipſum velut in quemlibet mortalem refundere prompta fuit. Appropinquabat autem dies mortis eius, & decidit in lectum egritudinis, & vocauit maiores & nobiliores tocius Sueuie cum Prelatis eccleſiarum videlicet epiſcopum Auguſtenſem & alios Prelatos SUI *Ducatus* (✝) - - - & in preſentia ipſorum fecit teſtamentum redditionis & receptionis & donationis, vt nullus inueniretur, qui in die vel poſt diem obitus ſui de ipſo poſſet aliquid querulari. Hoc autem firmiſſimo Teſtamento cum ſincera deuotione & omni mentis ſue induſtria peracto, puram confeſſionem Domino Epiſcopo Auguſtenſi faciens integraliter & pure compunctus interius vera contritione, ſumpſit ſacratiſſimi corporis Chriſti alimenta, & precioſiſſimi Sanguinis eius pocula, corporis videlicet & vitalis Spiritus alimenta, ſtatimque commendans ſe cum ſummo deſiderio omnium orationibus cepit tedere & meſtus eſſe & multum debilitari, quia grauis infirmitas accedebat, & iudicabatur eum iam velle reſolui. Ipſe quoque cernens ſe non poſſe pre languore nimio ſubſiſtere (nec habere ſe conſiderans inter mortales amplius vitam) ſpiritum Deo reddidit Amen.

FINIS.

V.

✝) *Sueuiae* Duces his temporibus erant filii *Friderici Barbaroſſae* ſibi ſuccedentes, *Fridericus - Conradus - Philippus.* Welfo tametſi patrimonii Guelfici maximam partem Imperatori vendiderat, tamen quaſi pro ſummo Imperio Sueuiam *Danubium & Lycum* interiacentem gubernabat - vt iam de Regionibus *Bauaricis & Würtenbergicis* in praeſentiarum nihil dicam - nec adeo inanem titulum *Ducis* geſſiſſe cenſendus eſt. alias *Stauffenſes* comiter ipſum habebant; metuendum enim erat, ne forte concitatior redditus ab iniquo contractu reſiliret, atque *Heinrico Leoni* ſuo ex fratre nepoti legitimoque haeredi patrimonium pinguiſſimum cederet.

V.

EXCERPTA HISTORICA de INVENTIONE SS. SANGUINIS DOMINI.

Ex Codic. membr. Saeculi XIII. Biblioth. Weingart.

N. 1. Tempore illo, quo HEINRICUS *Pius* (*) Cognomine imperialis culminis tenebat Monarchiam, exſtitit illuſtriſſimus Comes Flandrie *Balduinus* n omine morum non minus quam progenitorum inſignitus ingenuitate. prouidus enim conſilio fuit, claritudo fidei ſemper in eo floruit, conſpicuitas diuerſarum virtutum in ipſo redundauit. his meritorum dotibus preditus merebatur memorati Hainrici ceſaris fieri conſecretalis, ita vt nichil de negotiis imperii incommunicato eius conſilio aliquatenus preſumeret ordinare: quamquam ex hoc aculeis inuidie ſtimulando alios principes vulneraret. ſane cum diuerſis detractionum generibus ei derogarent, & molirentur dicti principes indignationem ſibi creare, talibus preſtigiorum inſidiis ſapienter diſſimilatis, tamen ipſi Imperatori quamdiu vixit de tota ſinceritatis ſubiectionisque promptitudine fideliter adhefit. (**) Vnde meruit tantum fauorem & tantam gratiam apud preſcriptum Imperatorem principaliter inuenire, ut ſibi nequaquam denegaret quidquid ab eo petitum fuiſſet. ipſius quoque animum ſi quo modo culpa delinquentium deuiauerat in priſtinam manſuetudinem reflexit, vt reis enormiter imperatorie Maieſtatis, reddere poſſet repropitiatum.

N. 2.

*) Sic III. tium huius nominis compellare vulgo ſolent Scriptores antiqui. minime confundi debet cum Heinrico *ſancto* huius nominis II. do

**) Fruſtra Baldninum hic excuſare nititur hiſtoriographus. certum enim eſt ex Sigeberto aliisque paſſim Scriptoribus plurimum negotii eum Imperatori feciſſe. attamen certum quoque eſt eumdem Caeſari anno 1049. fuiſſe reconciliatum. Vid. Murator. Annal. Ital. ad h. a.

N. 2. Factum est autem, ut iam dictus Imperator febrium molestiis fatigaretur, ex inmoderata accessione iudicans se in extremum periculum mortis deductum. Quod videns illustris *Baldeuinus* pio flagrans desiderio cepit secum tractare qua via tam pretiosam rem, videlicet *Sanguinem Domini nostri Jesu Christi* inpetrandi inueniret facultatem; spe tamen prehabita apud dictum Imperatorem confisus, in beneficium exhibite fidelitatis & adhuc exhibende, dari sibi petiit. Cuius petitioni sereniſſimus Princeps inclinatus, animo reuoluens constantem & diutinam viri amicitiam insperate dotis munere ipsum ditauit.

N. 3. His itaque ita gestis, non longo post tempore superuixit, & eius exequiis secundum magnificentiam regalem peractis, illustris Baldeuinus se in propria recepit, doloremque de morte Imperatoris sibi generatum, licet eius precordia non parum leserit, adepti muneris ingens letitia mitigauit.

N. 4. Huic Comiti fuit nata egregie indolis *vnica* filia, nomine *Juditha*, quam *Richardus* Rex Anglorum matrimoniali connubio in sui regni accepit consortem. (*) qui iuxta Brittonum scita proprium Germanum regni iure precesserat *primogeniture*. Factum est autem suggestione diabolica, vt idem Germanus affirmans se gloria regni contra iustitiam

*) Duplex hic error Scriptori obrepsit. certum enim est ex *Ordorico Vitali* L. VIII. p. 638. praeter plures *fratres* Iudithae quoque fuisse sororem *Mathildem Wilhelmo Normanniae Duci &* postea *Angliae Regi* nuptam. toto autem Cœlo aberrauit, dum Iuditham *a Richardo* thori sociam fuisse adscitam scribit. Res ita se habuit: *Eduardus* Rex Angliae postquam *Godwinus* West-Saxonum Dux anno 1053. defunctus est, eumdem Ducatum Filio eius *Haroldo* contulit neglecto *Tosto* seu *Tostico* Godwini filio atque Haroldi fratre. postquam autem *Siwardus* Northumbrorum Dux obierat, *anno* 1055. *Ducatus eius Tostio Haroldi Ducis Germano datus est*, verba sunt Simeonis Dunelmensis ad h. a. Mortuo Rege Anglorum *Eduardo* anno 1066. *Haroldus* regni sibi anglici coronam arripuit, aegerrime id ferente *Tostico* natu maiore. inde bellum inter fratres atque pugna exarsit, qua *Tostico* occisus est. Sed & mox *Wilhelmus*, inde *Conqueſtor* dictus, prelio Haroldum vicit, interfecit, regnumque Angliae sibi adiecit. Consule Scriptores Anglos cit. nec non *Wilhelm. Malmesbur. Radulfum de Diceto*, *Houedenum* aliosque.

iuſtitiam omnino priuatum, & convocans ad ſe omnes quos regis ſeruitus oppreſſerat, & ſe beniuolum ipſis omni tempore ſpopondit permanſurum, & innumera beneficia largiturum, ſi eorum auxilio alienatum culmen reuocare ad ſe valeret; affirmans vitam dubie ſorti ſubiiciendam, niſi fraus fraterna in ſeipſam fuerit reliſa. Et ſic facte ſunt inter fratres manifeſte inimicitie ita ut germanitatis amoris feruore extincto, vterque mortem alterius anxius ſitiret. diſcurrunt nuntii & ad regalia bella muneribus promiſſionibusque allieiuntur quique milites ſtrenui, & coadunatis exercitibus cruentalis condicitur congreſſus.

N. 5. Memoratus vero Rex, quia de pugne exitu extitit incertus, licet valida militantium manus ei obſequeretur: timens tamen, ſi ſuccumberet, fraterna crudelitate Regina ſua, quam coniugali valde dilexit affectu, rerum & perſone inuolueretur periculis, in ſue patrie ſcilicet *Flandrie* finitima preſidia cum omnibus ad cameram ſuam pertinentibus iubet eam transfretari, ut illic ſecura dubium preſtolaretur rerum euentum. poſthec mouit caſtra, & ſe mutuo germani fratres belluina ferocitate comparauerunt armis in prelium: & congreſſi utrobique magna fit cedes, terribilis equorum ſtrepitus, armorum colliſio & fragor clypeorum omnium exterruit aſpectum & auditum: & ita magna aggrauata ſtrage cecidit ipſe Rex. & vniuerſi, qui parti ſue fauebant ad demulcendam fratris ſui indignationem ſe conuertebant dicentes: ceſſet Rex pie exterminium gladii tui, ut deuota ſubiectione famulemur imperio tuo, protinus ſe & ſua dedentes, & fidelitatis iuramento recepto perſequi quieuit, & in pace digreſſi unusquisque ad ſua repedauit.

N. 6. Regina quippe *Iuditha* triſti rumore audito, quod amatus eius coniux & Dominus contra ſuam ſpem occubuiſſet, inconſolabiliter diutiſſime ſe lacrimis infudit: ſed ad temperandam huius obſtinatiam meroris ad natale ſolum cum ſuis eſt reuerſa. Pater vero eius comperiens ipſius aduentum & Regis occaſum, quamuis de nece tam magni viri incredibili vulneraretur dolore, filiam ſuam vt ſuos natales decebat, cum gaudio ſuſceptam inde non minus conſolari cepit. Breui autem poſt tempore elapſo, tempus reſolutionis illuſtris Baldeuini inſtabat, & dis-

positis omnibus tam ad salutem anime quam ad temporalia pertinentibus, *filio suo* principatum suum reliquit, & filie sue *Iudithe* relicte Regis Anglie omnia pretiosiora sua que in auro & argento & gemmis ac scriniis eburneis habebat, cum *sacro sancto Sanguine Dominico* delegauit. his ita ordinatis in pace vitam suam finiuit & in Domino quieuit.

Quomodo Iuditha secundo desponsata postea fuit Welfoni Duci Sueuie.

N. 7. Ea tempestate (*) extitit inclitus (**) Dux *Welfo* in hoc vocabulo *secundus*, qui transtulit Collegium Monachorum ordinis S. Benedicti a Monasterio *S. Altonis* de provincia *Bauarie* in hoc *Altorffense* cenobium. Sanctimonialesque, prius in eo manentes a prima fundatione sua semotas, in iam dicto Monasterio S. Altonis vice Monachorum perpetuam sedem habere fecit. Hic Welfo ex *uxore sua Imeza genuit filium Welfum* sibi equiuocum & *filiam CUNIZAM* nominatam, quam *AZZO MARCHIO de ESTE* de Italia duxit in uxorem. (***) Porro *Welfo iunior* factus est *Dux Carinthie* virtutum exuberans fonte. Hic cenobium in villa Altorfensi a suis proauis constitutum & fundatum, postea in monte ipsius ville constituit, & nomen ei *Wingarten* inposuit, non incongrue vineam Domini Sabaoth, id est Christi, deinceps esse existimauit. is vero sine prole legitima in opido *Potamo*, id est in *Bodmen* vulgariter nominato decedens, *Wingartensi monasterio omne patrimonium suum legauit, in quo etiam parentum suorum ossibus suum corpus defunctum aggregando humandum precepit.*

N. 8. *Chuniza* autem predicta *soror eius Marchionissa de Este* audita morte fratris sui, & re quam mandauit fieri, surrexit assumto *filio suo Welfone*

*) Non qua prius narrata contigerunt, sed 30. annis prius.

**) Hic nondum Dux, sed Comes tantum erat.

***) Quantum sudoris & laboris impendere quondam debuere viri clarissimi *Muratorius* & *Leibnitius*, vt sanguinis nexum inter *Estenses* & *Brunswicenses* certo affirmarent! locus hic rem extra omne dubium collocat. vid. epist. Tom. I. Script. Brunswicens. Leibnit.

fone & in Sueuiam venit, irritum affirmans & prorſus infirmum, quod fratrem ſuum nouerat ſtatuiſſe: ſubiungens legitimam ſucceſſionem ad ſe pertinere huius hereditatis, & ſe nullatenus in ea poſſe preiudicari. Igitur iam dictus *WELFO filius Chunize Marchioniſſe* ſic factus heres defuncti ſui *Auunculi*, & nominatiſſimus Princeps per *totam Theutoniam* fieri probis actibus emeruit.

N. 9. Hic miſſis procis ad *Juditham* ſupra dictam quondam Reginam Anglie, & ſibi eam Coniugio ſociari petiit. que primo eum renuit, quaſi nullam habens ipſius noticiam. honeſtate tamen & fama ipſius & propaginis ingenuitate nihilominus comperta, deuictus iteratis paranimphis ſecundo ad eam eius delatum eſt propoſitum. & quodam *Treuerorum Archiepiſcopo Welfonis Conſanguineo* (*) mediante, dicta regina ad eius Coniugii ſe inclinauit conſenſum, & in continenti nuntios comitata ad nuptialem thalamum cum omni regio anglorum & paterne Archine theſauro maturauit ſe conferre. His peractis Welfo Dux maritus Judithe celebratis honorifice ſuis nuptiis ſolenniter vt decuit, factus eſt Princeps inſignis, inualuitque virtutibus & armis. Ducatum quoque *Noricorum* propriis viribus adipiſci emeruit, omnibusque hoſtibus ſuis ita potenter preualuit, vt tumidas eorum ceruices viriliter usque ad optatam ſubiectionem edomaret.

*) *Vdo* electus eſt Archiepiſcopus Treuirenſis A.o 1066. teſte illuſtriſs.mo ac. R.mo ab Huntheim. ſed quomodo Welfonis IV. conſanguineus? in *geſtis Treuirorum* ab eodem editis Prodr. Hiſt. Trevir. part. poſter. p. 755. ſequens *Vdonis* texitur genealogia: *Hic ex Alemannorum proſapia oriundus, patre Eberhardo comite, matre Ida, cuiusdam coenobii quod dicitur Scafhuſen, Conſtructoribus* &c. Prope expeditum eſt Nellenburgicos ſeu Veringenſes comites Guelficae fuiſſe originis. At longe alia nobis praedicat *Ordericus Vitalis*, qui hunc Vdonem *filium* Balduini comitis Flandriae, & Judithae *fratrem* facit libro IV. pag. 526. *Balduinus*, inquit, *gener Roberti Francorum fortiſſimus Flandrenſium Satrapa fuit, & ex Hadala coniuge ſua filios & filias plures multimoda indole pollentes habuit. Robertus Freſio, Arnulfus, Balduinus, VDO TREUIRORUM ARCHIEPISCOPUS, Henricus clericus & Mathildis regina, atque JUDITH uxor TOSTICI COMITIS ſoboles Balduini & Hadalae fuit.* confer orig. Guelph. T. III. L. VI. p. 269.

N. 10. Genuit autem ex ſepe dicta Juditha uxore ſua *Heinricum*, qui factus eſt Dux *Saxonie*, (*) & *Welfum*, qui dictus eſt *pinguis*. Inſpiratus autem Welfo celitus poſt inclita bella & poſt multos agones in remiſſionem peccatorum ſuorum cruce ſignatus ad terram ſanctam ire ſe deuouit. Iterque ſuum tam ſalubre aggreſſurus cum generoſa uxore ſua & iam dictis filiis & innumeroſa militum ac totius patrie optimatum caterua hoc *Wingartenſe* monaſterium, quod unica & ſpeciali reuerentia excoluit, accedit: & coram omnibus largiſſima benedictione prediorum ac aliarum rerum Sanctis facta, *ſepulturam ſuam iuxta ſuorum proauorum in eo ſibi prouidit*, adiurando ſuos commilitones, vt ſi debitum in peregrinatione ſolueret humanum, carnis excoctis exuuiis oſſa reportarentur, hic in loco *Wingarten* tumulanda. Domina vero *Juditha* fletibus vberrimis lacrimoſa obtulit pallam auro puriſſimo intextam, maspas habentem diſpoſitas per loca aurifigias. Scrinea eburnea auro & argento circumornata. cruces aureas cum Reliquiis Sanctorum, gemmis optimis plene ornatas. Calices aureos, thuribula & candelabra aurea, plenaria plurima, arcellam fabrefactam plenam reliquiis ſancti *Oswaldi*. poſtremo quidem in timore Domini *ſacroſanctum Chriſti cruorem* adoleuit & obtulit quaſi incenſum in odorem ſuauitatis: quo libamine hunc locum beauit. His patratis *Welfo Dux* valedicens omnibus ad terram profecturus diſcedit.

DE TRANSLATIONE EIUSDEM SANGUINIS CHRISTI.

Ex eod. cod.

N. 11. Igitur ſacroſancto dominico Sanguine in urbe *Mantua* inuento preſentibus pie memorie *Leone VIIII. Papa* cum Imperatore *Heinrico Magno*, qui & *pius* vocabatur, & *Duce Longobardorum Bonifacio*, ſumptibus ipſius Imperatoris & Ducis Eccleſia pergrandis, quemadmodum ut & in *libello de Inuentione eiusdem Sanguinis* declaratum eſt, conſtruitur, & ab eodem papa conſecratur. in qua *ſub altari*

S.

*) *Bauariae*: equidem duxerat *Wulfildem Magni Saxoniae Ducis filiam*. hunc tamen Ducatum filius eius *Heinricus magnanimus* demum adeptus eſt.

S. Andreae Apoſtoli in Cripta idem precioſus Theſaurus collocatus habetur. (*) *Imperator vero partem aliquam eiusdem Sanguinis & deuota petitio-*

*) De hac inuentione Sanguinis Domini in Mantuana ciuitate teſtes ſunt *Hermannus Contractus*, *Annaliſta Saxo*, *Abb. Vrſperg. Chronicon Zwifuldenſe*, *Chronographus Weingartenſis* praeter Libellum de *Inuentione S. Sanguinis* ſpeciatim deſcriptum. plerique eam ad annum 1048. referunt, vel omnino cum *Zwifuldenſi* ad ann. 1047. atqui tunc Leo IX. papa nondum fuit; creatus Pontifex demum anno 1049. Compendio difficultas omnis tollitur, ſi dicatur: prioribus illis annis S. Cruorem *Adalberto coeco* fuiſſe *manifeſtatum*, famamque eius rei ſenſim eo ſe diffudiſſe, vt ad exteras etiam nationes pertingeret. re deinde examini ſubiecta terram effodi coeptam Sanguinemque dominicum fuiſſe repertum atque *eleuatum* praeſente eodem Pontifice Leone IX. quia vero Heinrico Imperatori portio eius ceſſit, exiſtimo ipſam etiam eleuationem factam ab Epiſcopo mantuano anno 1047. quo Heinricus in Italia morabatur; & quidem Mantuae 19. April. feſtum Paſchae celebrabat, vel potius in *graviſſima aegritudine* decumbebat, quae Hermanni Contracti verba ſunt ad h. a. vel etiam adhuc anno 1048. in quadrageſima ut Contractus refert. menſe enim Maio iam *Tiguri* erat Caeſar, quod ex diplomate illic conceſſo liquet *VI. Nonas Maii anno dominicae Incarnationis MXLVIII. Indict. I.* ex Bullar. caſſinens. Tom. II. conſt. 91. Immo iam Aprili menſe *Vlmae* degebat imperator, quod ex duplici Diplomate diſcimus, unum datum eſt XIII. Kal. May - *actum in Vlmo*. vid. Murator. antiqq. ital. Tom. V. Col. 1053. aliud in Chronic. Gottwicens. P. I. L. II. ad pag. 263. *Dat. XI. Kal. Maii. actum Vlmae.* Porro ſubſequentibus annis Heinricum in Italiam non fuiſſe profectum cum ex fide Diplomatum, tum ex conuentibus Principum in Germania habitis certo conſtat. contra vero ſaepius *Leonem* ex Italia in Germaniam ad Aulam imperatoriam egreſſum fuiſſe hiſtorici paſſim affirmant: adeo ut nunquam quoad vixit Leo IX. Imperatorem italicum iter ſuſcepiſſe legamus. obiit vero hic Papa 19. Aprilis ann. 1054. Anno tamen priori 1053. teſte Hermanno Contracto in Dominica quinquageſimae *Mantuam* venit Leo papa, Synodum Epiſcoporum Longobardiae coacturus ex relatione Wiberti in vita Leonis IX. ubi tantas etiam turbas fuiſſe exortas narrat, vt tela atque lapides Pontificis Caput circumvolitarent praeſentiſſimo vitae ipſius periculo. Si quid video, Papa hic memorandae rei fama illectus, ipſe in facti veritatem inquiſiturus Mantuam perrexit. hac ergo occaſione factum veriſimiliter fuerit quod libellus de Inuent. S. Sanguinis memorat. videlicet Leonem Papam, poſtquam tanto theſauro Dominici cruoris locupletem conſpiceret Mantuam, vereretur que, ne inde ipſi Romae dignitate aequiparari aut etiam praecellere aliquando ambiret, de auferendo & Romam transferendo hoc theſauro coepiſſe conſilium. re comperta Mantuanos arma corripuiſſe: nec alia via papam vitae periculum abs ſe refutaſſe, quam ſi contentus aliqua S. Cruoris par-

titione & imperiali Auctoritate obtinuit: quam prout regiam dignitatem decuit, auro gemmisque incluſam Criſtallo perlucida opere artificioſe polita, ſicut hodie conſideratur, ſecum abduxit, & quoadusque vixit ubicumque veniens ſumma cum reuerentia in ſuo comitatu deportari voluit.

N. 12. Sub eodem tempore *nobiliſſimus ille Comes Flandrie Baldeuinus* nomine extitit, qui memorato Imperatori familiari contubernio ſociatus comes indefeſſus tam in aduerſis quam in proſperis ſemper affuit. Vnde factum eſt, ut Imperatore de hac vita migrante ipſe Baldeuinus Comes tanquam pro recompenſatione amicitie & obſequii, hunc pretioſum theſaurum Sanguinis Chriſti inter quam plura regia dona adeptus, ad vite ſue terminum non minori veneratione cuſtoditum, quocumque diuertiſſet ſecum habere voluit. verumtamen vnicam filiam nomine *Juditham* Comes prelibatus habuit, quam Regi cuidam Anglorum matrimonio copulauit. Ipſe vero viam vniuerſe carnis ingrediens omnes theſauros ſuos & res mobiles, lege gentium, ſue filie reliquit, inter que theſaurum deſideratiſſimum Chriſti videlicet Sanguinem affectuoſe ipſi contradidit. Tandem rex Anglie maritus eius cum fratre ſuo de regno diffidens, & ea propter congreſſurus in prelio; dicitur eam premonuiſſe, quatenus omni aſſumpto theſauro tam regio quam proprio, & a regno Anglie diſcederet, & in Inſula quadam ſue patrie contigua exitum belli exſpectaret: ne forte ſe cadente ipſa cunctis deſtituta pelleretur.

N. 13.

ticula Romam deportanda, reliquam partem Mantuae relinqueret. Et vero Pontificem Leonem IX. hoc anno *intra dies quadrageſimae* Romam rediiſſe toties laudatus refert Hermann. Contractus, cui conſonat Annaliſta Saxo Eccard. ad ann. 1053. Tametſi ergo Scriptor noſter in eo hallucinatus eſt, quod Papam Leonem IX. & Heinricum III. Imperatorem ſimul in eleuatione S. Cruoris praeſentes narret (augendae famae ſtudioſior, critices vero pro ruditate ſæculi negligentior) ſubleſtae fidei tamen videri non debet circa ea, quae ad ipſius Hiſtoriae caput ſubſtantiamque adtinent. alioquin de *veritate hiſtorica* in plerisque rebus facti actum foret. quam diuerſae de Inuentione S. Crucis circumferuntur relationes - ergo Chriſti Crucem inuentam non eſſe prorſum, modeſtus Criticus auſit inferre? Caeterum quae heic de S. Sanguine ſaeculo XI. mediante reperto ſcripſi, ad conciliandam narratis duntaxat *hiſtoricam fidem* a me allata ſunt: qua maiorem hactenus nemo exegit.

N. 13. Itaque *occiſo marito Juditha viduatur*, ſed poſtea mediante quodam Treuerenſi Epiſcopo noſtrorum Principum conſanguineo, *Welfoni Seni*, *filio Chunize & Azzonis Marchionis de Eſte* matrimonio coniungitur. noſtrasque deueniens in partes, precipuum & incomparabilem theſaurum in auro & argento, gemmis & multigeno purpure, cum capella & eccleſiaſticis ornamentis, palliis, ſcriniis, plenariis, caſulis & cappis quam pretioſis, & Sarcofago mire celature, in quo *ſacroſanctus Sanguis cum Reliquiis S. Oswaldi* & aliorum ſanctorum ſerebatur. Vniuerſe quidem he res eccleſiaſtice partim ea viuente, partim ea defuncta S. Martino in Monaſterio *Altorffenſi* (*) oblate ſunt a marito eius Domino *Welfone* Iheroſolimam proficiſcente. (**) Si quis autem miratur & forſan minus vera iudicat, ſciat, *IPSAM Reginam Anglie* & eius *Commilitones*, *noſtrosque antiquiores Predeceſſores plenius nos hec edocuiſſe*

*) Iam alibi monui: tametſi Guelfus III. Charinthiae Dux translato ex *Altdorff* in montem S. Martini noſtro Cœnobio nomen *Weingarten* indiderit, illud tamen nomen huic quoque diutius adhæſiſſe. confer Prodr. Mon. Guelf. nuper a me editum.

**) Ex his, quae tum ſuperius tum hic denuo affirmat hiſtoricus noſter planum eſt concludere, Welfonem IV. Bauariae Ducem profectionem *binam* in terram ſanctam ſuſcepiſſe: vnam viuente Iuditha uxore: ea defuncta alteram. Quod poſt huius obitum hoc ingreſſus ſit iter anno videlicet MCI. atque eodem fatis fuiſſe functum, nemo eſt qui ambigat. De aliqua priori profectione hieroſolymitana nemo ſcriptorum quos legi, hactenus quidquam aſſeruit. Quodſi tamen illius relatio facto ſit conſentanea, iſthoc iter a Principe ſuſceptum fuiſſe reor circa autumnum Anni MXC. praeter alias coniecturas, vt id vehementer ſuſpicer, me monet ſolennis donatio hoc anno Vineae noſtrae facta. ſexcenta enim ſuppetunt exempla, tum maxime fuiſſe in Eccleſias munificos principes viros, quum in orientem proficiſcendi propoſitum conceperunt. fortaſſis autem viuente Iuditha ſtatuerat duntaxat hoc iter, a cuius executione praepediri potuit. Et quia hic anni 1090. ſermo iniectus eſt, dicam quoque: hoc itidem anno *Welfonem* teſtem fuiſſe Diplomatis Monaſterio S. Saluatoris *Scaffhuſii* ſeu Schaffhauſen conceſſi, ſubſcripſit & alteri dato *Steinenſibus* Monachis anno poſt Chriſtum natum MC. vtrumque ſe vidiſſe edixit noſter Abbas Georgius Wegelinn Libr. Abbat. T. I. p. 78-79. quae vtinam e tenebris aliquando proferantur in Lucem! Caeterum *Scaffhuſium* & *Stein* Monaſteria quondam fuere ordinis noſtri. hoc e *Duellio* translatum ad Rhenum proxime ad Inſulam *S. Otthmari*, vtrumque ad ſaeculares pridem abiit.

educuisse : sicque per etates singulas ad nos hucusque fideli relatione descendisse. (*)

VI.

*) Haec eadem traditio quoque in Ecclesia *Mantuana* ad hanc vsque diem conseruata est. nouissime prodiit Venetiis impressus libellus, cui titulus : *Hieronymi Aquilini Doctoris Theologi de pretiosissimo JESU CHRISTI SANGUINE MANTUÆ ASSERUATO*, inscriptus Eminentissimo S. R. E. Cardinali *Aloysio Valenti*, anno 1782. ex quo sequentia excerpere in rem nostram placet. p. 27. *aliud*, inquit, *Nerlio vetustius testimonium mihi suppeditat Codex antiquissimus Ecclesiae S. Andreae, in quo secundae inuentionis Sanguinis Christi historia accurate describitur . . . Codicem hunc se legisse asserit Anonymus mantuanus Seculi XV. ad finem properantis Scriptor.*

" Referam, inquit quod Mantuae in quodam codice, ubi erant " lectiones matutinales, & Sanctorum, & temporis. Codex quidem " antiquissimus erat, & erat Ecclesiae S. Andreae, vbi alias fuit ab- " batia S. Benedicti : nunc autem data presbyteris secularibus. in quo " haec reperi, *quod regnante Henrico II.* (Germanis *III.*) *Romanorum* " *Imperatore anno imperii eius III.* (ergo anno 1048.) procurante " *Bonifacio* probatissimo viro cum coniuge sua nobilissima *Beatrice* " Marchiam italicae regionis cum quadam nocte quidam *Adalbertus* " nomine . . . in lectulo quiescerat, apparuit ei *S. Andreas apostolus* " dicens : *Surge Adalberte, & nuncia Beatrici pretiosum Christi San-* " *guinem in tali loco repositum esse ; illic eum requirat, nam tempus* " *est, vt tantus thesaurus fidelibus ostendatur.* Iste vir visionem re- " fert. illa fabulam reputat. bis & tertio Apostolus in visu Adalber- " to - - apparuit. ille Beatrici visionem narrat. Beatrix haec Bonifacio " eius viro. ambo accersito venerabili *Martiale* tunc *Mantuae ciuita-* " *tis Episcopo* ei rem hanc aperiunt. Is vero cum omni clero & ma- " gna populi quantitate ad locum, quem apostolus praedixerat, iue- " runt, & in eodem loco fodientes inuenerunt pretiosum Christi Sangui- " nem, qui usque hodie in magna veneratione habetur. tunc Adalber- " tus in testimonium veri Christi Sanguinis visum recepit. "

Ex quibus liquet, nostram cum Mantuana historiam prope in omnibus conuenire : nisi quod haec episcopo loci, illa Papae S. Cruoris eleuationem tribuat. crescit nempe fama eundo. ex regulis vero critices maius est testimonium eius qui vidit, quam illius qui auditu factum didicit & scripsit. Caeterum hic Historici tantum, non Theologi partes mihi sumpsi.

VI.

SUMMULA de GUELFIS. (*)

§. 1. Originem ſucceſſumque Guelffonum volens enarrare rem ſatis dubiam aggreditur, tum quia ex maioribus nulla hyſtoria certa poſteris eſt transmiſſa. vnde que quisque conſcripſerat capiti ſuo obſequens caligine quadam obumbrauit, ac plerumque ſententiam contrariam attulit: vt quod dignum eliciatur ſit nichil. vetuſtaque iuſticia ſcriptorum: virorum fortium ingenia, excellentia, atque preclara facinora non penſitabat. precio indulgentes quidam monaſtici, quod ex donacione acceptauerant vix generis ſucceſſionem annotabant, dummodo Auctores prediorum (a quibus acquiſierant) ſignaſſent, ſatisfacere (a) omnibus credebant. quam ob rem male actum facile comperimus. Si quid Imperatores aut Principes noſtri Sueui memoria dignum exhibuere, obliuio poſteritati commendauit, flende vetuſtatis facta ingentia abiere. Ne tamen omnia corruant, que ſuccinctim caduca admodum in monaſtico-

 rum

*) Hoc nomine inferius auctor opus ſuum qualecumque nominat. continetur in codice ſaepius laudato Saeculi XIV. aut XV. ſub Lit. G. N. 20. in quem ex aliquo MS. antiquiori, & vt videtur Saeculi XIII. transſcriptum eſt. Dubitaueram, an ipſum inſerere monumentis hiſce vellem, propterea, quod Sphalmata hiſtorica & chronologica frequentia eſſent. tamen non omni carere vtilitate Lector ipſe comperiet. quod me maxime vt deſcriberem mouit, eſt; quod exiſtimem, eumdem eſſe harum Summularum Compilatorem, qui Chronicon ſuccinctius poſtea ſcripſit, nuper a clariſs. Iungio T. V. Orig. Guelf. editum, & cuius penes nos nullum amplius apographum exſtat. certe nomina abbreuiata oſtendunt, codicem viennenſem (ex quo Jungiana editio exſcripta eſt) eiusdem eſſe aetatis & calami cum eo quem hic deſcribo. ita vt ſummulae hae quaſi prodromus fuerint, vt in fine conſtabit.

a) Sic corrigo; quum MS. tantum *facere* habeat. caeteroquin ſatis liquet vel ex ipſa hac praefatione, quam rudis fuerit vel auctor vel Exſcriptor huius libelli. non ſum auſus textum integritati reſtituere, ne ipſe, Interpolatorem me egiſſe, poſſim adcuſari. Lector ſi poſſit, ſenſum aſſequatur.

rum quorumdam bibliothecis collegimus, referre conabimur. Et ſi quid poſtea ad manus, vt dicitur, hyſtoria dignum venerit, calamo committere ſtudebimus: nichil quidem excultum, ad ordinatam racionem hyſtorie ſcribimus. ſimiles etiam non emendatas enarramus maiorum incuria ad nos miſſas. Quare ſi quid preter rem Lectorum optime! actum deprehenderis, pie ac cordialiſſimo animo emendare velis.

§. 2. GUUELFFONES plerumque originem duxiſſe a *Carolo* autumant ex nobilioribus Gallie, qui de *Cataline* filia ibi traducta *Catulos* ac Guelffones reliquit, ſi libro cuidam auctoris incerti credere phas eſt. Aliqui *Guelffonis primi* parentem Imperatori cuidam ita fuiſſe commendatum, vt cum eius filium baptiſmate leuaſſet, nomen ei *Guelffo* indidiſſe. vixit anno DCCC. (b) Eo etiam tempore *Carolus Magnus* Francie Regno prefuit. vnde idem Guelffo primus *arma gentilitia* francorum deferebat. Idem Guelffo ex vxore ſua *Ethiconem* & *Iuditham* filiam genuit.

§. 3. Ethico comitatum *Altorff* prope *Rauenſpurg* obtinuerat, & ex Uxore ſua *Heinricum* habuit filium, cui *Beatam* ex familia comitum de *Hochunvvart* uxorem adiunxit. *Ethico* (c) Imperatori ſe reddidit commendatiſſimum, quod ab eo quatuor milia manſuum in Bauaria ſuperiori dono acceperat. Poſtea cum pater Ethico nobilitatis ſue libertatem ſuſpicaretur fractam, animo laborabat, ac amiciſſimis ſuis conquerebatur. tandem vitam priuatam inſtituit, locum *ad montes PROPE villam AMMERGEW* (d) aedificiis monaſticis deputauit, & victui prouidebat, & auctis edificiis, ordineque monaſtico curato cum duodecim fideliſſimis vixit: tandem cum ſuis vita excedit. *Iudita* autem *Ludeuico* Imperatori & Francie regi nupſit: que ex eo *Carolum caluum* habuit, eumdem Imperatorem & regem francie.

§. 4. *Heinricus* Ethiconis filius patre mortuo monaſterium inceptum ad *Altenmunſter* Bauarie traducit, abbatem & Monachos victus copia ſatis ampla condonat, quibus Ammergenſes Monachos coniunxit: vbi & eo loco ſanctus

b) Id eſt octies centeſimo ſeu 800. (c) *Heinricus.*
d) Vide *Prodrom. monument. Guelf.* §. II. p. 10. & §. VI. p. 23. & ſeqq.

ſanctus *Alto* humo clauſus veneratur. Monachas deinde ſancti Benedicti in *Altorff* religioni dicatas inſtituit, quas prediis competentibus prouidebat. Ex uxore ſua *Beata* tres genuit filios *Rudolffum*, *Cunradum*, *Ethiconem*. Conradus eccleſie *conſtantienſis* Preſul eligitur vir ſanctimonia plenus anno *nongenteſimo trigeſimo quarto*, & eccleſie annos XLII. prefuit. Aedes ſacras ſancto *Laurentio* (e.) *Johanni* Baptiſte & Ewangeliſte, & S. *Paulo* erexit dicauitque: ac bonis ſuis *paternis* ex comitatu Altorff acquiſitis, ſcilicet *Wolfhartſwende*, *Berge*, *Fronhouen* fratri ſuo *Rudolfo* ex permutatione datis, & ea cauſa acceptis *Andolfingen*, *Enslingen*, *Colmar*, dictas eccleſias dono exornat. tandem vita exactus in maiori eccleſia *Conſtancie* ſepultus eſt ac pro ſancto colitur. Item *Ethico* ex quadam concubina ſua filiam habuit, quam Rudolffus nobili cuidam Retie curienſis coniunxit: ex qua familie *Hecilicella*, *Vſtera*, *Raperchtſwiler* originem duxere. poſtea *Monachus* factus moritur, ac *Conſtantie* ſepultus eſt.

§. 5.) Rudolffus *Ytam* ex familia comitum de *Oeningen* uxorem duxit, & ex ea duos filios genuit, *Heinricum* & *Guelffonem*. item filiam vnam *Richardam*. poſtea cum vita excederet Rudolffus tumulo patris imponitur. Heinricus Rudolfi filius pulchritudine nimia conſpicuus adoleſcens in valle quadam ad villam *Lena* prope *Bolſanum* in venatione occubuit: cuius anima vt Deo commendabilior redderetur predium in *Mangoldſawe* (f.) monaſterio dono datum eſt.

§. 6. Gwelffo eiusdem Rudolffi filius *Ymiſam* gentis ſalice de arce *Gliſperg* uxorem duxit, ex qua *Conzam* ſeu *Conizam* filiam habuit. (g.) Imiſa vero *Heinrici* Noricorum & *Friderici* Lotharingie Ducum atque *Adelberonis* epiſcopi Metenſis ſoror erat. Idem *Auguſtam* ciuitatem occupauit. hic etiam *Conrado* Imperatori rebellem ſe exhibuit, cui *Erneſtus* Sue-

e) Lege *Mauritio*, vt habet vita S. Conradi. vbi etiam primo ſepultus eſt, & poſtea primum ad eccleſiam Cathedralem *translatus*.

f) Hodie *Mingolzau* ad Shuſſam fluuium, *Miggenhauſen*.

g) Filii *Guelfonis* hic non meminit. inferius tamen turpi errore eum Guelfoni IV. tribuit, quae ergo illic afferuntur, hoc loco ſtare deberent.

nie Dux auxilio fuit. *Brunonem* Auguſtenſem igne agreſſus caſtra & arces eius diripuit, maxima quoque preda eum ſpoliauit, epiſcopum friſingenſem auxilio habuit; is ab eo poſtea oppugnantes ſentiebat. Monachas ſeu moniales, quas Heinricus filius Ethiconis in Altorff inſtituerat, ad Altenmunſter traduxit, & Monachos quos in Altenmunſter inuenerat, ad Altorff remiſit. Tandem actis premebatur: Eccleſiis auguſtenſi & friſingenſi debitam reſtitutionem fecit, in Altorff moritur atque ibi ſepelitur. Verum *Ymiſe* Corpus poſt eius mortem in Altenmunſter tumulo infertur. *Richarda* Guelffonis ſoror ex Rudolffo, maiorem ex Comitibus Bauarie maritum habebat, nullos ex eo filios ſperans. tres Abbatias ex ſuis prediis inſtituit *Eberſperg*, *Chubach*, *Gayſſenfeld*, & fratri ſuo villas *Vttingen*, *Selmbach* cum adherentiis dono dedit, ac cum diem obiiſſet Eberſperg ſepelitur.

§. 7. *Conza* ſeu *Coniza* nupſit *Azoni Eſtenſi Marchioni* opulentiſſimo, ex quo habuit *Guelffonem* comitatus Altorff Dominum atque heredem. huic uxor erat *Juditha* Baldeuini comitis flandrie filia, & Regis Anglie relicta anno Chriſti MLXXI. (h.) Eadem aedi Altorff *Sanguinem ſacrum* & multa preclara donauit. Idem Guelffo *Noricorum* a Heinrico quarto Dux conſtituitur *Othone* comite *Sheyrenſi* (i.) reiecto. hic & Ducatum *Carinthie* (k.) obtinuit, potitusque *Marchia Veronenſi* Friderico primo (l.) rebellis fuit. tandem ei ex Italia ſecuritas preſtita fuit. *tres* habuit filios *Guelffonem* maiorem natu *Bauarie*, *Guelffonem Carinthie* Duces (m.) & *Heinricum*. Erat autem vir, fortis & ſtrenuus apud Bauaros ceterasque prouincias rerum magnarum commendatus. domi & foris prudentia preſtabat. Hainrico quarto antequam eccleſie rebel-

h) Dubium eſt, an ſcriptor has notas chronologicas ad precedentia an ad ſequentia referat. ad neutrum pertinent, ſed ad tempus quo Welfo IV. *Dux Bauariae* factus eſt.

i) Al. de *Northheim*.

k) Falſum! Guelfo III. filius II.di Carentanum Ducatum & Marchiam veronenſem anno 1047. ab Heinrico III. obtinuit.

l) Quantus Anachroniſmus! legendum *Heinrico III.*

m) Duos tantum habuit filios. ille *Guelfo Dux Carinthiae AUUNCULUS* non filius erat Guelfonis IV. Judithae Mariti.

bellis eſſet auxilio fuit : verum poſtea mutatus eum bello flagrantiori aggrediebatur, plurimum ea cauſa *Sigifridum* epiſcopum Auguſtenſem Hainrico auxiliantem in Auguſta ciuitate capit, ac ferreis cathenis ligatum in arce *Rauenſpurg* tempore multo vinctum tenuit : ciuitatem nihilominus depopulatus deuaſtabat. Monaſterium *Rotenbuch* (n.) faciendum curauit. petiuerat terram ſanctam, & cum reuerteretur ingentia ei pericula imminebant. in *Cipro* obiit atque ibi ſepultus eſt ; poſtea oſſa ſua ad *Altorff* transmiſſa ſunt. Aulici ſui plures capti atque obtruncati. preterea comites peregrinationis ſue dolore afficiebantur. *Thiemo* preſul Salzburgenſis captus obiit. *Ytta* diui *Leupoldi* marchionis orientalis mater a Sarracenorum quodam Principe rapta atque ſtuprata *Allexium* ſceleratiſſimum genuit.

§. 8. GUELFFO eius filius maior natu *Bauarie Dux MECHTILDEM* Mantue, Ferrarie & Luce dominam atque aliarum ciuitatum Longobardie, Marchionis *Bonifacii* lucenſis filiam duxit uxorem, *neptem* ex ſorore *Hainrici tertii* pii comitis de *Kalb* (o) Hercinie ſilue. moderatiſſimus fuit, & ſucceſſere ei proſpere plurima : amabatur quoque ab omnibus, laudatus vite inſtitutor, ac filios nobiliorum erudiendos accepit. fuit etiam diſcipline militaris peritiſſimus: provincias *Italie* tem-

 pore

n) In margine minio ſcriptum eſt : *Raitenpuch Monaſterium.*

o) Et tamen certum eſt, *Heinricum III.* fuiſſe filium *Imp. Conradi Salici.* vid. Eccard. Opuſc. I. de ſtemm. gibell. orig. Guelf. T. IV. p. 314. Sed nec *Beatrix* Mathildis mater, ſoror Heinrici III. Imperatoris fuit. illa enim filia erat *Friderici* Lotharingiae moſellanicae Ducis ex Mathilda uxore : hic vero filius Conradi ſalici ex *Giſela* coniuge. *Vrſpergenſis* ad ann. 1054. *Beatricem*, non vero *Mathildem* vocat *Neptem* Heinrici III. contra vero ipſe *Heinricus IV. Imp.* filius Heinrici III. *illam* vocat *Amitam* ſuam (in Regeſto Gregorii VII. Lib. III. epiſt. 5.) & hanc *Neptem noſtram Heinricus V.* Imp. filius IV.ti (in confirmatione donationum Monaſterii ſancti Benedicti in Padolirone.) Ergo tametſi falſum ſit, quod Mathildis fuerit filia ſororis Heinrici III. quod noſter hic videtur aſſerere : tamen propinquitatem Sanguinis inter eos interceſſiſſe certum eſt. erat autem talis : *Giſela* uxor Conradi ſalici & mater Heinrici III. ſororem habuit *Mathildem*, matrem Beatricis : vt ergo Heinricus III. Imp. & Beatrix mater Mathildis noſtrae fuerint amitini, ſeu duarum ſororum ſoboles. en ſhema:

pore breui ſubegit. (p.) Poſtea tamen diuortio inter eos facto ex cauſa quadam dubia, impotentia tamen accuſabatur (ſi *bohemicis annalibus* creditur (q.) acta autem ſunt hec ad annum MLXXIII. (r.) poſtea anno Domini MLXXXVIII. (s.) in villa *Kauffringen* moritur & in *Weingarten* ſepultus eſt. prius tamen cum *Hainrico quinto*, quando *Paſcalem* papam captiuauit, fuit, actorum tamen innocens. Eccleſias *Buchhorn* & *Meckenpeuren* (t.) Monaſterio *Altorff* adiunxit, quas ab *Ottone* comite de *Buchhorn* legato acceperat; licet plerique Patrem eius hoc feciſſe

Hermannus - - Gerberga
Dux Sueuiae - - filia Conradi Regis Burgund.

Mathildis uxor
Friderici Ducis Lotharing.

Giſela uxor Conradi
ſalici Imperatoris.

Beatrix uxor Boniſacii Ducis Tuſciae &c.

Heinricus III.
Imperator.

Mathildis uxor Ducis
Guelfonis V.

Heinricus IV.
Imperator.

Heinricus V.
Imperator.

Conſule Orig. Guelf. Tom. I. pag. 430. & ſeqq.

p) Id intellige de ditionibus, quas fratres Patris ſui ex ſecunda *Azonis* uxore progeniti ei adimere moliebantur. de quo nos ſuo loco agemus.

q) *Coſmam pragenſem* ſubaudit. qui vero turpiſſimis verbis ſcenam pudendam & fabulae ſimillimam depingit.

r) Error Chronologicus. hoc anno etiamnum infans erat.

s) Error ſimilis priori. forte in Autographo notatus erat annus 1118. ante quem certe non obiit. immo veriſimilius primum anno ſequenti.

t) Nulla ſaltem hodie in *Meckenbeuren* eccleſia eſt: & ut reor nunquam fuit. villa eſt inter Rauenſpurgum & Buchhornium medio itinere in via regia ſita, Comitatus *Tettnangenſis*, poſt fata Comitis *Xauerii* ante paucos hos annos ad Auſtriacos deuoluti. *Decimae* Weingartenſium horreis inferuntur, prope ante ſeptingentos annos a Guelfis donatae.

ciſſe autumant, tamen verius traditur hunc feciſſe, quod ſuperſtites haberet nullos. (u.)

§. 9. GUELFFO *Dux Carinthie* & Dominus *Marchie Veronenſis* vir fortis & iuſtus Monaſterium *Altorff* ad montem antiquum transtulit, nomenque *Weingarten* indidit - ſanctum Martinum eo loco venerari iuſſit anno Chriſti M°CXXIIII° (w.) traduci etiam curauit illuc *maiorum ſuorum oſſa*. Altorff parochiam inſtituit (x.) etatem profectiorem nondum nactus mortis ſuſpicione premebatur. cum filios non haberet, *patrimonium* ſuum ſancto Martino & aulicis ſuis donat (y.) quam donationem mater eius irritabat, ac pacto Monaſterio *Lanckhein*, *Lamprunen* & *Heincekouen* (z.) tradiderat.

§. 10. HEINRICUS ſupradictorum frater Guelffoni Bauarie Duci fratri eius ſucceſſit. hic patre adhuc viuente WOLPHILDEM *Magionis* Saxonie Ducis filiam accepit, quam ex *Sophia* ſorore *Colomanni* Regis Pannonie habuerat. ex qua hos genuit filios, *Conradum*, *Hainricum* & *Guelffonem*. Item filias quatuor, *Judithan*, *Sophiam*, *Mechtildem* & *Wolffhildem*. & cum ſibi mortem accelerantem agnoſceret, Monachum

u) Vtrique donatio recte adſcribitur. *Patri*, quum iter Jeroſolimitanum cogitaret: *Filio*, quum pro anima parentis nuper defuncti Monaſterium *Hofenſe* fundaret atque dotaret. ſed hoc alias. confer interim Prodr. meum monum. Guelfic. pag. 49.

w) Immo id fecerat iam anno 1055. quo & obiit. miſcet hic rurſus Scriptor quadrata rotundis. Monaſterio in Altorf ſito anno 1053. igne conſumto, palatium ſuum ceſſit Monachis, caſtro in clauſtrum mutato, nomineque priſtino in *Vineam* ſeu *Weingarten* conuerſo. hoc monaſterium antiquum in monte S. Martini *Heinricus niger* Bauariae Dux & *Guelfonis* V. frater, omnisque patrimonii Guelfici haeres de nouo exſtruere cepit anno 1124. ſed de his ſuperius actum eſt.

x) Senſim nempe, vt in tot aliis locis integrae ciuitates occaſione Cœnobiorum, excreuit & hic villa, & tandem hodie oppidum ciuibus frequentiſſimum.

y) De aulicis in aliis & multo antiquioribus M. S. noſtris nulla fit mentio. Miniſteriales duo conſtituti ſunt a Principe, vt vltimam ſuam voluntatem exequerentur.

z) Corrupta nomina. legendum *Lancrein*, *Luterbrunnen*, *Ethinishouen*, villae in vulgus noſtrum notae.

nachum profitebatur, & in arce Rauenſpurg diem obiit. die poſtea ſexto decimo *Wolffhildis* deceſſit, tamuloque in *Weingarten* inponebantur. habuit preterea alios filios, verum omnes illi inmatura etate vita functi ſunt. *Conradus* Monachus clareuallenſis ſe Deo dicauit : & cum Ieroſolymam peregrinaretur, heremite ſe cuidam adiunxit valetudine aduerſa correptus. ac demum cum repeteret *Barii* obiit.

§. 11. HEINRICUS cognomento ſuperbus Patri in Ducatu *Bauarie* ſucceſſit. hic *GERTRUDEM Lotharii* Imperatoris & *Saxonie Ducis* ex *Richizina* coniuge filiam in uxorem duxit. generalem conuocationem Ratiſpone habuit, & rogatis Sueuis atque Bauaris nuptias iuxta Licum Auguſtam prope in eo loco qui *Conciolegum* dicitur, parauit : & poſtea cum ad autumnale tempus in arce Rauenſpurg moraretur, Ducatum *Saxonie* accepit. Cui *Fridericus* Dux Sueuie de *Hochunſtauffen* inimicus erat : & licet quidem *ſororius* eius eſſet, eum odio maximo proſequebatur. *Altorff*, *Rauenſpurg*, *Memingen* & plerasque villas propinquas incendio vaſtauit. Heinrico Guelffo frater auxilio fuit : plures tamen ex ſuis Fridericus vi capiebat. Habuit ex uxore ſua *Hainricum* ſuperbum (*) dictum.

§. 12. GUELFFO Hainrici frater, *VTTAM Gottfridi Comitis de Kalb* filiam, uxorem duxit. omnia bona *Soceri ſui* acquiſiuit. Verum *Albertus* Comes Gottfridi frater dolo Guelffonem arce *Kalb* ſpoliauit. Cui *Fridericus* & *Conradus* Duces Sueuie auxilio fuerunt. *Conradus* Sueuie Dux *de Zeringen* arcem *Schawenburg*, que Guelffonis erat obſedit : verum auxiliante *Lothario* Imperatore infecto negotio abſceſſit. Tandem arcem *Leonſtein* Guelffonis oppugnat. (aa) GUELFFO poſtea vocabatur pius, Dominus *Spoleti* & *Sardinie* Princeps erat, rerum magnarum commendabilis. vltimus *huius nominis* princeps, quoniam *filius* Guelffo

*) Al. *Leonem.*

aa) Chronica de Guelfis caſtrum hoc a Guelfone fuiſſe captum rectius recenſet. Caeterum vide quae ibi ad Cap. XII. §. VI. adnotaui.

GUELFFO ante eum functus vita est annis *quatuor*. (bb) bis ad terram sanctam peregrinatus est. Anno Christi MLXXI. (cc.) Monasterium *Staingaden* premonstratensis ordinis in valle *Lici* faciendum curauit. ibi obiit (dd.) atque humatus est. Ego credo quod sub *Hainrico superbo*, *Guelffone eius fratre & Friderico Duce* nomina hec pernicioſiſſime factionis *Guelfforum & Gibellinorum* indita sint : quare post finem huius *Sumule* quid alii dixerint subiungemus.

§. 13. JUDITHA ex *Wolffhilde Hainrici* superioris filia *Friderico Duci de Hochunstauffen* nupsit : que ex eo *Fridericum primum* & uxorem (ee) *Matthei Lotharingie Ducis* habuit. SOPHIA altera filia *Berchtoldo Duci de Zerungen* nupsit , quo mortuo *Leopoldo Marchioni Stirie* desponsata fuit : ex quo *Othocarum*, primum *Marchionem* (ff.) habuit. MECHTILDIS tertia filia *Gebhardo comiti de Sulzbach* in uxorem tradita fuit. verum ante Gebhardum *Theobaldum Theobaldi comitis de Vocheburg* filium Maritum habuit. WOLFFHILDIS quarta filia uxor erat *Rudolffi comitis Bregantini*.

§. 14. HAINRICUS iunior Hainrici filius superbus etiam vocabatur. vxorem habuit primam *CLEMENTIAM Conradi Ducis de Zeringen* filiam, quam repudiauit. fortis ac disciplinę militaris peritissimus erat. trans mare pugnauit acriter. *Saxonie* Ducatum obtinuit & *Brunswick*. sed quia *Friderico* primo fidem fregit , cum iam *Allexandriam* ciuitatem

 obse-

bb) Immo *viginti quatuor*. mox enim hic ipse Scriptor & recte obitum filii ad annum 1167. reponit. porro quum ex supra dictis certum sit Patrem obiisse anno 1191. planum est obitum *iuuenis* contigisse annis 24. ante mortem *Senioris*.

cc) Crassus error! ponendus est annus 1147. vide *monum. boic. vol. VI.*

dd) Illuc translatus est , quum *Memmingae* obiisset.

ee) Otto de S. Blasio eam *Juditham* vocat ; sed nisi bynomia fuerit, eam cum Matre confudit. certum enim ex fide Diplomatum est , Matthaei huius Lotharingiae Ducis uxorem fuisse *Bertham*. vid. Eccard. Orig. Guelfic. T. II. §. 59. p. 393.

ff) Pater quoque huius Leopoldi Ottaccar *Marchio* Styriae fuit ; vnde inepte *Leopoldi fortis* filium *primum* compellat *Marchionem* hic Auctor. crederes oscitantia *Marchionis* nomen loco *Ducis* irrepsisse. verum quum *Ottochar* Ducis titulum primum anno 1180.

obſediſſet, ab eo defecerat in exilium relegatus fuit. anno MCLXXX. *vtroque* Ducatu Bauarie & Saxonie priuatur. retinuit tamen Ducatum *Lunenburg* & *Brunſwick*. *MECHTILDEM* anglie Reginam ſecundam duxit vxorem *Hainrici* ſecundi regis filiam: ex qua genuit *Ottonem* quartum Imperatorem, *Hainricum Rheni Palatinum*, & *Guillielmum*, de quo memoria dignum refertur nihil. (g g.)

§. 15. Cum Friderico primo bella Guelffonis ex *Vtta* alias etiam *Yta* filius Anno MCLXVII. adhuc adoleſcens forma inſignis atque martialis. Cum Fridericus primus obſideret, obiit (h h.) cuius oſſa ad *Staingaden* delata ſunt. antea tamen quam moreretur magnum conflictum cum *Hugone palatino de Tubingen* habebat. Guelffo amiſerat XC. (i i.) tribus vix ſecum fugientibus. in arce *Achalmen* latitabat: & ſibi preſtiterant auxilium *Auguſtenſis*, *Spirenſis*, & *Wormatienſis* epiſcopi: *Berchtoldus Dux de Zeringen*, *Berchtoldus Marchio de Voheburg*, *Hermannus Marchio de Baden*, *Rudolffus comes de Pfullendorff*, *Albertus comes de Habſpurg*, *duo fratres comites de Kalb*, *duo de Berge*, *Gotfridus & Rudolffus fratres de Romſperg*, *Hartmannus de Kirchberg*, *Hainricus de Feringen comites*, & *Conradus aduocatus Conſtantienſis*. Hugoni palatino auxilio fuerunt *Fridericus de Hochunſtauffen Dux Sueuie* & *Comites de Zolren*. Credo tamen, hoc bellum Hugonem & Fridericum cum Guelffone iuniore non habitum, verum etiam cum Patre eius; cum idem

Guelff

aſſumpſerit: filius vero Leopoldi & Sophiae noſtrae patri iam ſucceſſerit anno 1129. primus ille Styriae *Dux* Sophie & Leopoldi nepos ex Ottocaro filio fuerit. conſule *Chronicon Mellic.* apud P. Pezium T. I. S. R. A. *Chron.* item *Salisburg.* apud eumdem &c.

gg) Ne quidem trigeſimum aetatis annum hic Princeps attigit, defunctus anno 1213. in Die S. Luciae. reliquit tamen filium *Ottonem puerum*, ex quo Stemma Guelficum hodie feliciter continuatur per rectam Lineam in Regibus *Angliae* & *Ducibus Brunswicenſibus* &c.

hh) Locum hunc Exſcriptor turpiter vitiauit. ſenſus eſſe ſequens debet: *Guelfo Juuenis* Guelfonis ex Vtta filius anno 1167. adhuc adoleſcens . . . dum Friderico primo bella in Italia gerenti adeſſet, isque *Romam* obſideret, obiit. &c.

ii) Id eſt: *nongentos*, vt ſupra dictum eſt.

Guelff iunior ante patrem, vt diximus, annis *quatuor* vita functus eſt. quare rationi congruit, patrem etiam filio auxilio fuiſſe. (kk.)

§. 16. OTTO *quartus Imperator* Hainrici ſuperbi (ll.) *iunioris* filius ex *Mechtilde* contra *Philippum de Hochunſtauffen* electus eſt in romanorum Regem. hic *primam* vxorem habuit *Brabantie Ducis* filiam. *alteram Philippi filiam*; vnde res ad pacem deducebatur. (mm.)

§. 17. Poſtea *Fridericus ſecundus*, eius nepos ex fratre *Hainrico ſexto* Imperatore vtriusque Sicilie Rege ac Sueuie Duce, contra eum electus eſt, & tandem excommunicatus fuit. Preterea etiam congreſſus bello cum *Philippo Francie Rege*, a quo proſtratus atque fugatus fuit. (nn.)

§. 18. Familia GUELFFONUM Eccleſias *Auguſtenſem*, *Friſingenſem*, *Curienſem*, *Campidonenſem*, *Conſtantienſem*, *Vttenbeurenſem*, *Augienſem*, *Weiſſenaw*, *Weingarten*, *Ammergewenſem*, *Altmunſter*, *Rotenbuch*, *Steingaden*, & *ſancti Nicolai prope Memingen* dote & donationibus ingentibus exornauit. Hec quantum potuimus de *Guelffonum* ſucceſſione ad *Sumulam* quamdam redegimus. verum inter colligendum multa caduca minus quoque emendata inuenimus: ac ea plurimum omiſſa, que hiſtorie conducunt. Dabimus autem operam hiis iam ſuccinctim collectis ad optimam hyſtorieque dignam materiam reducere; cum huic

 nobi-

kk) Futilis prorſus ratio! Pater enim Principatibus ſuis ampliſſimis, quos vt dictum eſt, a Friderico Barbaroſſa in Italia acceperat, praeſens aderat. immo eius abſentia ſtimulos addebat Juueni Principi, vt iniuriam vlſciſceretur. Caeterum meminerit Lector, hic rurſus annum *vigeſimum quartum* & non *quartum* poni debuiſſe.

ll) Vt iam monui, de Hainrico *Leone* haec intelligenda ſunt.

mm) Inuerſo ordine uxores Ottonis Imp. hic ponuntur. *prima* fuit *Beatrix* Philippi Regis filia. *ſecunda Maria* brabantica.

nn) Quoniam hanc cladem Otto Imperator accepit anno 1214. colligere licet Scriptorem noſtrum circa haec tempora ſcribere deſiiſſe ſimul ac viuere; alias ſaltem obitum eiusdem Ottonis qui anno 1218. euenit, haut reticuiſſet. *Protographon* huius *Summulae* nuſpiam adhuc reperire inter MSS. noſtra potui.

nobiliſſime familie nichil defuerit, quod ad Laudem & gloriam non accumulatiſſime accederet. (oo.)

FINIS.

oo) Ex hac coronide nullo negotio colligitur, hunc Scriptorem poſtea latiori ſtylo hiſtoriam Guelficam exaraſſe: & hanc ipſam reor, quam nuper edidit cl. *Jungius* Tom. V. *Orig. Guelf.* ex codice *Vindobonenſi* pridem deſcriptam. huius penes nos ne quidem Apographon ſupereſt: incertum quoque qua occaſione hoc MS. Viennam peruenerit. quantum quidem ex quibusdam verbis *abbreuiatis* (ſic enim inuitis vtcumque Grammaticis loqui fas eſto) auguror, ipſe codex Viennenſis eiusdem eſt aetatis & caracteris cum eo, quem hic deſcripſi. De reliquo naeui non contemnendi, cuiuscumque tandem vitio, in hanc editionem *Iungii* irrepſere, quorum hic grandiores adnotare conſultum duxi. pag. 31. *Guelfforum* l. Gwelffonem. p. 32. *Vtenburenſem* l. Vttenburenſem. p. 34. *Altorff* l. Alidorff. p. 36. *inque* l. in qua. ibid. Welfo ſecundus *comes de Bothingin*, *Waterlingen* - l. comes dedit - Waterdingen- Engenreuti. p. 39. Juditha vero *decimis* l. lacrimis - *brauit* l. beauit - Kepfingen - predium iuxta Breitenwanc. predium in venuſta valle. p. 40. lin. 1. *in quo primus in extremum* leg. in quo poſtea in extremis. p. 43. *Wartinbach* l. Wartenberg. Caeterum hoc chronicon recte compilationem dixeris, ex Chronico de Guelfis, vita S. Conradi, & Necrologio, nec non hiſtoria S. Sanguinis excerptam.

VII.

NECROLOGIUM WEINGARTENSE. (*)

*) *Quatuor hodiedum ſuperſunt nobis Necrologia* in membranis *exarata. Praecipuum & antiquiſſimum* Anonymo de Guelfis *praefigitur, ſcriptum vt videtur eadem manu vergente Seculo XII. plurima tamen ſeculo ſequenti adiecta ſunt nomina.*

Alterum extat ante codicem Euangeliorum, quod vidit cl. Mabillonius, ex eoque diem obitus Iudithae *Guelfonis IV. uxoris exſcripſit. at loco menſis* Martii *memoriae lapſu poſuit* Auguſtum. *ſcriptus eſt hic codex pro Monialibus ſub* Berchtoldo Abbate, *qui praefuit ab anno* 1200. *usque* 1232. *proſtat in Bibliotheca noſtra ſub Lit. F. N.* 45. *Tertium pro Cuſtode Templi videtur eſſe collectum, continetque eorum plerumque nomina, pro quibus memoria anniuerſaria eſſet habenda. exeunte ſeculo XIV. ſeu initio XV. ſcriptum eſt. ſignum gerit a tergo Lit. F. N.* 17. *Quartum adnectitur Codici elegantter ſcripto per* Symonem Roesh *Conuentualem in* Wiblingen *anno* 1483. *finito. Complectitur Martyrologium & Regulam S. P. Bened. pleraque ex primo defloratа ſunt, opera, vt reor,* Gerwici *Abbatis noſtri longe celebratiſſimi, qui ab anno* 1520. *usque* 1567. *pedum geſſit. ſignatur Codex Lit. F. N.* 6. *hunc improbo labore auxit noſter P. Joſephus Han Bibliothecarius, defunctus anno* 1671. *qua quidem ſua induſtria plurimum iuuit eum, qui aliquando Catalogum Monachorum Weingartenſium collecturus eſt. Idcirco monachorum & ſororum nomina heic fere omnia omiſi; eoquod eos noſſe in praeſentiarum Publico haut intereſt.*

JANUARIUS.

b. IIII. Non. Obiit ſtrenuus *Heinricus miles de Horingen* in oct. S. Steph. & ſepultus eſt in interiori cemiterio. pro ipſo igitur & uxore

uxore eius *Adilheid de Rishach*, & patris ac matris ſue *Vrſule* & *Vlrici militis de Horingen* cum omnibus predeceſſoribus ſuis vigilia cum notis. 1443. N. F. 17.

d. II. N. *Vlricus miles dictus Wildenmann.*

b. V. Id. Johannes dictus *Huntpiiſs* n. c. m. F. 17.

e. Idus. FRIDERICUS REX ROMANORUM. F. 17. (A.)

A) Neſcio an I. aut II. intelligat Scriptor ? vtrique plurimum in acceptis refert Vinea. puto tamen *Anniuerſarium* celebrari conſeuiſſe pro Friderico II. ſaltem neuter hac die *obiit.* de Friderico I. infra diſputabitur : ſecundum mortem oppetiiſſe 13. Dec. conſtat ex eius Epitaphio apud Ricobald. ferrar. in Hiſtor. Imper. p. 1174.

Annis millenis bis centum pentaque denis
Diues mendicus deceſſit *Rex Fridericus.*
Illo namque die celebrantur feſta *Luciae.*
Qui mare, qui terras, populos & regna ſubegit,
Caeſareum fregit ſubito mors improba nomen.
Sic iacet, vt cernis, Fridericus in orbe *ſecundus.*
Nunc lapis hic, totus cui mundus paruit, arcet.

a. XVIII. K. Febr. *Heinricus Abbas.* (B.)

B) Vltimus in Altenmünſter & primus in Altdorf, quo translatus eſt cum ſuis anno 1047. anno vero 1055. a Guelfone III. Duce Charinthiae in monte S. Martini collocatus. vide Catalog. Abbat. Weing. in Prodr. Monum. Guelf. a me edito.

f. XIII. K. *Fridericus Dux.* (C.)

C) Filius Friderici Barbaroſſae. obiit anno 1191. ad eamdem diem adſcribitur in Necrol. Admont. apud P. Pez. T. II. col. 200. inde corrigendum Necrologium noſtrum F. 6. cui indocta manus addidit : *Pater* Frider. Imp.

g. XII. K. Luitoldus Abbas. (D.)

D) *Zwifuldenſis*, multo recentiori manu adſutus. vide Diſſert. prodr. §. V. p. 19.

c. IX. K. *Vlricus de Kunſegg iunior.* F. 17.

d. VIII. K. Rudolfus de Haldenberg. requieſcit ſub porticu. F. 17.

g. V. K. Adelhait de Ibach.

b. III. K. *Gebhardus noſter Abbas.* F. 6.

FE-

FEBRUARIUS.

d. Kal. Fridericus de Ibach. F. 17.

f. III. Non. Dominus Johannes Klenker Sacerdos, Rector Ecclesie in Mosheim; sepultus in capella sacri cruoris Christi anno 1436. F. 17.

g. II. Non. *Burckardus noster Abbas.* F. 6.

d. VI. Idus. *Heinricus Comes filius Roudolfi*, hic sepultus. pro cuius anima datum est predium in Minigolsowe. hic in venatione obiit iuxta villam Lenon, saxo est percussus. (E.)

" E) Ekehardus de Cas. S. Galli c. 1. apud Goldast. R. A. pag. mi-
" hi 45. scribit : *In vigilia S. Othmari* fatalem optimae indolis Iuueni
" accidisse casum. forte vt crederet Lector, S. Abbatem fuisse vindi-
" cem *neglecti census annui Calybum de faucibus iuliarum &c.* quid-
" quid sit ! hac ergo die 8. Febr. huc translatus, Patrumque tumulo
" inlatus fuerit. Ex his liquet, Welfos iam tum (immo vt reor pri-
" dem) in hodierna Tyroli & praesertim circa Athesin ditiones suas
" habuisse. inde intelligitur quoque, cur Hundius in Metrop. Salisb.
" *Itham* Matrem huius Heinrici vna plus vice *Comitissam Tyrolensem*
" vocet. Certe *Conradus salicus* Guelfoni II. huius Heinrici fratri
" ademisse legitur *comitatum* ab eo termino, *qui Tridentum a Bri-*
" *xinensi diuidit episcopatu.* Diploma ipsum videsis apud Gewoldum
" in addit. ad Hund. M. S. p. mihi 471. annus emortualis Heinrico no-
" stro fuit cc. 990. *Minigolsau* mire torsit fœcundum alias *Eccardi in*
" *Orig. Guelficis* ingenium. vt scrupulus eximatur Lectoribus, dicam,
" locum prope ad *Shussam* positum esse vna tantum hora a Weingarten
" dissitum, quem *Minggenhausen* hodie, vulgo *Miggenhausen* voca-
" mus, vt ex Rotulis nostris constat.

e. V. Idus. ALTONIS EPISCOPI. — Notum facimus presentibus omnibus presentes literas inspecturis, quod reuerendus in Christo Pater *Hartmannus de Burgow* Abbas Monasterii Weingart. *Ieorius de Burgow*, *Johannes de Burgow* cum suis uxoribus lega-

legauerunt XXX. florenos renenſes *domui infirmorum* Monaſt. Weing. ut anniuerſarium eorum ſemper peragatur in die *Altonis* &c. ann. 1508. F. 17.

a. XI. K. *Ludewicus de Haldenberg* Abbas noſter, dictus de Ibach. requieſcit in capella beati Petri Apoſtoli. qui fuit vir prudens, ſobrius, quietus, pudicus & humilis. F. 6. & F. 17.

d. VIII. K. *Juditha Dux*, Mater Friderici Imperatoris (F.) *Oswaldus miles de Marchdorff.*

F) Filia Heinrici Nigri Ducis Bauariae & Wulfildis - ſoror Heinrici magnanimi & Welfonis VI. &c. uxor Friderici Coclitis Sueuiae Ducis. Cl. Koelerus Diſſert. Genealog. famil. Stauff. *Tab. I.* dicit, eam mortuam fuiſſe anno 1126. rationem vero nullam affert; quam tamen probabilem reperire mihi videor ex Ottone Friſing. de geſt. Frid. I. L. I. cap. 21. ubi ſcribit: " Fridericus Dux mortua uxore ſua *JU-*" *DITHA diſſenſionis tempore*, Friderici Comitis de Sarburg . . . filiam *Agnetem* " in uxorem duxit. " Illud enim tempus diſſenſionis aptius intelligi nequit, quam quando anno 1125. *Lotharius* Socer Heinrici magnanimi ad Imperium adſumptus eſt, quod iam tum Stauffenſes amblebant; ideoque Lothario perpetuo refractarii, Welforumque inimici fuere.

f. VI. K. MARQUARDUS NOSTER ABBAS. HARTMANNUS DE BURGOW obiit in anno 1520. Abbas huius celeberrimi Monaſterii. F. 6.

MARTIUS.

d. Kal. Obiit *Sigismundus Archidux Auſtrie*, ſepultus in Monaſterio ſancti Joannis in *Stamms* anno M. CCCC. LXXXXVI. qui duxit duas uxores: primam Reginam Schotie nomine *Helenam.* aliam Duciſſam Saxonie nomine *Katharinam.* F. 6.

a. III. Non. *Juditha Dux* Regina Anglie, hic ſepulta. dedit pretioſiſſimum theſaurum Eccleſie *Sanguinem Domini* cum Reliquiis Sanctorum, palliis & plenariis. (G.)

G) Uxor primum *Toſtici*, deinde Guelfi IV. de qua iam ſatis ſupra.

f. VI. Id. *Roudolfus Comes* frater (*Nepos*) S. Counradi. Hic dedit Frenckinbach

ckinbach & Bougin. Et WELF filius eius. qui dedit Opeldeshouen, Hadeprecheshouen, Gambach, Ingenrouti : aliquam partem Hagenowe. hic ſepulti. (H.)

H) Mihi videtur, hunc diem fuiſſe *Translationis* eorum ex Altorf in Montem S. Martini ann. 1055. ut habet Chronicon de Guelfis Cap. VII.

Heinricus Clericus Cancellarius, qui dedit Libros precipuos, Gratianum, Pſalterium continuum, Sententias maiores, Iuſtinianum & alios plures.

g. V. Id. Georgius dapifer de Waltpurg miles, obiit 1482. F. 6. (I.)

I) Pappenheimus eius obitum die antecedente collocat.

b. III. Id. *Roudolfus de Altorf* L. (K.)

K) Suſpicionem hoc nomen non ſemel mihi ingeſſit, an hic non ſit S. Conradi frater ? ſed quoniam comitis Axioma adiectum non eſt, non auſim quidquam ſtatuere.

e. XVII. K. Apr. *Counradus de Ibach* Abbas noſter F. 6. F. 17.
Fridericus de Walpurc L. F. 45. (L.)

L) Is pluribus Diplomatibus ſubſcripſiſſe inuenitur. praeſertim a Guelfone VI. datis Monaſterio Steingadenſi, vide Monum. Boic. Vol. VI. p. 490 - 493.

f. IX. K. Obiit *Katharina de Kunſegg.* -
H. Laicus de Huſskirch. F. 17.

b. VI. K. *Swicgerus L. de Walpurc.* dedit predium in Sulpach. (M.)

M) Necrologium F. 45. ſic habet: *Swigerus Tumbe.* videtur ergo haec cum Walpurgenſibus eadem fuiſſe ſtirps. Inter miniſteriales Friderici Ducis Sueuiae teſtis ſubſcripſit quidam Heinricus *Tumbo* anno 1188. Vol. VI. Mon. Boic. p. 499.

d. IIII. K. C. Hunpiſs Miniſter de Rauenſpurg.

f. II. K. CHOUNIZA COMITISSA MATER DUCIS WELF. (N.)

N) Iuuat inſignem locum ex Muratorii Antiqq. Italicis Tom. IV. Diſſert. 51. huc exſcribere. " Minime fraudandus eſt, *inquit*, Lector " Epigraphe eius tumulo olim impoſita, quam debeo cl. viro Guido- " ni Grandio Camaldulenſi Abbati . . . ſcripſit ille ad me, ſe inter " veteres chartas Monaſterii Vangadicienſis . . reperiſſe memoriam " loci, vbi tumulo data fuerat inſignis mulier. ſcilicet in charta qua-

" dam veteri adnotatum fuerat : Dum in Templo eiusdem Cœnobii
" fabricaretur anno MCCCXXXIV. Auguſto menſe apertam fuiſſe ar-
" cam, in qua duo corpora iacebant iunctim poſita, ſed ita, vt vnius
" caput iaceret vbi alterius pedes. adhuc ibi veſtigia ſupererant pan-
" ni aureis ſericisque filis contexti .... Marmore inſcripta erat me-
" moria *Cunegundis* ibi ſepultae, quam neſcio quibus tabulis fretus
" chartae Scriptor aiebat anno MLVII. finem viuendi feciſſe. Quod
" ſolum doleo, nimiis erroribus ſcatet epitaphium ipſum, quos in an-
" tiquum deſcriptorem potius, quam in primum auctorem referendos
" opinor. ſed quale accepi ego, accipiat & a me Lector :

" Victa (a) GUNEGULDIS regali Stemate fulſi.
" Indole nobilior nullus in orbe fuit.
" Germine *Welfontis* (b.) magni ſum nata *germana*. †
" Induperator (c) iſte fuit Titulus.
" Vir meus egregius : populus locupletior vllus
" Haud manet : Italia haud ſimile peperit.
" *Azo* (d.) vir prudens magnusque *Marchio* fulget,
" Quem credo memorem ſemper adeſſe mei.
" In terra celeſtis *ſobolem* conceſſit vtrisque.
" Qui *Welfons* dictus : Duxque (e.) potensque pius.
" Hunc violare nefas loculum, nec inde recedam,
" Donec vera carne reſurgam.

" a) Fortaſſis *viua*.
" b) *Welfontis*, qui Dux Carinthiae & Marchiae Veronenſis Dominus fuit, cui hæres Cunegundis noſtrae *filius* fuit.
" †) Forte & ſic licebit hunc verſum interpretari : *Welfonis II.* vere *magni* fuit " *filia*, natione *germana* - Cui *Imperatoris* titulus proprius eſt.
" c) Hoc eſt *Imperator*. ſed quid iſta ſignificent, definire difficile eſt.
" d) *Azo II.* magnus Italiae Marchio, *Rhodigii*, *Ateſtis &c.* Dominus.
" e) Nempe *Welpho IV.* eiusdem Azonis & Cunegundis filius .... ergo longe " poſt eius mortem poſitum Cunegundi noſtrae Epitaphium ; nam *Bauariae Dux* " is anno tantum MLXXI. renuntiatus eſt.

f. VII. Id. CONRADUS NOSTER ABBAS 1354. (O.) F. 6.

O) In

O) In Catalogo Abbatum a me edito adſcripſi annum 1346. ſequutus criſin R.mi *Georgii Wegelin* Praeſulis noſtri doctiſſimi. quoniam enim proſtant litterae *Heinrici de Ibach* primo menſe anni 1347. datae, inferebat; illum huic *morte* ceſſiſſe locum. dicendum ergo videtur, quod anno 1346. munus abbatiale *reſignarit*, & demum ex fide Necrologii anno 1354. *mortuus ſit.*

a. XVI. K. *Bertholdus Miles* dictus *de Fronhouen.* qui legauit conuentui vnam libram denar. F. 17.

b. XV. K. Obiit Venerabilis Pater Dominus JOHANNES dictus *Blarer* (aliis Plaerer) Abbas huius Monaſterii, tumulatus in capella beate Virginis anno Domini 1437. Necrolog. F. 17. & F. 6.

d. XIII. K. *Leonis VIIII. pp.* Heinricus Genuſtinc L. qui dedit predium in Worſe.

g. X. K. *Meingoz* noſter Abbas, ſub cuius regiminis tempore turris huius monaſterii conſtructa eſt &c. (*obiit* 1200. *vid. Prodr.*)

a. IX. K. *Obiit Fridericus noſter Abbas dictus Heller.* requieſcit in monaſterio (*im Münſter. obiit* 1315)

b. VIII. K. Obiit *Vlricus de Kunſegg* ſenior Miles, & filia eius *Fides de Wolffurt.* qui legauit conuentui annuatim 1. libr. denar. pro quorum & omnium de Kunſegg memoria celebratur cum vigilia in notis. F. 17.

Ortholdus n. c. M. qui dedit predium quod habuit ad Eikach & Heiminwilare.

e. V. K. *Mahtilt* L. Hec dedit pallium varium & dimidium manſum.

g. III. K. Purchardus L. qui dedit partem predii in Heiminwilare.

MAIUS.

b. VIII. Idus. *Hermannus diues* L. qui dedit predium Balderichiſwilare, Wiſerichiſwilare, Diethmundeſwilare & Waltinhouen. Ailingin. Hegebach. (P.)

P) De hoc codex traditionum haec habet: "*Hermannus diues* ſer- "uiens *Heinrici* fratris *Gwelfonis Ducis* cum vxore *Luitgarda* pro re- "medio anime ſue filiique H. nec non & parentum ſuorum, Deo ſancto- "que *Martino* tradidit duos manſos in locis qui dicuntur Balderiches-

 "wilare,

" wilare, Wiſericheswilare, Dietmundeswilare, & ſunt in pago Arin-
" goenſi (*Argengew*) & in *Bauaria* ad Waltenhouen , tres manſos
" eo pacto, vt memoria filii ſui ſicut vnius fratrum celebris habea-
" tur. " Nullatenus ambigo, quin fuerit haec mater *Luitgardis de Rauinſpurc ſororis bone memorie GEBEZONIS*, de qua in Monum. boic. Vol. VII. in cod. tradit. Weſſofont. p. 348. mentio habetur. torſit hoc *Gebezonis* nomen ingenium cl. P. Leuttneri in Hiſtor. Monaſt. Weſſofont. vt ſuſpicaretur, an non eſſet *Gebehardus* Pauli Bernriedenſis alumnus ? Nobis certo conſtat Gebezonem fuiſſe *miniſterialem* Heinrici Leonis, fundatorem *Albaugiae* ſeu Minoraugiae Canoniae hodie ſub nomine vulgari *Weiſſenau* notiſſimae. quam quidem dotationem *Heinricus Leo*, vtpote patrimonii Guelfici haeres in praeſentia Friderici Regis anno 1152. ratam habuit. vide Lunig Spicil. eccleſ. Tom. III. p. 746. nos de Gebizone infra. habuit idem Gebezo ex traditione Albaugienſium conſanguineum quemdam *Ortolfum* nomine de *Biſenberg* (eiusdem familiae fuiſſe quoque Gebezonem iidem tradunt) qui vix trecentorum paſſuum interuallo ab Augia diſſitum Monaſterium *Marienthal* pro monialibus fundauit, quod autem pridem eſſe deſiit, loco nomine *Maiſenthal* relicto. hic idem ceu miniſterialis *Guelfonis Ducis* cuidam pacto inter Ducem & *Weſſofontanos* Monachos inito teſtimonium perhibuit, vt videre eſt in Mon. boic. l. c. p. 360. vbi vero corrupte *Ortolfus de Pyſerberg* loco *Piſenberg* ponitur. Ille ergo Hermannus Pater fuit Gebezonis & Luitgardis &c.

f. IIII. Id. Fridericus camerarius L.
g. III. Idus. *Gangolfi mart.* (Q.)

Q) R. P. Leuttner l. c. p. 145. teſtis eſt, in vicinia Lyci antiquam eſſe huius Sancti venerationem, atque vulgo dici *Gangwolfum. locus eſt in Sueuia*, inquit, *Sancti Gangwolfi vel ſimpliciter Gangwolfen nominatus, quem nos ex boica hac Lyci fluminis ripa... in ripa aduerſa conſpicimus ..... certum eſt, in antiquo noſtro Benedicti I. Abbatis Calendario ad III. Idus Maii fieri commemorationem Gangolfi martyris : & paſſim tunc notum fuiſſe hunc Sanctum diemque eius feſtiuam patet ex codice*

dice noſtro &c. Porro iam ſupra innui in *Wolpoteshwende ſeu* ut hodie vocatur *Wolfhartshwende* ab antiquis retro ſaeculis *S. Gangolfi* extitiſſe celebritatem. Quum notum ſit circa Lycum amnem Guelforum auita fuiſſe bona & poſſeſſiones, fieri potuit, ut & huc in *pagum Shuſſengoicum* eius cultum transferrent, quo & ipſi immigrarunt. ipſum nomen *Wolpoteswende* & magis *Wolfhardswende* interprete ill.mo *Senckenbergio* ab antiqua voce *Wenden*, habitare, incolere, *Welfonum habitationem* ſignificat, ibi turris *Azzonis* vel *Hazzonis* validiſſima etiamnum ſupereſt, a filio *Guelfone IV.* exſtructa, vt ego quidem ſentio. Quid ſi *S. Gangolfum* eiusdem gentis fuiſſe ſuſpicemur? certe nomen ita eſt noſtris affine, ut idem eſſe pluribus eruditis videatur. genus inprimis nobile vitae Scriptores produnt apud Bolland. ad XI. diem May, & *Lectionaria antiqua* Bibliothecae Weingartenſis, tametſi, quod plerisque contigit, fabulis infarciantur. Ego nonniſi *Annaliſtam Saxonem*, virum probatiſſimum commemorabo. ad ann. 759. ſequentia refert: " Sanctus *Gangulfus* in Burgundia a quodam clerico " occiſus eſt pro uxoris ſuaeſibi adamato adulterio. *hic parentum alto* " *genere ortus* Regi *Pippino* militari coniunctus officio inſeruiebat: qui " hunc inter fortiſſimos ſui exercitus deputabat, quia erat acer animo, " fortis viribus, ſtrenuus in armis, & omni militari exercitio inſtructiſſimus. cuius rei indicium facit inſignis eius armatura, quae " adhuc conſeruatur in Eccleſia eius honori & *nomini* dicata, quam- " que ſacra eius illuſtrat praeſentia: ubi habentur repoſita *galea*, *lo-* " *rica*, *gladiusque* eius & *brachialia*. Corpus ad locum profeſſionis " eius *Varennas* dictum corruſcantibus miraculis delatum, & in ſua " ipſius baſilica in honore Apoſtolorum principis dicata, eſt ſepul- " tum. " Ex his inferat Lector, quod ſibi placuerit.

BERITHGERUS noſter Abbas F. 45. (alias *Beringerus.* ob. c. a. 1080.) *Fridericus* (*) *de Walpurc Dapifer*, dedit molendinum in Mochinwanc.

*) In Necrologio F. 45. *de Walpurc* omiſſum eſt. duos Fridericos Dapiferos idem Necrologium F. 45. exhibet, vetuſtius vnum tantum. ſcio plures fuiſſe illius familiae, qui hoc compellabantur nomine. ſed quoniam illud Necrologium ſub Abbate Bertholdo (fuit Abbas ab ann. 1200. - 1232.) ſcriptum eſt, non poterat aliquis *iuniorum*

notari. ergo vt videtur, is qui supra 18 Martii positus est a iuniore Necrologo, idem cum eo est, quem hoc die utrumque commemorat. forte tamen hic aut superior est ille *Fridericus de Tanne* frater Dapiferi, qui in *montis Flasconis* castro occisus est anno 1197. apud Vrsperg. p. 305.

c. XVII. K. *IODOCUS noster Abbas dictus Benthelin ob.* 1477. Necrol. F. 6. & aliud F. 17. Anno 1477. obiit venerabilis pater dominus Jodocus Pentelin. eius pater obiit ante dominum Jodocum abbatem huius loci annos XV. id est anno 1461.

f. XIIII. K. *Fridericus Camerarius* n. c. m. qui ecclesie nostre calicem subtilis artificii, duas cappas, & duas albas administrauit. & *hunc librum*, breuiarium, officiale & librum Benedictionalem *de nouo scribi fecit.* (R.)

R) Huius meminit Catalogus antiquus a me in Prodr. editus sub *Meingoso* Abbate, qui ann. 1200. obiit. huius ergo cura *Chronica de Guelfis* de nouo descripta est: qua quidem immortalem apud posteros memoriam meruit hic Monachus noster, quum *Protographum* pridem deperditum sit.

g. XIII. K. *Matthias Lang Abbas in Marienberg* postulatus ex Weingarten. 1640. natus 1570. 23. Mart. professus 1587. 20. Aug. F. 6. m. r.

d. VIIII. *Gisela* L. que dedit predium ad Herecherberge (S.)

S) Codex traditt. virum quoque eius prodit his verbis: " *Fridericus* & *Gisila* uxor " eius dederunt duos mansos ad Herheresberge pro duobus pueris susceptis.

e. VIII. K. Ver fugat *Vrbanus*, estatem *Simphorianus*.
Eberhardus L. Dapifer. (T.)

WERNHERUS *noster Abbas* (V.)

T) Is reor, qui anno 1278. VI. Id. Martii concambium cum Abbate nostro *Hermanno* habuit, *quando castrum Walpurg comparauit*, ut habet Codex traditt. Pappenhemio obiit 1292.

V) Sub hoc consecratum est Monasterium nouum a Berchtoldo Episc. Const. 1182.

f. VII. GISILA L. que dedit Hizichouen cum suis appenditiis. (W.)

W) No-

W) Nobilis Matrona de *Heciliscella*, uxor *Walichfridi*. claruerunt anno 1083. vide Prodrom. mon. Guelf. p. 45.

a. V. K. Liupertus L. qui dedit XXXVIII. talenta.

JUNIUS.

d. VII. Idus. Nota quod ſingulis annis feria ſexta poſt octauas feſti Corporis Chriſti celebratur miſſa & vigilia in notis perpetuis temporibus pro animabus *omnium noſtrorum Fundatorum.* F. 17.

e. VI. Idus. Anno Domini 1462. obiit ERHARDUS FRIDANG Abbas huius Monaſterii. iacet apud Virgines.

f. V. Id. Obiit Nicolaus Mon. n. c. dictus *Huſs* 1374. F. 17.
Wernherus Cellerarius n. c. m. qui in rebus eccleſie plurimum ornatum deuotus patrauit. (X.)

X) Claruit ſub Diethmaro Abbate c. a. 1170.

g. IIII. Id. *Fridericus Imperator obiit.* Hic inter alia Beneficia dedit nobis calicem & XXV. Marcas. (Y.)

Y) Manus recentior annum adiunxit 1190. & recte. de die obitus aliqui ſcriptores diſcrepant. ſed dubium omne ſoluitur ex Diurnali *Tagenonis* Decani paſſavienſis, qui expeditioni ipſe adfuit, quique Imperatorem *IV. Idus Junii, qui tunc DIES SOLIS erat*, palam adnotauit. porro quum eo anno Litera dominicalis G. fuerit, manifeſtum eſt 10. Iunii fuiſſe diem ſolis & Friderico extremam. Annum obitus certum reddunt verſiculi in MS. Codice D. 46. Bibliothecae Weingart. contenti & coaeua manu exarati: quos R.mus Princeps Abbas *Martinus Gerbert* inde deſcriptos *Itinerario* ſuo inſeruit, hicque locum merentur.

Ortu Teutonicus romanus rex *Fridericus*
Auguſti nomen, *pacis* poſſedit & omen. (*)
Polliens conſilio ceſſit certamine nullo.
Diſſona compegit, qui prelia plura peregit.
Diſcordes ſtrauit, quia tempora pacis amauit.
Huius honore boni non impar erat Salomoni.

*) *Rich* ſeu *Reich* germanica lingua *Regnum* ſignificat, *Fride pacem.*

Felix

Felix felicem plantauit ad aſtra radicem.
More roſe vernans, bene ſubdita regna gubernans
Largus erat dando depreſſos quosque leuando.
Clerum dilexit, monitis hunc optime rexit.
O quam clementem Monachi ſenſere parentem.
Hunc Deus elegit, per eum miranda peregit.
Vt dicam breuiter ſummum vite ſubit iter.
Signum namque Crucis tollendo fit Aſſecla lucis.
Bellator fortis adiit Chriſti loca mortis,
Barbaricam gentem iam dudum cuncta tenentem
Exſtirpare volens, ſed ſumma potentia nolens
Id per eum fieri, nec nomen tale mereri,
Hunc rapit ut ſtultum, quod mirandum puto multum.
Milleno cum *centeno*, *nouies* quoque *deno*
Anno migrauit, animam Deus ipſe beauit.

d. XVIII. K. Jul. Roudolfus de Smalounegge L.

b. XIII. K. Reginoldus L. qui dedit predium ad mamingin. — obiit Dominus Pupuli de Erebach miles — & uxor eius hic in Monaſterio requieſcunt. F. 17.

d. XI. K. *Albani mart.* PHILIPPUS REX. (Z.)

Z) Recentior addidit: *anno* 1208. *in Babenberg occiditur.* ſunt qui ſequenti die occiſum volunt. verum ex *Hugolini Regiſt. de negot. Imper.* N. 152. p. 752. *Erat Sabbathum ante feſtum S. Joannis Bapt.* & iuxta Gotefridum coloniens. *Dies Albani*, porro anno 1208. biſſextili 21. Junii erat dies *Sabbathi.*

e. X. K. Obiit Wernherus Hunpis — ob. Wilhelmus Wildenmann, hic ſepultus eſt in ambitu apud capitolium ſub lapide. F. 17.

d. IIII. K. *Mahtildis Duciſſa Mater Imperatoris Ottonis.* (a.)

a) Videlicet IV. Fuit haec uxor ſecunda *Heinrici Leonis*, filia Regis Angliae *Heinrici II.* hanc porro ea obiiſſe die *Chronicon Stederburgenſe* fert teſtimonium. " In proximo " Paſca *Heinricus Dux* exulauit, *Mahtildem* poſt ſe relinquens, quae eodem anno " in *vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli* defuncta eſt. Annum Roger. Houeden. antiquus Scriptor Anglus notauit his verbis: *Eodem vero tempore* (1189.) *quo praedictus Rex*

Rex Angliae Heinricus II. obiit, quod factum eſt in Octavis Apoſtolorum Petri & Pauli feria quinta, Mahtildis Duciſſa Saxoniae filia eius ſimiliter obiit. Equidem huic non correſpondet *Chronicon Rhytmicum* Principum Brunswicenſium, quod lingua ſaxonica ita canit:

Se Stourue binnen deme jar
Do men rekende van Chriſti Gebort gar
M. unde *hundert* jar
VIII. unde *LXXX.* an der tal.

Verum anno 1189. & non priori *octava* Apoſtolorum incidit in *feriam quintam.*

JULIUS.

a. VI. N. Roudolfus de Brougion n. c. m. qui dedit nobis predium in Brougion, in Azilinsmule, in Baierfurt, in Haldun, in Scechinſe, in Gugelinberc, in Rouzinwillare.

c. IIII. N. Oudalrici Epiſcopi. *Translatio S. Martini.* F. 45.

g. VIII. Id. Hermannus de Dorincwillar (Dorkenweiler.) F. 45.

c. V. Id. Translatio S. Benedicti. SOPHIA COMITISSA DE STIRA hic ſepulta. dedit pallium pupureum & Dalmaticam & Calicem. (b.)

b.) Filia *Heinrici Nigri & Wulfildis*, ſoror *Guelfonis VI.* & reliquorum Liberorum. primum nupta *Berchtoldo Duci Zeringenſi*, & hoc 1122. occiſo, *Leopoldo Stiriae Marchioni:* cui peperit *Otakerum* ſeu Otocarum. annus obitus me latet.

f. II. Id. Chouno n. c. m. qui dedit predium in Ibach & familiam plurimam.

a. XVII. K. Aug. Adilheidis & Adilheidis L. dedit predium in Benziuhouen.

b. VIIII. K. *Heinricus L. de Waltpurg*, qui fecit conſecrari Altare S. Marie Magdalene & dotauit taberna in Altorf. (c.)

c.) Eſt hic Heinricus ille Dapifer, qui narrante *vrſpergenſi* p. mihi 310. a parricida Ottone de Witeſpach, cui poſt caedem Philippi fugienti ianuam intercludere voluit, in maxilla eodem gladio vulneratus eſt, quamque laudabilem cicatricem usque ad mortem habuit. Idem cum fratre ſuo *Friderico* teſtis ſubſcripſit donationi a Guelfone VI. factae Monaſterio Pollingano anno 1173. Monum. boic. Vol. X. p. 27.

e. Kal. Chounradus de Smalnegge L. dedit predium ad Bouhil.
g. Non. *Oswaldi Regis.* Gerloch L. qui dedit predium ad Dietinwillar.
a. VIII. Id. *Heinricus Dux Saxonie & Bawarie Pater Ottonis Imperatoris.* (d.)

d) Hic ad distinctionem ab Auo & Patre cognomen *Leonis* fortitus est. Chronicon Rhytmicum annum emortualem sic determinat:

Do des *dusent* unde *hundert* jar
Vyue unde *negentlich* waren dat gebar
Got Goddes Sone eyn maget.

Sepulturae locum indicat *Chronicon Stederburg.* Tom. I. Script. Brunswic. p. 867.

Deportatus inter manus flentium in Monasterium S. Blasii, quod ipse exstruxerat, in medio pauimento ante Crucem quam erexerat, in dextro latere uxoris suae MAHTILDIS Ducissae Anglorum Regis filiae, honorifice sepultus est.

e. IIII. Id. Burchardus *fusor* n. c. m. & Presbyter, qui in Campanis & aliis ecclesie ornamentis satis laborauit.
f. III. Id. Wernherus de Dorincwillar L. F. 45.
a. Id. Burcardus de Birtilwiler L.
b. XVIII. K. Sept. *Couno noster Abbas.* (e)

e) A *Walpurgensibus illustrem prosapiam trahens*, verba sunt Catalographi nostri, quem in Prodrom. monum. Guelf. iam publici iuris feci. obiit c. a. 1132.

e. XVIII. K. *Chounradus Dux Sweuorum.* Huic succesſit illustris frater Philippus nomine. qui pro requie fratrum & sui annuente Ministerialium beniuolentia sancto Martino contulit totale predium in Berngarteriute. id est ecclesiam, curtes cum suis appendiciis & non modica familia. (f.)

f) Filius Friderici Barbarossae. obiit Anno 1196. vide superius Chron. Imperat. confer etiam Otton. de S. Blas. ed. vrstis. p. 222.

e. XVI.

e. XVI. K. *Eberhardus de Tanne.* (g.)

g) Vt puto is, qui teſte Pappenhemio teſtis occurrit in fundationis Charta collegii canonicorum Syluaelacenſium (Waldſee) facta a Friderico I. Imp. item in Charta confirmationis monaſt. Steingad: conceſſae a Friderico Duce Sueuiae anno 1188. teſtis ſubſcripſit. Mon. Boic. Vol. VI. p. 499.

g. XIIII. K. Albertus de Sumerowe L. (h.)

h) Eidem diplomati mox citato ſubſcripſit, aliisque.

b. XII. K. *Irmintrout, que & Imiza Comitiſſa, mater Guelfonis & Chounize.* (i.)

i) Uxor Guelfonis II. ſuperſtes poſt fata prolium obiit c. a. 1060. vid. Prodr. p. 10.

g. VII. K. *Adelhelmus noſter Abbas.* F. 45. (k.)

k) In catalogo Abb. Weing. memoriae lapſu huius obitum adſcripſi VIII. K. ſeu 25. Aug. lege 26.

b. V. K. *Erena Regina* (l.)

l) Irene uxor Philippi Imperat. filia Iſaaci Imperat. Conſtpolit. equidem cl. Koelerus ex *Alberico* ad ann. 1208. eam obiiſſe menſe *Decembri* refert. At ſcriptoribus noſtris pollicem premit Auctor antiquus apud Vrſtis. p. mihi 87. vbi ait: "Regina vero au-"dita ipſius (*Philippi*) morte, & ſentiens vnicum ſolatium in eo (quia peregrina "erat) perdidiſſe, & cum eſſet *praegnans* dolorem dolori cumulans ad *Staup* (Stauf-"fen) caſtrum deducta eſt cum feſtinatione, ubi *poſt modicum tempus abortum fecit*, "& ſic vitam cum foetu finiuit, & ad monaſterium *Lorche* deportatur, & ibi glorio-"ſe ſepelitur." quomodo mulier grauida *modico poſt tempore abortum* feciſſe dici poſſet, ſi *ſeptimo* primum a Nece Mariti (quae 21. Junii accidit.) *menſe* prolem fuiſſet enixa? Scriptor noſter ſupra relatus refert ipſam circiter poſt X. *hebdomades* a Morte Regis ex difficultate partus interiiſſe, quod cum hoc Necrologo egregie conuenit.

d. III. K. *Gerwicus Plarer* Abbas Monaſteriorum Weingarten & Ochſenhuſen vtriusque Juris Licentiatus caeſareae & Regiae Maieſtati a conſiliis: Mitraque hoc Monaſterium decorauit. obiit in extrema ſenectute anno 1567. circa horam 6.tam & ſeptimam ante meridiem. F. 6. (m.)

m) Quoniam hoc Necrologio deſtitutus eram quum catalogum Abbatum ſcriberem, deceptus ab Anteceſſoribus quibusdam adſcripſi diem *ultimam* Auguſti.

SEPTEMBER.

g. IIII. Non. Irmindegin Archipresbiter. qui dedit librum *Abexedarium* (n.) & alios libros.

n) Formata vox ex tribus prioribus literis Alphabeti A. B. C. quam poſtremam quum *Hiberni* ut K. pronuntient, factum eſt, ut *Abketoria* & molliori ſono *Abgatoria* dicta ſint. erant porro libri, quibus prima elementa qualiscumque ſcientiae continebantur. vide gloſſar. Du Fresne T. I. p. 31.

c. Non. Vigilia Magni obiit CASPAR SCHIEGK huius cenobii Abbas 1491. F. 17. (o.)

o) Aliud Necrologium F. 6. ad 6. Sept. collocat.

e VII. Id. Friderićus de Scaken L.

c. II. Id. WELF DUX JUNIOR, qui dedit III. manſus in Sindilfingen. (p)

p) Welfonis VI. filius. peſte interiit caſtra Friderici Barbaroſſae in Italiam ſequutus. oſſa eius *Steingadam* translata ſunt a Patre fundatam. obiit 1167. confer Otton. de S. B. Vrſperg. continuat. Acerbi Morenae &c. *Sindeluingen* quondam Monaſterium locus notiſſimus eſt in Würtenbergia.

e. XVIII. K. Oct. Hermannus de Baphindorf L.

a. XV. K. *Albertus Prepoſitus de Buochorne*, qui multa bona tam in libris quam in aliis rebus contulit huic Monaſterio. (q.)

q) Conſule Abbatum noſtrorum Catalogum. de eo infra quoque in Necrologio Hofenſi agetur.

c. XIII. K. BERTOLDUS NOSTER ABBAS. (r.)

r) De eo fuſe actum eſt in Catalogo Abb. Weing.

e. XI. K. HEINRICUS DE IBACH noſter Abbas. requieſcit in Capella B. V. M. F. 17. 6.

a. VIII. K. WELF DUX PINGUIS hic ſepultus. Qui dedit eccleſiam *Buochorn* cum ſuis appendiţiis, a quodam *comite Ottone* ſibi delegatam, cum quibusdam decimis & villis *Mechinbuo-*

ron

ron, *Wachirshuſin*. Idem Dux dedit *Steptheim*, *Stadelin*, *Hizeliniſwillar*, *Winthage*, & partem *Hagenowa* & dimidium *Owa*. (s.)

s) Eſt hic Welfo V. Dux Bauariae poſt Patrem. Maritus celeberrimae *Mathildis* italae. iuxta *Arenbeckium* & *Chronicon Auſtriac.* apud Pezium T. I. p. 556. obiit ann. 1119. apud eumdem T. II. p. 70. ad eumdem annum ſcribitur: Guelf Dux Bauarie, qui domui *Cremsmunſtrenſi* praedia in *Hall* dedit, moritur &c.

Codex traditionum Weing. de eo haec adſcripſit:

" Anno Incarnationis Domini *milleſimo centeſimo nono* Guelfo Dux in peregrinatione defunctus, & a quodam cui nomen *Chriſtianus* defunctionis ſue *anno VIIII.* reportatus eſt. Quem filius ſuus *Guelfo Dux* in hoc Altorfenſi Monaſterio multis honeſtis perſonis preſentibus honorifice tumulauit, & in ipſa tumulationis hora pro Anima ſua Patrisque & Parentum huic Eccleſie in proprietatem tradidit hec loca: *Steptheim*, *Stadelen*, *Hicilineswillare*, *Nidingeswillare*, cum omnibus appendiciis, id eſt, vtriusque ſexus *mancipiis*, areis, edificiis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, pratis, paſcuis, & omni utilitate, que inde prouenire poterat: & locum qui dicitur *Winthage* & dimidietatem Capelle que eſt in Suburbio Rauenſpurg. Ab eodem quoque Duce *Gwelfone* emimus partem, quam habuit in vico qui dicitur *Hagenowa*. Item ab eodem duobus candelabris pretioſiſſimis & viginti ſex talentis dimidietatem loci qui dicitur *Owa* comparauimus: cuius alteram partem a fratre eius *Heinrico* duobus manſis, qui ſunt *Alegedorf* mutauimus. Ipſe autem a nobis predium quod habuimus in loco qui dicitur *Maturnes* & eſt in pago *Vinsgowe* mutauit, & quod habuit ad *Walthuſen* & *Nahzaha*.

c. VI. K. Roudolfus de Rutilun L. qui dedit predium in Chipinhuſin.

d. V. K. Anno Domini M. CCC. LXXXXIIII. obiit *Conradus Boſer*, & requieſcit in cimitorio interiori apud chorum. F. 17.

e. IIII. K. *Johannes de Eſſendorff* noſter Abbas.

f. III. K. *Heinricus Imperator*. F. 45. (t.)

t) Hu-

t) Huius nominis *ſextus* filius Friderici I. pater II.di ex uxore *Conſtantia.* cum Necrologio noſtro conſentit *Admontenſe* apud Pezium T. II. pag. 207. aliter fragmentum incerti Auctoris apud Vrſtis. Germ. Script. p. 86. Anno M. C. XCVII. Imperator . . . diarrhaea infirmitate laborans *pridie* ante feſtum S. Michaelis de hoc ſaeculo migrauit.

OCTOBER.

b. VI. Non. Marquardus Camerarius n. c. m. qui de rebus eccleſie emit predium *Vulgunſtat* &c. in aliis re limendis plura dedit, inſuper calicem aureum, & ſumtum omnem Sarcofagi maioris, & alia quam plura. (u.)

u) Is circa annum 1189. Abbas electus, ſed vt videtur ob ſenectam mox *Wernhero* ceſſit.

d. IIII. N. *Wernherus Marſcalchus* L. (w.)

w) Codex tradit. ſic habet: Wernherus Marſcalcus dedit predium quod habuit *Houhela* pro duobus filiis ſuſceptis.

f. III. Id. *Heinricus Dapifer de Walpurc.* (x.)

x) Paullo recentiori manu inſertus circa initium ſaeculi XIII.

g. II. Id. DIETHMARUS noſter Abbas. (ob. c. a. 1180.)

b. XVII. K. Nov. Ita Comitiſſa uxor Roudolfi Comitis. qui dederunt *Frenkinbach*, *Biugen* & *Minigoldishowa.* (y.)

y) Filia *Chunonis* & *Richlindis* comit. de *Oeningen.* Mater *Guelfi II.* Necrolog. Weſſofont. ad e. d. Ita *Comitiſſa ob. quae dedit ad Munechen predium.*

d. XV. K. ARNOLDUS NOSTER ABBAS. (ob. c. a. 1140.)

f. XIII. K. *Heinricus Dux de Saxonia.* qui dedit dimidium manſum ad *Bezelinisrouti*, & omnem decimam in *Spiezberg* colligendam. (z.)

z) Vulgo *magnanimus*, ab aemulis vero *ſuperbus* dictus. Chartae traditionis de eo ſic referunt: " Heinricus Dux Saxonum dedit duos manſos ad *Altorf* ad *Gozin-*
" *riet*, ad *Glaron*, ad *Goringin* & decimationes in *Spiezisberch.* frater eius *Guelfo*
" dedit predium in *Schachin.* " Obiit potentiſſimus Princeps anno 1139. Veneno ex-

extinctum & hac quidem die vitam finiiſſe ſcribit *Annal. Saxo*, mortisque genus confirmat *Chronicon Lauterbergenſe* ad annum 1139. *Heinricus Dux Bauarorum & Saxonum veneno occiſus eſt XIII. K. Nov. & Lutherae iuxta LUDERUM Imperatorem ſepultus eſt.* erat nempe *Lotharii* gener. confer etiam Ott. Friſing. L. VII. c. 25. Necrolog. Clauſtro. - - Neoburg. Anonym. Leob. & paſſim alios.

a. XI. K. *Hainricus de Smalnegge* L. (1.)

1) Fuit teſtis cum fratre *Ortolfo* Diplomatis Friderici Ducis anno 1188. M. B. Vol. VI. pag 499.

d. VIII. K. *Werunherus de Zange* L. (*)

*) Teſtis fuit Priuilegii a *Philippo* Duce Suenorum dati Canoniae *Albaugienſi* anno 1197. Indict. XV. data apud *Sueinhuſen* tertio Kalend. Auguſti anno *Ducatus noſtri primo.*

e. VII. K. Chounigunt L. que dedit Sulze, pro quo commutabatur Tiufintal, & Obirinwillar, & III. partem Tiezemanneſperg. (2.)

2) In Cod. trad. haec lego: *Chounegunt* pro filio ſuo *Heinrico* ſuſcepto dedit dimidium manſum ad *Sulze*, pro quo commutatus dimidius ad *Tuifental* iuxta *Lancrein.* Item pro ſe ipſa dedit manſum vnum ad *Oberemeilare*, & pro anima filii ſui *Rieger* tertiam partem ad *Tiezemannesberch.*

a. IIII. K. Goteboldus L. qui cum fratre dedit predium in Zimberc. (3.)

3) C. T. ſic habet: *Predium Zimberch dedit Chounradus monachus & Goteboldus frater eius.*

c. II. K. *Gebezo de Rauinſpurg* L. qui dedit predium ad Harde. (4.)

4) C. T. ſic refert: *Gebezo de Rauenesburch dedit predium ad Harde, cuius pater HERMANNUS dedit Ailingen. LIUGART filia eius dedit Wacilinisruti. pro anima Matris ipſius, ſcilicet Liugardis datum eſt predium ad Houbechunberg. Hermannus dedit & predium ad Hegebach.* Ex quibus certo conſtat Gebezonem fuiſſe Filium illius Hermanni cognomento *diuitis* de quo ſupra ad VIII. Id. Maii actum eſt. Ad aniles ergo fabulas referri debet, quidquid Brushius, Lazius

ius aliique de condita Albaugia anno 990. a Gebezone praetenso Comite de Habspurg nugantur. Certissima nobis suppeditant Monumenta domestica imperialis huius Canoniae, nobis conterminae. " Anno denique *Millesimo centesimo quinquagesimo secundo* Dominus " *GEBISO de Bisenberg* fundator huius ecclesie, qui *ministeriali con-* " *ditione* & fidelitate annexus erat domino *Heinrico Duci Saxonie &* " *Bauarie*, accessit ad ipsum in Saxoniam in ciuitatem *Merseburg*, " vbi illustris Rex Dominus *Fridericus* huius nominis primus, primo " *regni sui* anno cum Rege Danie & Nobilioribus regni sui Pente- " costen celebrans solennitatem, negotia Reipublice pertractabat. " cumque predictus Dominus *Gebiso* coram regibus & Principibus as- " sisteret personaliter, de voluntate & consensu Domini sui *Heinrici* " *Ducis Saxonie & Bauarie* ecclesiam *Augiensem* cum prediis suis a- " quisitis & aquirendis manumisit & libertate donauit, eamque de " ancilla liberam fecit, & hanc libertatem priuilegio Domini sui con- " firmauit. quo peracto Dominus *Gebiso* ad propria redijt, ac paulo " post finiuit vitam, & in Ecclesia *Weingartensi*, *IN QUA TUNC* " *NOBILES TERRE SOLEBANT TUMULARI*, sepultus est. "

Porro hoc Heinrici Leonis priuilegium etiamnum exstat Albaugiae, nisi quod sigillum equestre contusum sit; talis est chartae tenor:

" Notum sit omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presenti- " bus, quod ego Heinricus diuina fauente clementia *Dux tam Baua-* " *rie quam Saxonie* Hereuigesruti, Riwinesberc, Hunoldesperc ro- " gatu cuiusdam *Ministerialis mei*, nomine *Gebesen*, cuius hec *allo-* " *dia* fuerunt, sita in *pago Schuzengeu*, assentiente *Patruo meo Wel-* " *fone* cum omnibus pertinentibus ad ea vtriusque sexus mancipiis, edi- " ficiis, agris, pascuis, terris cultis & incultis, siluis, aquis, mo- " lendinis, viis, exitibus, reditibus, quesitis & inquirendis, seu cum " omni vtilitate, que inde potest prouenire, perpetualiter sancto Pe- " tro in *Owe* habenda donaui fratribus Deo & sanctis eius ibi seruien- " tibus. Preterea libertatem habeant omnes *Ministeriales & Litones* " nobis proprio Jure attinentes, ibi se suaque bona tam mobilia

" quam

" quam immobilia conferendi. Concedimus etiam fori negotium ſine " telonei ſolutione cum ſumptibus ſilue pro neceſſitate. Hoc autum " actum eſt *Merſeburc* in Pentecoſten Anno dominice Incarnationis *Mil-* " *leſimo , centeſimo , quinguageſimo ſecundo* , anno autem Friderici Re- " gis *primo.* Huic oblationi affuerunt *Dominus Rex Fridericus , Rex* " *Swein de Tennemarck , Welfo Dux , Marchio Conradus , Marchio* " *Adelbertus , Fridericus palatinus comes , Adolfus comes , Heinricus* " *de Arneſberc.* " Notari meretur , quod Heinricus Leo Ducem ſe *Bauarie* iam hoc anno nuncupat , tametſi Heinricus Auſtrius a Conrado III. illi praefectus etiamnum eo potiretur. ſed nempe Patrem ſuum inique illo deiectum ſentiebat , urgebatque apud Fridericum nuper ad regnum Germaniae aſſumptum , vt eò reſtitueretur. Lis haec hoc ipſo anno ventilata eſt in comitiis *Wirceburgicis* , & tandem anno 1154. *Goſslariae* iudicio Principum Heinrico Duci Saxoniae Bauariae ducatus adiudicatus eſt. vid. Ott. friſing. Otto de S. Blaſio &c.

NOUEMBER.

f. III. N. Heinricus Wrſtinberch. L.

e V. Idus. WELF DUX SENIOR hic ſepultus - qui dedit *eccleſiam* de Berge cum ſuis appendiciis. Kepfingen , Barnriet , Stallinunriet , Obirſuligin & de ſilua Forſt neceſſaria ad ignem , ad edificia , & ad victum porcorum. Ramungin , predium iuxta Breitinwanc , & aliud apud Malles , & predium in venuſta valle a quodam Bertolfo ſibi traditum. predium ad Immenſtade , Stainibach , Buchſe & Routie. (5.)

5) In C. T. haec notantur :

Anno ab Incarnatione Domini M. XC. IIII. Indict. II. IIII. Idus Martii Dux Gwelfo eiusque nobiliſſima uxor Juditha pro remedio animarum ſuarum eccleſie S. Martini que hic apud Altorf ſita eſt , conceſſu filiorum ſuorum Gwelfonis & Heinrici theſaurum & predia que hic ſubnotantur in proprietatem attribuerunt. dederunt videlicet eccleſiam de Berga cum omnibus ad illam pertinentibus. Kepfingen ,

Parinriet, Stallinunriet, Oberſulgen, & de ſilua que dicitur Forſt ad neceſſarium ignem, & ad edificia & ad victum porcorum quantum ſufficiat, Ramungen, quod quidam Fridericus legaliter ei dederat: & manſum cuiusdam Roudolfi iuxta Braitenwanch, & alium manſum apud Malles, & Allodium, quod quidam Bertoldus ei appropriauerat in venuſta valle, & in Longobardia, & quendam Adalperonem cum predio ſuo. proinde hunc theſaurum obtulerunt, ſcilicet vnum maius ſcrinium & aliud minus cum Reliquiis ſanctorum, & alia duo pretioſiſſima ſcrinia in auro & artificio. tria plenaria cum uno textu Euangelii. tria altaria & quatuor calices deauratos & duos aureos. duas tabulas deauratas, & duas Cruces pretioſiſſimas in auro & lapidibus. tres minores cruces cum aliis adhuc minoribus, & tria argentea candelabra quam precioſa ac ponderoſa. duas pallas cum aurifrigio, tertiam ſine aurifrigio. vnam dorſalia, cum decimo quam maximo in longitudine. tres caſulas quam precioſas optimo aurifrigio, & alias duas. Quinque cappas aurifrigio artificioſe ornatas, & aliam. tres dalmaticas, cum aurifrigio, & duo ſubtilia. vnum phanonem auro & lapidibus compoſitum, cum alio magno ornatu. Idem etiam Gwelfo Dux dederat iam pridem aliquantum predii ad Immenſtade, pro hoc ſibi retento loco qui Bochingin dicitur. mutauerat quoque locum qui dicitur Waterdingin villulis. Stainibach, Buochſe & Routi.

Iam alibi monui, illam donationem inſignem factam fuiſſe pridie quam efflaret animam *Iuditha Dux* (conſule Prodrom.) alio tempore multo maiora praeſtitit. confer interim Berchtoldum Conſtantienſem ad ann. 1094. ipſas chartas huc facientes, tertia Parte Monument. Guelf. producam, ſi Superis placuerit.

a II. Id. Dedicatio noſtre Eccleſie (6.)

6) Facta ſub Abbate Wernhero a Berchtoldo Epō Conſtant. anno 1182. de qua iam alias.

b. Idus Nov. WELF DUX CARINTHIE hic ſepultus. qui in extremis poſitus omne patrimonium ſuum duobus ex ſuis delegatum eccleſie Altorfenſi donari decreuit. ſed Mater ſuperſtes hanc traditionem iure gentium irritam faciens pro anima filii hec

pre-

predia dedit: Lancrein, Lutirbrunon, Gulinwillar, Fridehardeswillar, Azelunwillar, Heiligunbuke, Chrotebach, Ethinishouen. (7.)

7) Vulgo tertius huius nominis frater Chunizae, filius Guelfonis II. & Irmentrudis. obiit in caſtro *Bodman* anno 1055. confer. annal. Sax. Herm. Contract. &c. hic animaduertendum eſt, hunc ipſum intelligi debere, qui in antiquiſſimo Necrologio S. Galli viſitur: *Idibus Nou. obitus Welfhardi Ducis. Wolfhardum* enim *Comitem* conditorem *Rhinaugiae* hoc loco non commemorari, vel axioma *Ducis* ſatis demonſtrat.

c. XVIII. K. Dec. JOHANNES HABLIZEL Abbas huius celeberrimi Cenobii obiit anno 1575. circa horam 8. & 9. poſt meridiem. F. 6. m. r.

b. XII. K. Hermannus Albus n. c. m. Qui eccleſie noſtre duas Cappas & alia ornamenta adminiſtrauit.

e. VIIII. K. Feſtum *Clementis* hiemis caput eſt orientis.

c. IIII. K. *Hugo noſter Abbas.*

e. II. K. Conradus Fritilo L.

DECEMBER.

a. III. Non. *Counradus* L. qui dedit predium in Huſſekilch cum eccleſia, iure forenſi, pratis, nemoribus, lacubus nobiliter ditatum: & preterea alias Curtes &c. (8.)

8) Saepius mihi ſuſpicio obrepſit, an non forte hic Conradus ſeu Cuno conditor fuerit arcis *Chunſegge* ſeu *Kungeſegge* haut procul *Hoſkirchio* in monte eminentis. auita ſaltem ſedes fuit illuſtriſſimorum hodie *Comitum de Klinigsegg.*

d. VIII. Id. Bernardus presb. qui fundauit & dotauit Capellam S. Marie predio quod habuit Vrſingin. (9.)

9) De hoc C. T. ſic:

Quidam ſacerdos nomine Bernhardus pro remedio anime ſue ſuorumque Parentum conſenſu Domini ſui Ducis Gwelfonis, filiorumque eius Gwelf & Heinrici predium ſuum Vrſingin nuncupatum, ſitum in pago

Owesgowe, capelle S. Marie Altorf absque omni contradictione in proprietatem tradidit cum omnibus appendiciis &c.

Pagus hic idem videtur esse, qui *Abbati Gottwicensi Ogesgowe* est. sane inter traditiones Weingartenses quaedam occurrit rursus loci *Vrsingin* mentionem faciens, & videtur facta a *parentibus* illius monachi nostri. sic habet:

Bernhardus & vxor eius Elizabeth & Adelgoz filius eorum dederunt mansum vnum ad Duricheim (Dûrkheim) *& dimidium ad Vrsingin. pro anima autem filii sui Wernheri dederunt mansum vnum ad Gundoltesrûti ... soror vero eiusdem Wernheri Reginlint dedit* &c.

g. V. Id. Ortholfus L. (10.)

10) Forte ille de *Bisenberg*, de quo supra.

c. II. Id. Heinricus Camerarius de Binginburc, dedit predium in superiori Schachin.

d. Idus. *Heinricus Dux* & n. c. m. Pater Welfonis. hic sepultus. qui dedit predium ad Einode. (11.)

11) Necrologium hoc viuente etiamnum Welfone VI. scribi coeptum esse hinc coniiciet mecum Lector; alias enim filii natu maioris *Heinrici* quoque feciſſet mentionem. De eius monachatu non soli Weingartenses meminerunt, sed & Necrolog. admont. apud Pezium T. II. p. 209. *Idus. HEINRICUS EX DUCE MONACHUS.* De anno obitus non aeque constat. nostrum quidem Chronicon 1127. adnotauit. cui Chron. austriac. & Salisburg. apud eumdem Pezium suffragantur. *Chronographus* vero nec non *Annalista Saxo* 1126. ponunt, qui & Muratorio, nec non Orig. Guelfic. scriptoribus placet. ego sic existimo: Quum Heinricus & Wulfildis eodem mense post 16. dierum tantum intercapedinem defuncti fuerint, eodem quoque anno mortuos intulit Chronici nostri scriptor. quoniam vero ex Calendariis medii aeui (de quo videri potest *Haltausius* pag. 25.) constat, anni exordium a *Natiuitate Domini* more romano petitum esse, Wulfildis vero *post* natiuitatem defuncta sit, ut mox videbimus, obitus Heinrici aeque ac Wulfildis ad 1127. reiici potuit, quum tamen vterque iuxta nostrum computandi morem adhuc anno 1126. vitam finiisset.

f. XVIII. K. Jan. *Welf Dux*, Welfonum vltimus, qui inter alia beneficia dedit nobis duas curias Berge & Willare. (12.)

12.)

12) Vltimum vocat; eo quod nullus deinceps, mortuo ante Patrem filio vnico hoc *nomen* haereditauerit. Ceterum eius ex fratre Nepotem *Heinricum Leonem* gentem, in hanc usque diem superstitem in Regibus Angliae & Ducibus Brunswicensibus, propagasse, nemo ignorat.

g. XVII. K. Waltherus Nagili. L.

a. XVI. K. Hermannus Genustinc L. dedit predium in Sigibranshouen - - Wernherus L. (13.)

13.) Forte is de quo C. T. W. sequen tia refert:

Wernherus seruiens GWELFONIS Ducis, dedit predium quod habuit ad Boungartun, & in VINSGOWE, in loco qui dicitur SELIS, concessu eiusdem Domini sui.

d. VI. K. *Walicho noster Abbas.* (14.)

14) Confule Prodrom. obiit c. a. 1108.

e. V. K. Berchtoldus n. c. m. qui dedit predium in Lounon.

f. IIII. K. *Woulfildis Ducissa*, hic sepulta. (15.)

15) Filia Ducis Saxoniae Maginonis & uxor Heinrici Nigri Ducis Bauariae, ad eamdem diem inscribitur in Necrolog. admont. apud Pez T. II. p. 209.

a. II. K. Roudolfus n. c. m. dedit predium ad Engilboldisberg.

VIII.

NECROLOGIUM HOFENSE. (*)

*) Praefigitur Miſſali Bibliothecae noſtrae ſub Litt. F. N. 18. ſcripto vt reor vix adulto ſeculo duodecimo. Nomina Laicorum nuda plurima continet ſicut & Monachorum & Sororum; nam primitus *Moniales* illic degebant ſub directione *Praepoſiti* a *Weingartenſi Abbate* pro eis conſtituti, qui nedum earum conſcientiis praefuit, ſed & ex redditibus, quos Abbatis ſui nomine ipſe adminiſtrabat, certas portiones illis porrigebat, de quo videri poteſt epiſtola *Diethmari* Abbatis noſtri ad *Heinricum* data anno 1170. quam in *Prodromo meo* edidi pag. 56.

Pauca continet nomina alicuius momenti: at maximi res momenti eſt, quod illic plura *Comitum Buchhornenſium* nomina conſeruata ſint, hactenus ignota, & unde hiatus expleri poſſunt Genealogiae hactenus a Scriptoribus tentatae. Gruberus in Notis ad Eccardum orig. Guelf. T. II. p. 283. m) hac de re ita diſſerit: " Dum *RICHERIO* **Ottonem**, de " quo hic ſermo eſt, *filium* adiungunt, nimium properant, patremque " fere centenarium faciunt. Otto enim tempore *Vdalrici* floruit, qui anno " 1076. San-Gallenſem inſulam ſuſcepit, & circa annum 1084. teſte " Burchardo de caſib. S. Galli c. 7. cum hoc Ottone caſtrum *Markdorff*, quod " Buchornae vicinum eſt, expugnauit. vt adeo, ſi alius Comes Richerio " & Ottoni intermedius inſeratur, qui Ottonis pater ſit, ſeries horum " comitum ſe ſatis belle habeat. " Rectiſſime vero omnis intercapedo explebitur ex hoc Necrologio, ſi & *Patrem* & *Auum* illius Ottonis, cuius patrimonium ad Welfum IV. & poſtea ad Welfum V. deuolutum eſt, nobis manifeſtet. Equidem certo Diplomatum defectu ſtatuere non auſim vter eorum Pater an auus Ottoni tribui debeat, *Otto* an *Adalbertus* ? interim ſuſpicor Richerio fuiſſe filium *Adalbertum*, nomine huic

ab

ab auo *Adalardo* pro more eius aeui adtributo. ergo *Comitum Buchornenſium* talis foret ſeries :

Vdalricus Comes - - uxor Wendilgardis
de quo Ekkehardus — Heinrici Regis
de Caſ. S. Galli cap. X. — ex filia Neptis.

Adalardus Comes. — Burkardus Abbas
S. Galli factus ann. 959.

Richerius Comes
aduocatus S. Galli.

Adelbertus Comes.
uxor N.

Otto Comes uxor Willbirgis.

Otto Comes uxor Bertha.

Huius Ottonis patrimonium ipſo viuente & bona voluntate tradente Guelfoni ceſſit. *Bertha* vidua fundatrix extitit cellae S. Pantaleonis, quam inſigniter dotauit anno 1109. Welfo V. dotationem confirmantibus anno 1130. ſub Lothario Imperatore & Chunone Abbate *Heinrico magnanimo* & *Welfone VI.* eius fratre. conſule Prodromum monum. Guelf. pag. 49. Si quid video, bellum inter *Guelfum IV.* & *Vdalricum* Comitem Brigantinum hac ipſa de cauſſa exortum eſſe videtur, quod Brigantini comites ius haereditatis adeundae ſibi potius eſſe exiſtimauerint quam Guelfis. vide Berchtold. Conſtant. ad annum 1093.

JANUARIUS.

e. II. Id. *Heinrich de Hegebach* L. (m. p. r.)
g. V. K. Dedicatio Eccleſie S. Andree. (16.)

16) Manu paullo recentiori haec inſerta ſunt. de hac dedicatione in eodem libro Miſſali circa medium ad marginem ſequentia notantur :

Anno ab Incarn. Domini M. CC. XV. V. K. Febr. Dedicata eſt Eccleſia baptiſmalis S. Andree in Bouchorn a venerabili Conrado Conſtant. Ep'o. in honore S. & indiuidue Trinitatis & victorioſiſſime Crucis, & S. Dei genitricis Marie : precipue vero in honore S. Andree Apoſtoli & aliorum ſanctorum, quorum reliquie in Altari eiusdem eccleſie continentur,

tur, Andree Apoſtoli, Laurentii Mart. Georgii Mart. Vincentii M. Ypoliti M. Alexii Conf. Galli Conf. Cecilie Virg. Waltpurge Virg. Ipſa Die dedicata eſt capella S. Marie in dextro monaſterii latere, in honore ipſius Dei Genitricis & S. Johannis Baptiſte, & S. Johannis Ewang. & S. Oswaldi Mart. Continentur autem ibi he reliquie: S. Marie Dei Genitr. Thome Apoſtoli, Andree Ap. Mathie Ap. Oswaldi Regis, Alexandri pp. Marcellini & Petri, Primi & Feliciani, Viti, Sebaſtiani. Dioniſii epiſc. Oudalrici ep'i. de Menſa S. Joh'is Ewang. XI. milium Virginum, Chriſtine Virg. Waltpurge Virg. de capillis S. Lucie Virg. Afre Mart. hec dedicatio celebrata eſt ſub Alberto Prepoſito.

Porro ſtetit Eccleſia haec parochialis (cui Monachus ſub nomine Praepoſiti praeerat) eo loco quo hodie domus Praefecti eſt ex oppoſito templi hodierni. rurſus hinc non obſcure colligitur, non vanam eſſe vulgi traditionem, *Buchornum* vltra Hofenam ſe quondam exporrexiſſe. utrumque locum enim quondam continuum a ſe diuiſit Lacus acroniani finus perluentibus vndis cauſatus inque ſingulos annos adcreſcens, ita, vt Hofena prope Peninſulae formam referat.

a. IIII. K. Dedicatio huius Monaſterii, & altaris S. Sebaſtiani. (17.)

17) Ipſiſſima manu & vt videtur Alberti Praepoſiti ſequentia in eodem miſſali ſcripta ſunt:

Anno ab Incarnat. Domini M. CC. XV. IIII. K. Febr. dedicatum eſt Monaſterium S. Pantaleonis in Bouchhorn a venerabili Counrado conſtant. epiſcopo in honore S. & indiuidue Trinitatis & victoriosiſſime Crucis, & S. Dei Genitricis. precipue autem in honore S. Pantaleonis Mart. & eorum ſanctorum, quorum reliquie in altari principali continentur. ſcilicet de capillis S. Marie, S. Stephani protomart. S. Saluatoris, S. Remedii. de Zona S. Johannis Bapt. de archa Noe: de virga Aaron. S. Oudalrici epiſc. S. Erintrudis virg. S. Rouperti ep. Hec dedicatio celebrata eſt ſub Alberto Prepoſito. Eodem die dedicatum eſt in eodem Monaſterio Altare S. Crucis in honore eiusdem S. Crucis & S. Sebaſtiani Mart. & aliorum ſanctorum, quorum reliquie in eodem altari continentur. he ſunt reliquie recondite in imagine S. Pantaleonis. de vaſe, in quo fuerat receptus Sanguis Chriſti in paſſione. de palma quam tulerat in Jeruſalem. Andree Apoſtoli, Philippi & Jacobi, Pantaleonis, Conſtantis & Alexandri, Gereonis & ſociorum eius. Mauritii & ſoc.

ſoc. Euſtachii & ſoc. Gregorii pp. Stephani, Chriſtofori, Seuerini ep. Oudalrici, Counradi, Galli, Nicolai, Georgii, XI milium Virginum.

Ichnographiam veteris monaſterii S. Pantaleonis ſua manu pictam nobis ſeruauit R. P. Bucelinus noſter. ſtetit templum eo circiter ſpatio, quo hodie Refectorium eſt.

c. II. K. BERTHA COMITISSA VIDUA ET FUNDATRIX HUIUS MONASTERII obiit. cuius Anniuerſarium celebratur de ſero cum vigilia, & de die cum miſſa pro Defunctis. (18.)

18) Fuit haec vxor Ottonis ultimi huius nominis comitis Linzgouienſis. nullis vero tabulis nititur aſſertio Brushii dicentis, hanc Bertham fuiſſe ſororem Guelfi IV. ceterum *Bertham comitiſſam* ad hanc ipſam diem adſcripſit quoque Necrologus Zwifuldenſis: cuius vero fuerit ſtemmatis, altum quoque ſilet.

FEBRUARIUS.

d. Kal. Febr. Dietrich de Birberch.
c. XVI. K. Mart. Hermannus de Smalnegge Subdiac.

MARTIUS.

d. Kal. Heinrich de Wildemann ain Ritter (m. r.)
g. IIII. N. OTTO COMES.
a. III. N. JUDITHA DUX.
c. XVII. K. Apr. Bernhardus de Huſſichilch.
e. XV. K. Gerbirch von Wildenegge (m. r.)
a. XIIII. K. Dedicatio Bouchornenſis Eccleſie Anno Domini M. C. LVI. (19.)

19) An illa S. Andreae - an S. Pantaleonis? id me latet. Eccleſia enim S. *Nicolao* dicata, quae hodie oppido parochialis eſt, poſterioribus tandem temporibus facta eſt *baptiſmalis*; quum ut vidimus etiamnum anno 1215. illa S. Andreae talis fuerit.

APRILIS.

d. Non. Sifrit von Winthagé (m. r.)
g. XVII. K. May. *Willibirc Comitiſſa* (20.)

20) Hanc fuiſſe *matrem* Ottonis poſtremi coniicio ex eo, quod facilius nomen *matris* quam *auiae* notum eſſe potuit ſcriptori ſeculi XII.

f. XI. K. Roupertus de Huſſichilch L. (m. r.)

MAIUS.

b. Idus. Mahtilt de Willare L. (m. r.)

JUNIUS.

a. III. Id. Burchardus de Willare (m. r.)

JULIUS.

d. IIII. Id. Heinricus de Huſſichilch. (m. r.)

AUGUSTUS.

d. V. Id. JUDINTA S. COMITISSA. (21.)

21) Forte filia Ottonis & Berthae, quae velum inter moniales tulerit. illa enim litt. S. ſexcenties adſcripta eſt in noſtris Necrologiis, & *ſororem* ſignificat.

a. VI. K. Sept. Gebehardus Epiſc. Oudalricus ep'us (22.)

22) *Conſtantienſes.*

e. II. K. Ita Magiſtra ſoror noſtre Congreg.

SEPTEMBER.

e. VII. Id. Rudiger de Hegebach L. (m. r.)
e. XVIII. K. Oct. Ita de Huſſichilch.
b. XIII. K. Berchtoldus presb. Abbas. Albrecht presb. Prepoſitus in Bouchorn. (m. r.)
f. X. K. ADELBERTUS COMES.
a. VIII. K. WELF DUX. (23.)

23) *Quintus.* qui donatione tot praediorum & decimarum prope fundatoris axioma promeruit Monaſterii Hofenſis. conſule Prodr. m. g. p. 49.

OCTOBER.

d. XV. K. Nou. Arnoldus Abbas.
a. XI. K. Heinricus de Smalnegge L.

NO-

NOVEMBER.

d. VI. Id. Otto Decanus.

DECEMBER.

f. Kal. *Otto Comes.* (24.)

24) Duos Ottones ſibi nullo medio ſucceſſiſſe, atque vnum fuiſſe alterius patrem non auum, colligi poſſe videtur ex charta Donationis Swiggeri facta Monaſterio Peterſhuſano villae *Swiltinga in pago LINZGOWE in comitatu OTTONIS Comitis* anno 1058. apud Lunig. Spicileg. Eccles. Tom. III. pag. 403. poſtremus enim Otto comes Buchhornenſis ad finem demum ſeculi XI. mortem cum vita commutauit: nec igitur videtur iam mediante eodem ſeculo comitatum geſſiſſe, ſed Pater eius. vide Chron. Gottwic. vel Wegelin Thes. Rer. Suev. T. II. p. 35. de eodem Ottone ſeniore accipio narrationem Sprecheri *Palladis Rhaeticae* lib. III. p. 115. " Anno 1079. " tempore veris Velpho IV. Dux Bauariae ſuperioris, Rudolphi (*Anticaeſaris*) " partes defendens, magno collecto exercitu in Rhaetiam ſuperiorem irrumpit: ferro & igne obuia quaeque, praeſertim quae FILII HATHONIS SEU OTTONIS " COMITIS tenebant, deuaſtat: eosdemque Othonis filios inuitos, vtpote Imperatori Henrico fideles, ad ſua vota trahit. tandem victor ſuperatis anguſtiis viarum, " & inſidiis ſtructis, ex regione Alpeſtri ſecundum *Oenum*, relicto in oſtio ſtrictiſſimo montis venuſti (*Veſmenza*) praeſidio, ſaluus ad ſuos redit ..... Imperator *Ducatum ALLEMANNIAE* Rudolfo adimit, & Friderico ab Hochenſtauffen " cum filia Agnete dat ..... Bertholdus II. a Zeringen & Velpho Dux bauarus multa ab eodem Ducatu auulſere. vnde factum, vt Hochenſtauffii plerumque titulo " *Ducum SUEUIAE* tantum vſi ſint. Et profecto! ab eo tempore Duces Sueuiae ſtauffenſes in ditiones Guelficas ne quidem quidquam Juris vel arrogaſſe ſibi palpabili argumento (vt de caeteris nunc taceam) eſſe poteſt Diploma *Heinrici Leonis* datum Albaugienſi Monaſterio anno 1152. cui oblationi Fridericus I. Imperator & Dux Sueuiae adfuit teſtis cum reliquis potius loco, quam Domini territorialis. notandum inſuper venit, Gebezonem *Allodia* contuliſſe non beneficia. ergo chartam confici iuſſit non ceu dominus directus Heinricus Leo, ſed ceu dominus territorialis. hinc quoque Albaugiam a *telonei ſolutione* liberam ſcripſit.

f. VI. Idus. Chounrad de Huſſikilch L. (25.)

25) Alius ergo & quidem iunior eo, cuius in Necrologio Weing. ad diem III. Non. Dec. facta eſt mentio. ceterum miror, toties in hoc Calendario huius loci fieri mentionem, quum tamen, vtut in pago Linzgouienſi ſitus ſit, multo interuallo diſtet

Hofena. manu ſeculi XIII. vergentis videntur adſuta omnia illius nomina pari & gracili charactere.

e. XVIIII. K. Jan. *PETRISSA COMITISSA de Huſſikilch.*
f. XVIII. K. Welf Dux (VI. m. r.)
g. X. K. Liutgart von Winthage (m. r.)
f. IIII. K. Wulfhilt obiit. (26.)

26) Eadem quae ſupra in N. W. ad eamdem diem vifitur.



& affabilis. Qui p̄ multas q̄ domi milicie
c̄secut' ē tumphales coronas. p̄ multas in
imicor̄ strages. montē q̄ ap̄t̄ fluente riuo

IX.

ORTLIEBI ZWIFULDENSIS MONACHI OPUSCULUM DE FUNDATIONE ZWIFALTENSIS MONASTERII.

NOTA.

Quis fuerit iſte Ortlieb, ex ipſo eius opuſculo rectiſſime colliget Lector. Apographum eius exſtat in Weingarten, ſcriptum anno 1593. ut auguror a ſolertiſſimo abbate noſtro Georgio Wegelin, poſtquam Autographon annis quadringentis quinquaginta octo delituit. hoc etiamnum ſeruatur in celeberrimo iſthoc Zwifaltenſi Aſceterio, vt hiſce oculis ipſe vidi, dolebamque, quod vtrumque inter ſe conferre per temporis anguſtias mihi haut licuerit. (*) *Integrum deſcribere nolui, partim quod multa eſſent fere nullius momenti: partim quod alia ad exterorum notitiam venire neceſſe non ſit, adtineantque ad domeſticos tantum. Nihil vero eorum omiſi, quae ad hiſtoriae filum pertexendum facerent: ſunt autem plurima ſane praeclara, quae ad hiſtoriam patriam maxime conferre quisque iudicabit. Deſcripſi quoque* Chronicon Zwifaltenſe, *nec non* Necrologium *eiusdem Monaſterii,*

*) Poſtquam haec iam ſcripſeram, ad me allatus eſt Libellus iſte egregius: a me gnauiter collatus.

rij, quae eruditis ingentem afferent voluptatem. vt de reliquis antiquitatibus Zwifuldenſibus nihil heic dicam, tacere non poſſum, illic me vidiſſe codicem elegantiſſime ſcriptum eius grauiſſimi auctoris, quem ſub nomine Annaliſtae Saxonis *edidit Eccardus in Corpore Hiſtor. medii Aeui Tom. I. prope auſim aſſerere hunc Codicem eſſe ipſiſſimum Protographon, ad quod exanimari merito poſſent edita. manu recentiſſima in fronte gerit titulum* Abbatis Vraugienſis, *cui quoque Eccardus Annaliſtam aſſerere non dubitauit, ſed iam caſtigatus eapropter ab Orig. Guelfic. Scriptoribus.*

Incipit Praefatio huius opuſculi.

Omnibus Zwifuldenſem locum incolentibus, & aliis ſcire volentibus, in hoc opuſculo quibuscunque verbis pandere curauimus, quibus Auctoribus ad ſpiritalem & Angelicam vitam isdem locus ab initio coaptatus: quibus Traditoribus, praediis, & aliis donariis amplificatus, vel qualiter regularibus diſciplinis inſtitutus, atque virtutum ornamentis fuerit decoratus.

Rem quidem arduam noſtrisque viribus inuſitatam praeſumpſimus, ſed ut id temptaremus, non ſemel neque bis ſed multoties a Patre noſtro *Vdalrico ſecundo* loci huius Abbate, nec non dilectiſſimo fratre noſtro *Bertolfo* ſacerdote lenibus & aſperis, mollibus & duris verbis compulſi ſumus.

Tandem toedio deuicti . . licet omni ſcientia liberali propemodum expertes praefatorum virorum auctoritate ſuperati, monitis animati, praefidiis roborati . . manum adplicauimus, obedientiae iugo colla ſubmiſimus.

Laborem itaque noſtrum eo gratiorem vobis eſſe ſuademus, quo non tantum temporalium rerum, traditorum vel tradentium in eo quaerimus commodum, quam veſtrum, qui rebus traditis vtimini, per hoc adtendimus lucrum.

In hoc denique benefactorum huius cœnobii fore iudicamus emolumentum, cum per nos poſteris venerit in monimentum qui fuerint, qui bonis ſuis bona praeſentis Monaſterii dilatauerint. . . .

Eſſe

Esse quoque vestram non minimam credimus vtilitatem, si semper in memoria tenetis, pro quibus orare merito debetis. . .

Beatum quoque Propheta dicit: qui labores manuum suarum manducauerit.

Fortassis dicat aliquis:

En satis bona possidemus praedia! quid confert vtilitatis, a quibus collata sint scire personis.

Cum haec & similia quidam locuntur, a Propheta populorum peccata comedere conuincuntur, ideoque maledicuntur.

Ista quippe nimis magna & abhominabilis Monachorum, Canonicorum, seu Sanctimonialium est ignorantia, Monasteriorum suorum eos nescire primordia. . . .

Talem ignorantiam per praesentem cupientes excludere lucubratiunculam obnixe precamur Lectorem, ne propter sermonis rusticitatem contempnat rei veritatem: sciens nos nihil ex nostro falsi confinxisse, sed ea *que vel oculis inspeximus, vel ab his qui viderunt & interfuerunt, audiuimus: aut in scedulis sparsim inuenimus, posuisse.*

Hoc autem nequimus celare, quod propter ingenii tarditatem ac sensus inopiam, latinorum verborum non habuimus copiam: ideoque coacti sumus ponere nonnulla secundum theutonici nominis idioma.

Omisimus etiam plurima, quae videri poterant falsa & dubia: sufficere vera credentes atque probata.

Cur multis moramur?

Omnia pene quae scripsimus praefato Patre nostro *Vdalrico* abbate fideiussore cognouimus, praesertim cum sub ipsius magisterio vel per ipsum acquisita, vel cum ipso patrata sint fere cuncta, quae in *secundo* huius opusculi *libello* sunt relata. cuius etiam *quadragesimo anno*, quod huic praelatus est Monasterio, Inearnationis Domini *Millesimo, centesimo, trigesimo quinto*, fundationis autem Cœnobii *quadragesimo septimo*, exordium scribendi sumpsimus, ipsiusque simul ac memorati *Bertolfi* presbiteri vel aliorum seniorum narrationem secuti sumus.

Per ſingula quae memoriae digna iudicauimus ſeriem capitulorum apponere curauimus: vt quod quisque voluerit ſcire, tanto facilius queat inuenire. ſicque totum in *duobus* libellis opus ſategimus diſtinguere.

Vos nunc omnes in hoc loco Chriſto famulantes deuote petimus, vt ſicut in hoc opere vobis vltra vires ſeruire ſtuduimus, ita vos quoque premium noſtri laboris orationum veſtrarum memoriam faciatis.

Statuimus quidem de noſtro nomine nullam penitus mentionem facere: ſed ut quidam ait: titulum frontis erade, vt pagina ſit muta. ſi quis tamen ob memoriam agendam nomen noſtrum dignatur expreſſius ſcire, in capitalibus huius prœemii literis illud valet colligere. (*) explicit praefatio, incipiunt capitula.

I. De Fundatoribus loci. II. De ſitu loci. III. Quem patronum elegerint? IIII. Deſcriptio dotis. V. Quid Dominus Liutoldus comes ad hunc locum ſine fratre tradiderit? VI. Quid Dominus Cuno comes de ſuo tradiderit? VII. Qualiter Wernherum comitem ab hereditate huius loci donis ſuis repulerint. VIII. Quae cauſſa ſit, quod illa duo praedia Dietinchouen & Buoch ad praeſens non habeamus. IX. De familia huius loci. X. Qualiter beatus Willehelmus Abbas fratres ſuos huc transmiſerit. XI. Ordinatio Domni Noggeri abbatis. XII. Quomodo priuilegium libertatis acceperint. XIII. Deſcriptio priuilegii. XIIII. De obitu Cunonis comitis. XV. Electio aduocati. XVI. De obitu Noggeri Abbatis, & quis eius ſucceſſor fuerit. XVII. De obitu Liutoldi comitis. XVIII. De Dedicatione Maioris eccleſiae. XIX. Qualiter & alia quaedam coenobia de hoc loco viuendi ſumpſerint exempla. XX. Qualiter multi nobiles ac ignobiles ſiue mediocres ad hunc locum ſeſe contulerint, & ſua bona tradiderint. XXI. Quod multi Principum & aliorum Nobilium tubam extremam hic pauſando praeelegerint exſpectare. expliciunt capitula.

IN-

*) *ORTLIEB fecit hoc opus.*

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Fundatoribus loci.

Temporibus *Counradi Imperatoris* fuerunt in partibus *Alamaniae* duo germani fratres potentiſſimi & nobiliſſimi Comites, quorum vnus *Egino*, alter *Roudolfus* dicebatur. e quibus Egino vir bellicoſus, & quantum ad ſaeculum nulli tunc temporis gloria virtutum fuit ſecundus. hoſtibus ſuis vt Leo terribilis, amicis forens vt agnus manſuetus & affabilis. qui poſt multas quas domi militiaeque conſecutus eſt triumphales Coronas, poſt multas inimicorum ſtrages, Montem, qui a praeterfluente riuo *Achalmin* vocatur, dato pretioſo quodam praedio ſuo nomine *Sclate*, (*) nec non pecuniarum pondere non modicoa poſſeſſoribus eius cõemit: moxque fundamenta urbis quae hodieque dicitur *Achalmin* in eiusdem montis cacumine iecit. Verum quia praeſens vita dum haberi putatur, amittitur, isdem *Egino* modico febris dolore tactus, mortisque debitum ſoluere coactus, caſtrum quod coepit aedificare, non potuit conſumare. Cuius frater *Rudolfus* tanto germano viduatus gloriae virtutis & inchoati operis haeres eſt factus. Hic vrbe iam conſtructa & ad faſtigium usque decenter perducta iuxta chriſtianum morem competentem ſibi accepit vxorem filiam nobiliſſimi *Comitis Liuthonis* ac *Willibirgae de Mumpilgart* ſeu *de Wulvelingen Adelheidem* nomine, ſororem videlicet *Hunfridi* Rauennantium Archiepiſcopi ex diuina benedictione meruit accipere: natique ſunt eis exemplo Job Prophetae VII. filii & tres filiae. Nomina filiorum fuerunt iſta: *Cuno* primogenitus, ſecundus *Liutholdus*, tertius *Egino*, quartus *Rudolfus*, quintus *Hunfridus*, ſextus *Beringerus*, ſeptimus *Wernherus*, poſtea *Strazburgenſis epiſcopus*. Horum ſorores fuerunt *Willibirg*, *Mahthildt*, atque *Beatrix*, quae poſtea apud *Aſcuvanc* Abbatiſſae nomine praefuit. Quibus omnibus viam vniuerſae carnis ingreſſis duo germani, qui maiores

 natu

*) Vulgo *Shlatt.*

natu fuerunt, *Cuno* ſcilicet & *Liutholdus* ſoli ſuperſtites remanſerunt. At ubi tota ſimul hereditas eſt ad eos deuoluta - - decem Hubas & vnam ſalicam terram cum dimidia parte eccleſiae apud *Tageluingen* ad *Hirſaugiam* ſancto Petro Apoſtolo, & ibidem Deo ſeruientibus tradere decreuerunt, atque Sepulturae ſuae locum illic eſſe ſtatuerunt. Diuino vero nutu factum eſt, vt qui rerum ſuarum partem deuote Deo diſponebant offerre, poſtmodum totum illi immolarent - - & ad vltimum etiam omne patrimonium ſuum holocauſtum ipſi faciebant. ſuperna ſiquidem gratia praeuenti tractare coeperunt de ſuis facultatibus Chriſto Domino Monaſterium conſtruere, & ad hoc omnem ſuam haereditatem tradere ...

Sed quia ſcriptum eſt: omnia fac cum conſilio & poſt factum non poenitebit, adhibuerunt ſibi duos fideles Conſiliarios, id eſt, *Adelberonem Wirzziburgenſem* Antiſtitem, ac *Willehelmum Hirſaugienſem* Abbatem.... morabatur quippe tunc temporis memoratus Epiſcopus Adelbero cum comite Liutoldo, quem cum aliis orthodoxis epiſcopis expulerat *Heinrici* ſaeuitia Regis.

CAPUT II.

De ſitu loci.

Interea perquiritur in omni ditione ſua locus ſpiritualibus diſciplinis aptus, & inuenitur viculus, ex vetuſtate vrbis antiquitus ibi conſtructae, *Altenburg* vocitatus, qui hodieque cum filiis ſuis huic Monaſterio ſeruit, cuius radices fluuius *Neccarus* lambit. hic congruus idcirco iudicabatur, quod in captura piſcium, paſcua pecorum, ac venuſtate locorum iocundus & habitabilis videbatur.

Verum quia montanus eſt locus, & aquam ad ſingulos vſus ibidem habere nequibant, ad alium quaerendum ſe conuertebant.

Tandem inuenitur locus quem elegit ante ſecula Dominus. gloria, laus canitur, Chriſto grates referuntur. Hic de ipſo loco ſpecialiter aliquid dicere dignum duximus, vt hoc officio decorem Domus Dei nos diligere comprobemus.

Hic

Hic itaque de quo nobis ſermo eſt, locus iuxta famoſiſſimum fluuium *Danubium* eſt ſitus, habens a meridie memoratum amnem: ab Aquilone vero *Alpes Retianas*... qui locus in medio vallium poſitus, Crucis effigiem ſimilat, oſtendens: easdem conualles habundare frumento ſpirituali, atque per humilitatis meritum ſectari Dominicae crucis obprobrium.

Nomen autem a *duplici fluuio* ſuſcepit; quia duplex fluuius *Zwifaltaha* vocatur... ſalubris eſt aëre, iocundus flumine, foecundus tellure, arboribus nemoroſus ac pratorum vernantia gratioſus. praeterea lapideis montibus circumſeptus, ſi quaelibet aedificia conſtruere velis, etiam ſaxorum copiam illic habebis -----.

CAPUT III.

Quem Patronum elegerint. ?

Hoc quoque ſilentio non eſt praetereundum, quod prae omnibus ſanctis ſpecialiter ſanctam Dei genitricem Mariam ſemper virginem, cui ſuam largirentur hereditatem, procurauerunt eligere -----. igitur praetitulati Comites Cuno videlicet ac Liutholdus in Natiuitate S. Mariae huc aduenientes, *Willehelmum Hirſaugienſem Abbatem* cum aliis multis adeſſe fecerunt, & locum habitationis gloriae Domini hic praeſignaverunt, & eadem die ſubſcriptis praediis dotauerunt.

CAPUT IIII.

Deſcriptio Dotis.

Haec ſunt autem praedia, & iſta ſunt *allodia*, quae ſupradictus piae memoriae *Liutoldus Comes cum germano ſuo Chunone Comite* Chriſto aeterno Deo viuo & vero, nec non eius ſanctiſſimae Genitrici Mariae ſemper virgini perpetim a ſeruis ſuis poſſidenda contulerunt, & quae pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuae ad Monaſterium *Zwifildenſe* tradiderunt. primo videlicet

locus,

locus, in quo Coenobium nunc eſt conſtructum, cum viculis & terminis ſuis, id eſt *Bach* & *Brunnen*, *Steinikart* ac *Guwiberc*, quae adhuc (*) inculta fuerant, & eccleſia plebis cum omni decimatione vel Jure, quo ab ipſis aut patribus eorum eotenus eſt poſſeſſa.... Iſte locus in diuiſione praediorum in ſortem obuenerat *Wernhero* fratri eorum, qui cum eſſet *Argentinenſis Epiſcopus* ante paucos dies obierat. ideoque ambo indifferenter, utpote adhuc indiuiſa, tribuebant. Eccleſiam quoque apud *Tygirinueld* ſitam cum decimis ac tributariis hominibus ad illam pertinentibus ambo germani communiter Domino ſimul & eius ſanctiſſimae genitrici Mariae perpetuae virgini dederunt eo tempore, quo praeſens Coenobium inſtituere pari voto decreuerunt. iſta namque, ceteris aequa ſorte diuiſis, nondum diuiſerunt; quamobrem indifferenter iſta ſimul tradebant.

Ea vero, quae ſequuntur, ſingillatim quisque de ſua contulit portione. quae licet non vno tempore tradiderint, tamen quoniam ad vnum locum ab ipſis data ſunt, vnum quoque locum relationis vtriusque donationes hic habebunt.

CAPUT V.

Quid Dominus Liutoldus Comes ad hunc locum ſine fratre tradiderit?

Dominus Liutoldus Comes ad alendum pauperes Chriſti Monachos dedit dimidiam villam *Tarodingen* appellatam - - - dimidiam quoque partem eccleſiae in eadem villa, nec non Eccleſiam *S. Blaſii* haud procul a villa remotam ... Item dedit villam, quae dicitur *Vndingen*.. vnam quoque in eodem loco tabernam. de his duobus praediis quaedam charta venit nobis in manus, quam hic ſubiungendam aeſtimamus:

Notum ſit omnibus tam futuris quam praeſentibus, qui auditu perceperint, iniuſtam & pro nihilo habendam eſſe querimoniam, quam habent

*) Ingrati & hiſtoriae ignari ſunt, qui Monachos plurimum ad excolendos agros contuliſſe negant. confer cels. Mart. Gerberti *Hiſt. Syluae nigrae.*

habent fratres de *Mieringen* pro praedio ſuo Tarodingen & Vndingen : quod quia a progenitoribus ſuis quondam in proprietate habitum ſit, iure hereditario ſuum eſſe affirmant. vnde , eoquod iniuſte ablatum ſibi aeſtiment, aduerſus eiusdem praedii poſſeſſores ſaepe conqueruntur. hoc autem modo, hoc ordine rei euentus huc usque ad praeſens tempus deuenit. Tempore *Cunradi* Imperatoris & *Heinrici* ſucceſſoris eius in Regno *Auia* eorundem fratrum conſilio & affectu conſanguineorum ſuorum miſſa in *Longobardiam*, legitimo ibidem tradita eſt Marito. interim frater eius domi relictus paralitica infirmitate per compagem membrorum reſolutus praedictum praedium, quod tunc temporis ſui Juris erat, absque omni contradictione tradidit in proprietatem *Rudolfo Comiti de Achalmin* ; tum quia infirmitate debilitatus, tum quia conſanguinitate ei erat coniunctus : ea tamen pactione , vt ſibi quoadusque viueret , in loco filii neceſſaria vitae ſuppeditaret. poſtea vero longo temporis interuallo transacto praedicta ſoror eius contempto , cui legitime ſociata erat Marito , a Longobardia reuertens praedium praedictum quaſi iniuſte ſibi ablatum a *Rudolfo* repetiit ... ſed contradicentibus Legisperitis minime recepit ... miſericordia tamen motus ſuper illa , tradidit ei praedium quod habuit apud *Himinhuſen* & quinque hubas *Vndingen* ad comprimendam eius licet iniuſtam querimoniam , & amicitiae foedus redintegrandum , ante omnia affirmans , vt de cetero prorſus ſe abdicaret. his ita ſub teſtimonio plurimorum adſcito rite peractis , idem praedium , quod a praedicto fratre eiusdem mulieris percepit , poſtea nullo repoſcente in quouis colloquio Ducum aut Comitum in proprietate retinuit , filiisque ſuis nemine refragante in hereditatem reliquit. ſimiliter etiam ipſi per totum vitae ſuae tempus nullo repoſcente retinentes , tandem huic Monaſterio perpetuo adhaeſurum tradiderunt.

Memoratus Comes Liutoldus tradidit etiam nobis *Altinburg* villulam totam cum capella integra ... dedit quoque dimidiam partem Eccleſiae apud *Onfridingen* - & apud *Niwinhuſin* vnum manſum item apud *Tuzzelingin* vnum ac ſecus *Imminwilare* duas hubas , quas poſtea commutauimus cum duabus hubis apud *Stubichahe* poſitis. item apud *Scephbuoch*

tria molendina ſecus *Huſin*, quae poſtea data ſunt in concambio *Rudolfo de Rutelingen* pro *Wiminisheim*. item iuxta *Curienſem* ciuitatem quartam partem in villa, quae *Lupinis* appellatur & vnam ſalicam terram cum omnibus quae vel ibi, vel apud *Flaſconis* viculum hactenus habuerat in aedificiis, in agris, in vineis, in pratis, in paſcuis vberrimis, quas incolae terrae illius *Alpes* vocitant, & decimas quae proueniunt ex tribus hubis, *quas parentes eius ad cellam S. Galli* tradiderant. cuius traditionis chartam licet per ſoleciſmum conſcriptam, hic ſubiicere curauimus, pauca quidem verba propter barbariſmum vitantes, quaedam vero ſicut inuenimus ſimpliciter ponentes.

In Chriſti nomine, regnante *Heinrico quarto* Imperatore anno regni eius XXXVI. Ego *Liutoldus* comes cum manu advocati mei *Victoris* (*) dono, donatumque eſſe volo omne tale praedium, quod habeo in vico *Lupine*... ad cellam S. Mariae Zwifildi, ſcilicet omnes tres partes, & quidquid habeo in Comitatu *Rudolfi* Comitis --- recepit Abbas *Vdalricus* cum manu Aduocati ſui *Tyberii*. tracta & facta eſt haec charta in vico ad *Campos* (**) in menſe Maio, cuius teſtes *Gigio II. Vdalrici.* (***) *Otto II. Tyberii. Adelbertus*, *Bruningus*, *Vrſaldus*. ego quoque *Landulfus* teſtis & VI. alii. ſi quis hanc chartam rumpere voluerit, incurrat iram ſanctae Trinitatis & S. Mariae, & ſoluat duplum quod charta iſta continet, & ad Judices ſoluat XX. libras argenti. & ego *Meroaldus* cartam ſcripſi.

Isdem Chriſti cultor Liutoldus quoddam in *Alſatia* cum fratribus ſuis habebat praedium, cui *Ebirsheim* erat vocabulum, quod poſt obitum fratrum ſuorum cupiebat conferre Monaſterio. ſed quia *cingulum militiae* tum pro diuino amore, tum pro corporali depoſuerat aegritudine, *ſecundum leges ſaeculi* non potuit hoc heredibus ſuis aufferre. quoniam vero ſapientiſſimus ingenio fuit, tale conſilium ad hoc dedit, quatenus Monaſterium aliquod inde poſſet habere commodum. Nam cum longe a Monaſterio fuiſſet remotum, & idcirco quorundam hominum violentia

nobis

*) Optandum, vt nomina intacta reliquiſſet ſcriptor, nomina certe *Victoris* & *Tyberii* aliis ſuppoſita ſunt.

) *Feldkirch.* *) Sic Apographum habet: ſic & Autographum.

nobis effet ablatum, *Wernhero comite de Gruningen*, filio ſcilicet ſororis eius, operam dante, licet hoc hereditario iure ſibi poſſet vendicare, per *Heinricum quintum* Imperatorem in vſum noſtrum taliter eſt redactum. Wernhero comite praenominato omnibus modis, vt diximus, annitente atque fauente, per manum ipſius Wernheri praefato hoc dedimus Caeſari pro LX. Marchis argenti. de qua pecunia XX. Marchas poſtea dedimus *Sophiae* coniugi *Cunradi de Habechisburc.* quae cum quondam eſſet uxor *Eginonis* fratris *Liutoldi* Comitis, idem praedium dicebat ab eodem Eginone viro ſuo ſibi fuiſſe traditum. cuius rei veritatem tametſi ſciremus aliter ſe habere, tamen locum dantes inſaniae, ſupradictam adpendimus illi pecuniam .... Idem Liutoldus dedit nobis ad *Sigginhuſen* duos manſos .. item binos manſos ad *Phullingen* ... apud *Stubichahe* nihilominus dedit vnum manſum, quem ei Domnus *Gebehardus hirsaugienſis Abbas* hoc pacto dedit, vt ipſe *Liutoldus* abdicaret ſe, quidquid iuris in vico, qui vocatur *Eſſingen* potuiſſet habere. hic enim eius ſorori *Willibirgae Matri Wernheri Comitis* ex paterna traditione in ſortem venit: quem viculum isdem poſtea *Wernherus* ad *Hirſaugiam* tradidit. haec ſunt praedia quae tradita ſunt noſtrae memoriae Liutoldum Comitem ad Zwifildenſem locum contuliſſe. cuius traditiones quamuis *iunioris* ante retulimus quam fratris; quia ipſe principaliter ac ſpecialiter extitit Auctor cellae fundationis.

CAPUT VI.

Quid Dominus Cuno Comes de ſuo tradiderit.

Nunc ad ea conuertimur, quae frater eius, videlicet *Cuno Comes* de ſuis facultatibus proprie & ſingillatim absque fratre ſuo germano tradidiſſe recolitur ... primum itaque memorare cenſuimus, quod videtur in donis ſuis pretioſius, ſcilicet *Niwinhuſen*, quo loco cuncta quae habuit cum vicino monte, qui *Cholberg* dicitur nobis tradidit. quae terra ſimilis eſt terrae repromiſſionis, terra fructifera & fertilis vini ... hic eſt mons & collis, de quo multi teſtantur, quod pene in omni romano Imperio

tantis usibus aptam nullam vidissent areolam .... Ex his adhuc nonnulla fuerunt infructuosa, maximeque super montem posita. verum postquam serui Dei hoc in loco conualuerunt, arbores infoecundas succidere, spineta exstirpare ceperunt, & syluaticam tellurem reddiderunt fructiferam ... exstruxerunt sibi piscinam aquaeductus, consseuerunt ligna pomifera multigenarum arborum ... ecclesiam quoque inibi fundauerunt, quam in honore XII. apostolorum dedicare decreuerunt, ad quorum numerum XII. Carradas vini omni labore suo expenso, vix se accepturos sperauerunt. sed Deus longe aliter quam speraſſent prouidit; cum & ecclesiam in honore S. Michahelis Archangeli, & S. Nicolai episcopi, sanctique Benedicti confessoris dedicari voluit, & mensuram vini incredibiliter contra spem omnium multiplicauit ..... Isdem *Cuno Comes* dedit nobis in *pago qui Durigowe* nuncupatur iuxta *Wuluelingen castellum suum* vnam ecclesiam parochialem ex integro in villa *Buoch* cognominata, cum omni iure ecclesiastico, & vnam terram salicam, maximamque partem eiusdem villae cum omnibus appendiciis suis... In eodem pago tradidit huic nonellae plantationis congregatiunculae quartam partem villae *Dietinchhouen* appellatae, & vnam salicam terram, & quartam partem eiusdem loci ecclesiae. quartam nihilominus piscinae partem in piscoso flumine *Lindimaco* (*) nomine, ibidem decurrente. istud praedium in graminea & saltuosa telluris superficie, fertili vel sterili rure duodenas complectebatur hubas. Haec sunt quae illustrissimi Comites Liutoldus & Cuno... absque omnium mortalium contradictione simul & singillatim tradiderunt... nempe taliter erga heredes suos disponere satagerunt, ne quis eorum ipsis defunctis vllam potestatem aut vllam controuersiam in hoc coenobium vel in eius bona vlterius hereditario iure posset exercere.

CA-

*) *Limagus, Limat.*

CAPUT VII.

Qualiter Wernherum Comitem ab hereditate huius loci donis ſuis repulerint ?

Itaque huius rei accelerandae gratia cum quibusdam *optimatibus regni* conuenerunt apud oppidum *Biemphelingen* praefati duo fratres germani. vbi *Wernherus Comes de Gruningen* filius *Willibirgae* ſororis eorum, qui prae ceteris conſanguineis illorum praediis hereditaria lege magis videbatur ſuccedere, cum aliis conueniens ſpontanee & absque omni refragatione ſe abdicauit ab hoc Cenobio, & ab omnibus praediis, a ſupra nominatis patronis ei delegatis: ſeque nunquam vel hereditario iure, vel vlla tyrannide hoc irritum facturum fore ſacris Reliquiis coram allatis, iureiurando per manum *Ottonis* ſui clientis gregarii ſcilicet militis confirmauit. quapropter eidem *Wernhero Nepoti ſuo* tradiderunt dimidiam eccleſiae partem apud *Tetingen:* & eandem villam dimidiam, *in qua parentes eorum ſedem ſuam ſtatuerant*, & vbi frequentius, *cum in his eſſent Regionibus*, habitauerant. vbi etiam *pater ipſorum Rudolfus Comes* cum duobus paruulis *ſuis*, fratribus eorum *Hunfrido* videlicet & *Beringario* ſepultus quieſcebat: quorum corpora Monaſterio iam conſtructo *inde translata*, in capitolio noſtro digna cum veneratione ſunt tumulata. Ad haec quoque tradiderunt ei dimidiam villam, quae *Mezingen* dicitur, cum dimidia parte eccleſiae: neo non dimidiam eccleſiae partem apud *Eningen* cum vna ſalica terra in eadem villa. inſuper pene cunctos adparitores & milites ſuos, cum Caſtello ſuo *Achalmin* dicto, quod usque in hodiernum diem cernitur in duas munitiones eſſe diſcretum: quarum vnam maiorem videlicet, *Rudolfus pater*, alteram, id eſt, minorem *Liutoldus Comes* a fundamento exſtruxit. haec omnia cautiſſimi famuli Chriſti ea fecerunt intentione, quatenus ipſum *Wernherum* ac reliquos heredes ſuos, ab iſtius, vt diximus loci repellerent adpellatione, quod ita factum eſt in praefata villa *Biempflingen*. cuius rei teſtes ſunt ſubſcripti. I. *Burchardus de Witilingen*. II. *Conradus de Wirtineberc.*

berc. III. *Eberhardus de Mezingen.* IV. *Trutwinus frater eius.* V. *Marckwart de Gruningen.* VI. *Sigeboto de Remminheim.* VII. *Rudolfus de Rutilingen.* VIII. *Gabino de Phullingen.* IX. *Wernher de Slaitdorff.* X. *& frater eius Albericus.* XI. & XII. *Volmarus & Rudolfus de Berinhuſin.* XIII. *Wernher de Lintorff.*

Igitur *Wernherus Comes* non ſolum quae pollicitus eſt, quoad vixit, inuiolabiliter cuſtodiuit: ſed etiam omnia, quae milites ſui, qui ei traditione *Auunculorum* in poteſtatem venerant, donare nobis voluerunt, libentiſſime conceſſit, & ſicut alibi retulimus, ſexaginta Marchas argenti per *Heinricum* Imperatorem nobis acquiſiuit. quamobrem eius memoria non relinquetur a nobis in ſeculum ſeculi, & nomen eius requiretur a generatione in generationem.

CAPUT VIII.

Quae cauſa ſit, quod illa duo praedia Dietinchouen & Buoch ad praeſens non habeamus?

Domino *Cunone Comite* ex hac luce migrante, cum frater eius *Liutoldus* ſolus eſſet ſuperſtes, atque hereditas Domus Patris eius & omnium fratrum ſuorum ad hunc ſolum deueniſſet, conuenerunt ad eum duo fratres germani, *Burchart* videlicet & *Otto* filii ſororis eius *Mahthiltis de Horeburg*, & rogauerunt eum, ne tanto penitus parentum ſuorum patrimonio priuarentur. quibus tametſi nulla ſors pro *conſuetudinariis legibus* obueniret; quippe quibus ex materna dote dimidia pars villae, quae *Witelingen* nominatur, & optima curtis iuxta Rhenum *Herzinach* nomine: penes nos quoque villa, quae *Bichinishuſen* dicitur, in hereditatem deueniſſet: tamen praedictus Liutoldus comes eorum *Auunculus* ſapienti vſus conſilio, pariterque conſiderans quod ſcriptum eſt: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt, cum conniuentia atque conſenſu *Noggeri Abbatis* omniumque fratrum tradidit eis caſtellum *Wulfelingen* nuncupatum, cum vniuerſis praediis ac militibus ſuis in eadem regione conſtitutis, nec non & curtem nominatam *Buch*, de qua ſumus praefati: quam ipſi magno deſiderio, omnique anniſu precabantur ſibi dari.

dari. quod & fecit ea conditione, quatenus & ipſi huius loci, cunctorumque bonorum, quae vel ipſe vel frater ſuus Cuno aut alius quisque huic Monaſterio contuliſſet, omnino ſe perpetim abdicarent. quod ita geſtum eſſe ſub idoneis teſtibus ſciat vniuerſitas eccleſiae. iſti nempe praeſentes fuere, quando haec, quae diximus, cuncta peregerunt I. *Hartmannus Comes de Gerokuſin.* II. *Adelbertus de Reginherishouen* III. *Berchtoldus de Gemundin.* IIII. *Volmarus de Veltheim*, *Rudolfus* Presbiter & alii multi . . .

Sane duo praefati germani *Burchardus* & *Otto* poſtea perpendentes, quod memoratam curtem Buch *Auunculus* eorum ad hoc tradidiſſet Cœnobium: metuentesque ne diuinam iram incurrerent, ſi gratuito eam ſibi vendicarent, ſua ſponte duodecim Marchas argenti Domno *Vdalrico* Abbati huius locī *ſecundo* deuouerunt dare. e quibus *Burchardus* poſtea *Traiectenſis Epiſcopus* VI. Marchas vt promiſit, donauit. alter vero *Otto* tantum equum vnum pro ſua dedit parte. Alterum quoque, de quo ſupra retulimus Allodium, quod vocatur *Dietinchhouin* (*) *DUX WELFO*, qui iam fuerat factus noſter *aduocatus* petiit ſibi ad emendum dari: nec amplius quam XX. Marchas argenti pro hac commutatione voluit perſoluere. cui licet decuplum tanti valeret, ſecundum *Liutoldi* conſilium, pro eo quod eſſet Aduocatus huius locī, fratres vniuerſi pro memorata decreuerunt hoc illi dare pecunia. conuentione vero facta Dux idem praedium in ſuum ſuſcepit dominium: nec ſaltem vnum propter hoc donauit nummum. cumque diu pro hoc negotio fatigati taedio defeciſſemus, tandem vix quartam partem pecuniae exegimus. Interim isdem Dux *Hieroſolymam* proficiſcitur, iterum iterumque a fratribus interpellatur. qui *filio ſuo Welfoni* rem commiſit: ipſe autem vt diſpoſuit, ire perrexit. Ille vero magis quam Pater nos afflixit, ipſumque praedium ſuis hominibus in beneficium conceſſit, & tamdiu prouiſores huius loci huc & illuc fatigando fruſtrauit, donec per *Heinricum quintum* Imperatorem poſt multas admonitiones ad vltimum regali potentia conuictus ſua recipiens fratribus ſua reliquit inuitus.

Dom-

*) Situm eſt inter *Ruſſam* & *Limagum* fluuios: hodie iuris Monaſterii *Wettingen*, Ord. Ciſterc.

Domnus autem *Vdalricus* Abbas praeteritis malis inſtructus, & praecauens in futurum, ne forte ſimilia denuo foret paſſurus, cuidam *Comitiſſae* coniugi videlicet *Ottonis de Habechisburg* pro LXX. Marchis argenti illud dedit. porro homines quos ibidem centenarium numerum excedentes vel habuimus vel habemus, nec tunc illos vendidimus, nec vnquam aliquos venumdabimus.

CAPUT IX.

De familia huius loci.

Hoc loco quia mentionem de familia noſtra fecimus, illud praeterire non debemus, quod multos haec poſſideat eccleſia, *qui ſemetipſos propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis, qua duriſſime premebantur a propriis Dominis, in ius noſtrum coemerint cauſa quietis.* e quibus alii ruricolae, alii vinitores, quidam pannifici, ſutores, fabri ſunt ac mercatores, artiumque diuerſarum & operum executores. Nonnulli quoque de ipſis ſunt tributarii, qui tamen aliquantula diuerſitate videntur diſcrepare. ſunt enim inter eos aliqui ad Monaſterium proprie pertinentes, qui & ipſi hac diſſimilitudine noſcuntur differentes, quod alii annuos ad Monaſterium perſoluunt nummos: alii ceram ad inſtaurandum aliquem maiorem cereum. quidquid ergo cenſus ab huiusmodi ad Monaſterium perſoluitur, totum *Eccleſiae Cuſtodi* deputatur. aliqui pertinent ad eccleſiam popularem trans flumen: aliqui ad eccleſiam S. Stephani in *Tygirinueld*, vel ad eccleſiam ſancti Blaſii *Tarodingen*, vel ad quamlibet *noſtrae Ditionis* eccleſiam. - - Hi tamen omnes ſicut ceteri dicuntur eſſe de familia noſtri Monaſterii: qui talibus legibus eſſe debent ſubditi, qualibus & aliorum Monaſteriorum vel eccleſiarum tributarii. Et notandum, quod illi tributarii *praeſente Praepoſito* (*) *Monaſterii*

*) Quum enim duae partes *bannorum*, id eſt mulctarum quae in reos decernebantur, eccleſiae cederent, tertia Aduocato competeret; in iſtiusmodi cauſſis iudiciariis Aduocato non nimium fidendum erat, poterat enim vel eſſe indulgentior vel auaritia ductus diſtrictior in ſubditos. quando vero maioris momenti emergebat cauſſa, perſonis eccleſiaſticis vetitum erat adire *Placita ſaecularia*, resque Aduocato committebatur, *ut in Jure reſponderet.* vide Gloſſar. du Cang.

ſterii iudicandi ſunt *ab Aduocato loci ſtatutis temporibus*, ſi quis eorum cuiuslibet temeritatis fuerit conuictus, ſeu quolibet modo ſecundum legem eorum exactione debiti conſtrictus. una pars exactae pecuniae Juris eſt aduocati : duae partes reliquae noſtrae publicae rei debentur, niſi reſpectu miſericordiae relaxentur.

Illi autem, qui ex toto Jure proprietatis ad Monaſterium pertinent, tametſi certis temporibus ab Aduocatis ſicut tributarii non iudicentur, tamen, ſi quid vel in nos, vel in quemquam aliquid deliquerint aut iuſtae querelae commiſerint, tam acriter a praepoſito vel Advocato coërcendi ſunt, ut caeteri metum habeant.

Sunt adhuc alii, quibus hoc genus ſervitutis iniungitur, ut Domno Abbati, Priori, praepoſito ſeu caeteris fratribus quoquam profecturis cum equis ſuis comitantes miniſtrent & obſequantur. quapropter ut hoc munus iure poſſit ab eisdem exigi, quaedam *beneficia* ſolent eis praeſtari. hi nimirum hac reverentia dignitatis geſtiunt honorari, quatenus nomen & ius habeant huiusmodi, quod illi tenent homines, quos adpellamus *Miniſteriales*. verumtamen nullum adhuc tam ceruicoſum tam elatum noſtra poſſidet eccleſia, qui vel *militaribus armis* nobiscum permittatur equitare, vel Manticam cuiuscunque Monachi noſtri in ſuo iumento dedignetur portare. nam nec loci fundatores, nec alii noſtri Benefactores eiusmodi nobis voluerunt tradere : ſed nec nos aliquando tales conſenſimus ſuſcipere, per quos poſſet nobis aut noſtris ſucceſſoribus aliqua moleſtia prouenire. Iſtic quoque, ſi quam incurrerint offenſam ſeu negligentiam, *Praepoſiti vel Domini Abbatis pro hoc ſuſtinebunt ſententiam*. quod ſi renuerint eis ſubiici, neceſſe eſt per ſeueritatem *Aduocati* rebellionem atque contumaciam eorum comprimi.

Si equos ſuos in noſtro ſeruitio per noſtram incuriam perdiderint : aut alii eis a nobis equi tribuentur : aut tribus annis absque ſeruitio *beneficia* ſua habere permittentur. poſtquam aliquis eorum filios habens vel non habens defunctus fuerit, *equus* eius, & caetera quae a ſui ſimilibus accipi ſolent, in vſum Monaſterii redigitur. ſimiliter de praefatis *tributariis* vel aliis de *ſeruili conditione* mortuis agitur. quod lex cuiuscun-

que ordinis exigit ſolemus accipere nec amplius quam inſtum ſit, debemus exigere.

Nec hoc praetereundum, quod quidam pro magna beneuolentia ſeruos ſuos ad hunc locum ſub ſtatuto cenſu tali pacto tradiderunt, vt nec cum caeteris tributariis examinarentur ab Advocato, nec obpreſſionem aliquam vel violentiam paterentur ab eo. ſi forte, quod abſit, Praepoſito vel Abbati ſubdi detrectarent, tunc *ſi placuerit Rectoribus huius loci* ad ſubiectionem ac ius faciendum ab Aduocato ſunt cohercendi. (*)

CAPUT X.

Qualiter beatus Willehelmus Abbas fratres ſuos huc transmiſerit?

Deſcriptis omnibus quae vel ante conſtructionem vel in ipſa inchoatione huius Coenobii ſiue poſtea nobis tradiderunt piiſſimi fundatores *Liutoldus* ſcilicet & *Cuno* Comites, nunc qualiter per *Wilhelmum hirſaugienſem Abbatem* primitus angelica vita plantari ceperit . . memorare debemus. loci namque opportunitate inuenta . . beatum Willehelmum prouidentiſſimum Conſiliarium petierunt. quibus venerandus pater ſe promtum exhibebat, ac mox in ſubſequenti feſtiuitate S. Michaëlis Archangeli XII. Monachos - - & V. barbatos . . . *anno Milleſimo octogeſimo nono* miſit hunc locum ad ſalutem animarum praeparare - - - interim per *Priores* regebantur.

CA-

*) Inſigne prorſus argumentum, Aduocatorum, quos alias libera electione ad ſui defenſionem aduocabant Monaſteria, ius fuiſſe duntaxat precarium: nec niſi *requiſitos* quidquam circa ſubditos aut eccleſiarum res potuiſſe.

CAPUT XI.

De ordinatione Domni Noggeri Abbatis.

Augebatur interim quotidie fidelium numerus : tantique collecti fuerunt in breui, vt anno fundationis *tertio* peterent sibi Abbatem donari. quam petitionem Willehelmus Archimandrita libentissime susceptit, & Domnum *Wezilonem* quem assignauerat eis Priorem cunctis pene ignorantibus domum repedare iussit, ac domnum *Noggerum* totius sanctitatis praeconio praeditum *in media quadragesima tertii anni* Abbatem eis praefecit . . . hic primum apud *cellam sancti Meginradi* quae vocatur *Einsidelin* post laudabilem vitam, quam in saeculo sacerdos exercuit ad conuersionem monachicam venit, ibique *plerosque annos* in Dei laudibus sancte viuendo cum aliis Dei seruis exegit. post haec diuina ut credimus ordinatione, sed tamen qua nescimus occasione *Hirsaugiensem* locum tunc iam vetustate collapsum, *in initio reparationis eius* expetiit. vbi & alii cum eo famuli Christi de diuersis locis in figura XII. Apostolorum - - - primo conueniisse referuntur bisseni. qui quasi XII. lapides viui sanctuarii coelestis meruerunt fundamenta fieri. nam hos duodecim, quos primum confluxisse retulimus, omnes postmodum *Monasteriorum Patres ac Rectores factos* audiuimus. e quibus beatus *Willehelmus* de Coenobio *S. Emmerami* quidem de ciuitate Ratisponensi inter reliquos veniens, principatum super eos meruit habere, atque sanctae huius institutionis legislator existere. Ipse quippe *Monachorum Consuetudines* & instituta patrum, quibus Regula S. Benedicti possit in coenobiis obseruari, de *Cluniacensi fonte* deriuauit, atque eis alpinae Monasterioram ariditati velut largissima fluenta ministrauit.

Eodem autem anno, quo Domnus *Noggerus* huius loci regimen suscepit : isdem Willehelmus hirsaug : Abbas, fundator istius Monasterii aliorumque plurimorum constructor & reparator coenobiorum multis clarus virtutibus obiit in senectute bona & adpositus est ad patres suos senex ac plenus dierum. consummatus est autem *III. Nonas Julii Anno*

MXCI. fundationis huius coenobii. III. tio cui succeſſit Domnus *Gebehardus*, poſtea *Spirenſis Ep'us*.

CAPUT XII.

Quomodo Priuilegium libertatis acceperint?

Eo tempore praeſens coenobium adhuc in poteſtate *Liutoldi* Comitis & fratris eius *Cunonis* erat. in cuius etiam manu ius Aduocationis ac defenſionis adhuc conſiſtebat. qui metuentes ne forte ſuis haeredibus aliquam proprietatem vel tyrannidem in hoc Monaſterium exercendi traderent, ſi hoc in ſuo *Dominio* retinerent, communi conſenſu *Manegoldum Comitem de Veringen* conuocantes cum non modica multitudine procerum, omnem proprietatem quam vsque ad illam diem libere & absque cunctorum contradictione Mortalium in eadem cella videbantur habere, delegauerunt eidem *Manegoldo Comiti* ea conditione, vt vel ipſe, vel alius nutu ipſius Romam ad Apoſtolorum limina veniret, ac praefatam Cellam Apoſtolico patrocinio & Eccleſiae Romanae *Dominio* ſub vnius aurei cenſu ſingulis annis Lateranenſi palatio perſoluendo ſubderet. . . . *Manegoldus* itaque Comes vt rogatus fuerat implere ſategit, & eandem Cellam *Dietrico de Biunburg* delegauit ac ſuper Altare Principis Apoſtolorum ad tributum vnius aurei vice ſua tradere rogauit. paruo poſt haec interuallo ſub abbate Noggero memoratus Dietricus cum *Wernhero* presbytero de *Aloshuſin* Manegoldi comitis clerico Romam adiit &c.

His diebus *Vrbanus* huius nominis *ſecundus* Papa Romanam regebat Eccleſiam, qui memoratum Coenobium in ſuum recipiens *Dominium* Noggero primo huius loci Abbati manu propria confirmatum ac ſignatum *libertatis* miſit Priuilegium, anno Incarnationis diuini Verbi MXCII. Pontificatus vero Domini Vrbani Papae VI. quod poſtea ſub *Vdalrico ſecundo huius loci Abbate* per *Calixtum* papam huius vocabuli *ſecundum* innouatum, huic opuſculo inſerendum iudicauimus idoneum.

CA-

CAPUT XIII.

Priuilegium ab Vrbano Papa huic loco primitus conceſſum.

VRBANUS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei dilecto in Chriſto filio *Nogero* Abbati Monaſterii S. Mariae, quod ſitum eſt in loco qui dicitur *Zvifalta*, eiusque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Piae voluntatis affectus ſtudio debet proſequente compleri: vt eccleſiaſtica vtilitas Apoſtolicae ſedis fauore vires recipiat; Apoſtolicae ſiquidem ſedis deuotiſſimi filii *Liutoldus & Cuno Comites* (*) & reliqua vt in ſequentibus. Datum in monte *Gargano* (**) per Joannem Eccleſiae Romanae Cardinalem Diaconum XII. Kal. Maij, Indict. I. anno Dominicae Incarnationis MXCIII. Pontificatus autem Domini Vrbani II. papae anno VI.

Priuilegium per Caliſtum papam nobis collatum.

Calixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto filio *Vdalrico* Abbati Monaſterii S. Mariae quod in loco qui dicitur *Zuifulda* ſitum eſt, eiusque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum.

Religioſis deſideriis dignum eſt facilem praebere conſenſum, vt fidelis deuotio celerem ſortiatur effectum. Apoſtolicae ſiquidem ſedis deuotiſſimi filii *Liutolfus & Cuno Comites* de facultatibus propriis Monaſterium in loco, qui *Zuiuulda* dicitur aſpirante Domino conſtruxerunt, quod in beatae Dei Genitricis & ſemper virginis Mariae honore ac nomine conſecratum, beato Petro Aplrum Principi & ſanctae eius Eccleſiae obtule-

*) Sigillum quoque calamo effictum eſt. circum crucem ſcriptum legitur: *ſanctus Petrus - S. Paulus - Vrbanus papa II.* in circulo: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen.* ad latus pictum conſpicitur monogramma: *Bene valete.*

**) Caſtrum enim *montis Angelorum* & alia loca munita Romae *Guibertus* Antipapa praeſidio inſtructa etiamnum tenebat; tametſi ipſe *Veronae* apud *Heinricum IV.* Imp. moraretur. vid. Murator. *Annal. Ital.* ad ann. 1093.

obtulerunt. Quam nimirum oblationem Nos Auctoritate ſedis ſcilicet Apoſtolicae confirmantes ad Exemplar Domini Praedeceſſoris noſtri ſanctae memoriae *Vrbani papae* praedictum locum ſub beati Petri tuitione confouendum ſuſcipimus, & contra viuentium omnium infeſtationes praeſentis Decreti ſtabilitate munimus. ſtatuimus enim, vt quidquid *praedicti Comites* diuinae aſpirationis inſtinctu eidem coenobio contulerunt, & quaecunque a quibuslibet fidelibus de ſuo Jure aut hactenus collata ſunt, aut in futurum annuente Domino conferri contigerit: tibi chariſſime in Chriſto frater *Vdalrice*, qui nunc eidem loco in Abbatem praeſſe diuina diſpoſitione cognoſceris, tuisque Succeſſoribus firma ſemper & illibata permaneant. Nulli ergo hominum liceat idem Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc eius loci Abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia praeponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem prouiderint eligendum.

Hoc ipſum de *Advocati* etiam conſtitutione praecipimus. qui tamen Aduocatus ſi inutilis Monaſterio repertus fuerit, amoto eo alius ſubſtituatur. Chrisma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſiue Baſilicarum ab Epiſcopo in cuius Dioeceſi eſtis, accipietis, niſi forte ſimoniacum eſſe conſtiterit, aut Apoſtolicae ſedis Communionem & gratiam non habere. quod ſi conſtiterit, liceat vobis a quocunque malueritis catholico Epiſcopo & Clericorum ordinationes & caetera Sacramenta ſuſcipere. Si quis ſaecularium in eodem Coenobio ſibi locum Sepulturae deſiderauerit praeparari, liceat vobis pie deſiderata concedere. Ad indicium autem perceptae huius ab Eccleſia Romana *libertatis*, aureum unum quotannis lateranenſi palatio perſoluetis. ſi quis igitur in futurum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, potens aut impotens, hanc noſtrae conſtitutio-

tutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptauerit, secundo tertioue commonitus, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino Judicio existere debere perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo Examine districtae Ultioni subiaceat. cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen, amen, amen.

(*Monogramma.*) Ego Calixtus Catholicae Episcopus Ecclesiae subscripsi.

Datum *Laterani* per manum *Crisogoni* sanctae romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii VIIII.o Kal. April. Indict. XV. Incarnationis Dominicae anno MCXXII. Pontificatus autem Domini Calixti secundi papae anno IIII.

CAPUT XIIII.

De obitu Cunonis Comitis.

Postquam venerabilis *Cuno* cuncta quae de constructione Coenobii, vti mente disposuit, feliciter cum germano suo compleuit, iam senex & grandaeuus in castello suo *Wulffelingen* corporis dolore corripitur: cumque hac infirmitate graui per dies XIIII. laborasset, in senectute bona collectus est ad patres suos anno Dominicae Incarnat: *Millesimo nonagesimo secundo* fundationis vero Coenobii IIII. qui cum esset tempore grandis persecutionis & haereticae prauitatis, quae per *Heinricum IIII.* Imperatorem Ecclesiam vehementer vastauit, hic in fidelitate sancti Petri cum sepe dicto *Liutoldo* fratre suo immobiliter veluti Cedrus inconcussa perdurauit --- postquam igitur ut diximus de hoc mundo migrauit, frater eius *Liutoldus* Comes hoc audiens, licet ipse quoque cygneo foret capite ac podagrico adeo constrictus dolore, vt vix baculo sustentante gressum quoquam posset mouere: tamen vnum quod & vltimum restabat,

scili-

ſcilicet quod viuus mortuo debebat, fratri defuncto deferre non diſtulit obſequium. nam impiger poſt ipſum abiens cum magna gloria *corpus eius hucusque perduxit*, ac ſecus introitum popularis Eccleſiae, vbi noviter collecta manſitabat congregatiuncula, verſus altare ſancti Petri cum tantillo Monachorum numero vdis luminibus ſepeliuit. vbi poſtea imaginem Crucifixi, cuius hodieque viſuntur veſtigia, ſuper eum iuſſit in pariete depingi. poſtmodum vero Monaſterio iam pene conſummato, *Cineres eius inde translati iuxta oſſa Patris & fratrum ſuorum in capitolio noſtro ſunt venerabiliter tumulati.*

CAPUT XV.

De electione Aduocati huius loci.

Cuno felicis memoriae Comes quoad vixit, huius loci *Aduocatiam* iure proprietatis adminiſtrauit, & vsque ad diem mortis ſuae. more pii Patris iſtud Coenobium defendere, curauit. quo rebus humanis exempto frater eius Liutoldus comes pondus huiusmodi curae ferre non valuit, quia podagrico ſimul & chyragrico dolore laborauit. hanc ob cauſam eius conſilio ac conſenſu, nec non priuilegii auctoritate vel permiſſu communis fratrum conuentus *Welffonem Ducem Bavvariorum* elegit Aduocatum. ita ſane quatenus nuper collata per priuilegium libertas inuiolata maneret: ſcilicet vt tamdiu ſciret praeeſſe quamdiu voluiſſet huic loco prodeſſe. ſin autem inutilis foret, Congregatio alium Aduocatum eligendi liberam poteſtatem haberet. Itaque priuilegio allato & *Welffone Duce* Aduocato conſtituto factum eſt magnum colloquium apud ROTENACKERE (*) totius regni principum, ibique praeſentatum priuilegium cunctis audientibus qui affuerunt publice lectum eſt atque legitime confirmatum.

CA-

*) Ad Danubium ſuper Ehingam: Ducatus Würtenberg. villa.

CAPUT XVI.

De obitu D'ni Noggeri Abbatis : & quis eius ſucceſſor fuerit ?

Igitur Domnus *Noggerus* Abbas anno de Natiuitate Chriſti *Milleſimo nonageſimo quinto* fundationis coenobii *ſeptimo*, ordinationis autem eius *quinto* piis intentus operibus *II. Non. Martii* de huius mundi carcere ad Coeli palatia laetus emigrauit, atque inmarceſſibilis gloriae coronam pro qua ſtrenue certauit, a Domino percipere meruit. cuius obitu fratres admodum triſtes effecti *Walechonem Abbatem de Winigarten* adeſſe petierunt, ac defuncto patre ſepeliendi per eum officium impenderunt. eodem vero die, quo hunc terrae commendauit, quemdam Nouitium nomine *Vdalricum* cum aliis duobus fratribus isdem *Walecho* in Monachum conſecrauit. poſt haec orbati fratres *Hirſaugiam* venientes petierunt Domnum *Gebehardum* Abbatem, vt eis dignum animarum ſuarum donare dignaretur Patrem. Quorum petitionem benigne ſuſcipiens quibusdam fratribus aſſumptis, quos ad hoc officium idoneos iudicauit, ad hunc locum venire maturauit. vbi & alii duo a fratribus euocati conuenerunt Abbates, videlicet praefatus *Walecho de Wingarten*, & Domnus *Azelinus de Buirron* (*) hi tres tanquam in figura Trinitatis dicentes : faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, multa retractantes conſilia tandem ſuperius dictum, licet neophitum, licet nondum plene decem hebdomadas in monachica conuerſione habentem elegerunt *Vdalricum*, in primo (**) die rogationum qui eodem anno in *Kal. Maii* venerat. qui cum ad nullum eccleſiaſticum ordinem adhuc eſſet promotus, omniumque fratrum foret loco nouiſſimus, dictum eſt ei a Domino : Aſcende ſuperius. nam cum ſubeſſe mallet quam praeeſſe --- vix aegre conſenſit -- quem Dominus *Gebehardus venerabilis conſtantienſis Epiſcopus*

*) *Blaubeuren.*

**) Legendum *in ſecundo* ; hoc enim anno 1095. Kalendae Maii in diem *Martis* inciderant.

pus & Apostolicae sedis Legatus paterne admonitionibus instructum tempore delapso per singulos gradus ordinis ecclesiastici prouexit & sic demum in Abbatem consecrauit &c. . . . . .

CAPUT XVII.

De obitu Comitis Liutoldi.

Decimo fundationis anno coenobii huius nondum elapso, *Liutoldus* Comes grauiori correptus infirmitate sensit se termino vitae praesentis adpropinquare ... in hora exitus sui petiit se monachica benedictione insigniri. qua percepta triduum quod supervixit Dominum non cessans benedixit ---- obiit autem temporibus *Heinrici quarti* Imperatoris XV. Kal. Sept. anno MXCVIII. ac sepultus est in nostro capitulo in sepulcro Maiorum videlicet Patris ac fratrum suorum. ...

CAPUT XVIII.

De conditione vel dedicatione maioris Ecclesiae.

Maius Monasterium, quod temporibus piae memoriae *Noggeri* Abbatis est inchoatum, cepit in dies augmentari & succrescere per domnum *Vdalricum*. nam primo fecit vnam construi in honore S. Dei genitricis & eius fidelissimi tutoris Apostoli Johannis & Euangelistae capellam, cui claustrum ligneis tabulatis est adiunctum. ibi postquam de populari ecclesia transmigrauerant, interim commanentes & quae Dei sunt agentes, tanta ceptum opus aggressi sunt instantia, vt XXI.o anno postquam coenobium est inchoatum, etiam templum praeter picturas & alia huiusmodi ornamenta fuerit consummatum. ... Domnus Vdalricus diem aptum constituit Dedicationis. post haec convocauit beatae memoriae *Gebehardum constantiensem Episcopum Bertolfi Ducis germanum & apostolicae sedis Legatum*, ac Domnum *Widonem curiensem antistitem*. quibus aperiens suam voluntatem postulauit, vt Domino fauente complerent Ecclesiae Consecrationem. Illis autem haec annuentibus dedicatum

catum est ab eis idem templum in honore S. Dei genitricis Mariae & omnium sanctorum *V. Idus Septembr. millesimo centesimo nono anno* Dominic: Incarnat. . . . tanti referuntur e diuersis Ecclesiis confluxisse, ut praeter Monachorum, canonicorum, clericorum numerositates XIIII. conuenirent Abbates. . . . . Altero vero post anno memoratus *Gebehardus* Episcopus *II. Id. Nouembr.* a corporalibus exemptus membris coniunctus est in aeternis sedibus summus Pontifex summis Pontificibus.

CAPUT XIX.

Qualiter & alia monasteria de hoc loco viuendi sumpserint exempla?

His diebus egit per amicos suos *Dux Bohemicus*: quatenus per Domni *Vdalrici nostri Senioris* (*) Magisterium, nuper ab eo constructum regeretur Monasterium. quod cum patri nostro nec non Conuentui cuncto propter eiusdem gentis ingenitam feritatem, morum improbitatem, ac linguae barbariem dura videretur, haec tamen maxima difficultas putabatur, quod isdem locus & Abbatem & Monachos habere de eadem Natione dicebatur. tanta vero vis erat amicorum id petentium .. vt omnis excusationis occasio, omnis negantium vinceretur contradictio; & quod ab amicis maximeque ab *uxore* memorati Ducis petebatur; eoquod erat *filia Heinrici Comitis de Berge*, (**) hoc loco quiescentis. missi sunt itaque XII. fratres. VI. Monachi scilicet ac VI. barbati, disciplinae clausralis experientia pollentes.

Qui cum aliquantulum temporis ibi transegissent, & quasdam causas illic vidissent, quas sine periculo animae ferre nequissent, per domini *Vdalrici* Abbatis operam contra spem omnium reuersi sunt in patriam: ea tamen Duci promissione facta, vt si quod eos offendebat scandalum, postea fuisset sopitum, ad eandem denuo reuerterentur regionem. quod

 ita

*) Id est Abbatis.

**) Proxime *Ehingam* cis Danubium. inferius latine Comites *de Monte* vocantur. non confundendi cum comitibus *de monte sancto*. quae quidem femina inferius *Richinza* nominatur.

ita factum eſt. nam fratres plusquam XX. ſunt poſtmodum illuc transmiſſi : e quibus vnus praeficitur eis Abbas nomine *Wizzimannus.* quo defuncto Duceque *Latizlao* nomine rebus humanis ſubtracto , perſecutionem magnam a fratribus ibidem ſusceptis fuerunt perpeſſi , & rurſus repatriare compulſi. tertio nihilominus quidam e noſtris cum aſſignato ſibi Abbate nomine *Bertolfo* fuerunt illuc directi. poſtquam fratres qui eos pridem expulerant ab inſania ſua ſunt correcti.

De Nernestheim.

Sanctae quoque recordationis *Vdalricus conſtantienſis Epiſcopus cum germano ſuo Comite Hartmanno* per idem tempus Dominum noſtrum Vdalricum Abbatem coepit inquietare : quatenus ſuo dogmate dignaretur rigare ſemen , quod per alios apud *Nernestheim* Dominus olim inchoauerat plantare. . . quid plura ? petitiones tantorum Virorum non licuit vilipendere : praeſertim cum & *germanae ſorores* eorum Domina videlicet *Adelhait* quondam *Comitiſſa* , nunc autem Ancilla Chriſti deuotiſſima : nec non *Hadewig* aequali fulgens ſanctimonia coepiſſent pro eadem re ſupplicare. iſtae quippe dilectae Domino famulae duas vitas Mariae & Marthae inter ſorores loci noſtri perfectiſſime ſeruantes , hoc meruere , vt quidquid rationabiliter petierint , merito debeant impetrare. diriguntur igitur illuc fratres quotquot erant neceſſarii , aliquamdiu per *Priores* regendi. deinde cum poſtulaſſet fratrum vnanimitas , & loci illud exegiſſet vtilitas , datur eis Abbas omni ſanctitate plenus Prior noſter nomine *Henricus* ; poſt cuius tranſitum Dominum *Peregrinum* (*) virum ex virtutibus factum meruerunt patrem habere ſecundum.

De Scyrenſi Abbate.

Ea tempeſtate fratres de *Skyre* Dominum Vdalricum Priorem noſtrum ſummae prudentiae ac ſingularis Ingenii virum petierunt ſibi donari magiſtrum. quod quum per ſe non valuiſſent impetrare , per *Heinricum* (**) *Ducem*

*) Aliàs *Pilgerinum.*

**) Vulgo *Nigrum* filium Welfonis IV. & Judithae.

Ducem Bawariorum, ſecundum Aduocatum noſtrum, & Ottonem eiusdem gentis *palatinum* temptauerunt efficere. ſed cum nec ſic praeualuiſſent illud extorquere, nouiſſime per epiſtolam Domini *Innocentii* Papae & *Lotharium* Regem tandem illum obtinuere. quid referam multos non ſolum Laicorum, Clericorum, Monachorum : verum & Abbatum vel Epiſcoporum in quibuslibet agendis hic crebrius quaeſiſſe & hauſiſſe ſalubre conſilium &c.?

CAPUT XX.

Quomodo multi Nobiles.. ad hunc locum ſe contulerunt &c.

Multi quoque nobiles & mediocres ac fortunae minoris vtriusque ſexus homines diuerſa huic loco donaria contulerunt, & quidam deinceps nobiscum permanſerunt. quorum caput extitit Fundator huius Coenobii Comes *Liutoldus*, qui iuxta vitae terminum factus eſt hic Monachus, quem *Cuno Comes de Buhile ſiue de Botingen : Luitfridus filius Bertolfi de Sparewareſegge*, quem *isdem Pater* poſtea ſecutus eſt eodem tramite. Deinde *Vdalricus filius Manegoldi de Sunemetingen* & *Adelbertus de Hattingen &c. . .*

Non ſolum autem Virorum nobilium : ſed & feminarum aequa ingenuitatis almitate decoratarum praeſens Coenobium eſt redimitum. inter quas tanquam ceteris clariora micabant ſydera ſecundum ſeculi quidem dignitatem nobiles, ſed iuxta diuinam religionem multo nobiliores ac fulgentiores *Adelhait Comitiſſa* ſcilicet *uxor Vdalrici Comitis de Gamertingen, filia vero Hartmanni Comitis de Dilingen* : cui hoc ad cumulum acceſſit claritatis, quod erat *germana ſoror Vdalrici ſanctiſſimi Conſtantienſis Antiſtitis.* quam e veſtigio ſecuta eſt *ſoror ipſius Hadewic* nomine : quae prius apud *Neresheim* in Nonnarum ſeu Monialium vixit converſatione : ſed amore *ſororis*, imo deſiderio vitae arctioris in hoc humili ſe recluſit ergaſtulo . . . Has non modo greſſibus corporeis, verum etiam via virtutis & aliae plures aequali proſapia vel minori exortae ſunt ſecutae.

cutae. e quibus fuerunt *Adelhait & Bertha Vdalrici Comitis de Gamertingen* praefatae *Adelhaidis Comitiſſae filii*, ac *Judinthae filiae Bertolfi Ducis de Zaeringen natae. Gerdruth Boleslai Ducis Boloniorum & Salomae filia. Luiggart de Gemingen* : *Hiltrut de Rordorff*, & aequiuoca eius filia filiae ipſius de *Hirzſpile. Adelhait* item *filia Adelberti de Hatingen*. . . Sed nec hoc ſilendum arbitramur, quod quidam tam viri quam feminae ſeculari dignitate ſponte depoſita hic magis ſubeſſe quam alibi praeeſſe delegerunt. de quorum numeroſitate quaedam extitit *Alberat* nomine, *Comitis Eginonis filia, ſed Gebehardi Strazburgenſis Pontificis germana*, quae quondam fuit apud *Lyndaugiam Abbatiſſa* . . . . Hanc *Vdelhilt Comitiſſa de Zolre, ipſius Abbatiſſae germana* in quantum potuit imitari ſtuduit &c.

CAPUT XXI.

Quod multi Principum & Nobilium tubam extremam hic pauſando praeelegerint exſpectare.

Non nulli vero Principum & aliorum Nobilium vtriusque ſexus tubam nouiſſimam praeelegerunt hic pauſando exſpectare. De quibus *absque loci Fundatoribus* primus extitit *Comes Vdalricus*, qui apud *Gamertingen* in Eccleſia ſuae ditionis erat proprio ſepulchro tumulatus : ſed per uxorem ſuam *Adelhaidam* ſuperius memoratam poſtmodum huc translatus. deinde *Comes Heinricus de Berge cum filio ſuo* eiusdem nominis & dignitatis *ad ſuccurrendum in hora mortis Monachi* per Dominum Vdalricum Abbatem apud nos effecti cum omnibus oſſibus Parentum ſuorum, id eſt *Bobbonis Comitis* & *Sophiae ipſius uxoris*, & paruuli *filii Diepoldi* ſunt huc transducti, & in capitulo noſtro cuncti pariter in vno monumento poſiti. poſt quos *Manegoldus de Sunemutingen* cum *Mathilda* ſua vxore meruit in eodem capitulo quieſcere . . . . hiſce quae vel *ipſi vidimus*, vel aliorum relatione cognouimus, notitiae cunctorum pandere curauimus *Anno Milleſimo centeſimo triceſimo quinto* dominicae Incarnationis : *quadrageſimo ſeptimo* Coenobii inchoationis : & *quadrageſimo*

geſimo praefati *Vdalrici* Patris noſtri ordinationis ea *quae ſequuntur* ſcribere coepimus. (*)

Milleſimo centeſimo nono dominice Incarnationis anno, Indictione ſecunda V. Idus Septembris, feria quinta dedicatum eſt hoc templum *S. Marie* a venerabili viro *Gebehardo* III.o huius nominis Conſtantienſis Eccleſie pontifice, & apoſtolice ſedis legato, in nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. & in honore ſancte & victorioſiſſime Crucis. precipue autem in honore ſancte ac perpetue virginis Dei genitricis Marie. He ſunt autem reliquie ſanctorum, que continentur in *dominico Altari.* de capillis nec non de veſtimentis ac de Sepulchro Dei genitricis ac perpetue virginis Marie. Reliquie ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli. Andree. Jacobi. Matei, Symonis & Mathie. de veſtimentis S. Johannis Evang. Stephani protomart. Clementis pape. Cornelii pp. Sixti pp. Stephani pp. Vrbani pp. Blaſii, Apollinaris, Lamberti, Chiliani epiſcoporum & mart. Laurentii, Cyriaci, Vincentii, Mauritii, Exuperii Victoris & Vrſi, Georgii, Pelagii, Sebaſtiani, Gereonis, Romani, Viti, Pancratii, Gangolfi, Quirini, Ypoliti, Valentini, Nazarii, Naboris, Chriſtofori, Geneſii, Alexandri, Marci & Marcelliani, Felicis & Adaucti, Genuini Mart. Silueſtri pp. Gregorii pp. Hilarii, Nicholai, Remigii, Germani, Aurelii, Max mini, Martini, Arbogaſti, Saluii, Eucherii epiſc. & confeſſorum. Benedicti, Galli, Othmari, Octauiani, Juſti, Maximiliani & Zenonis confeſſorum. Barbare, Verene, Walpurge, Evgenie, Eufemie, Eulalie virg. Vndecim milium reliquie col'. Felicitatis, Anaſtaſie Mart.

Altare

*) Hic finit Apographum meum: at Autographon ſequentes minio ſcriptos verſiculos addit:

Explicit hic primus liber: incipit inde ſecundus,
I. Principium libri Sanctos decet eſſe ſecundi.
II. Exin theſauri ſequitur narratio Templi.
III. Poſthec noſtrorum conſcribitur ordo librorum.
IIII. Predia que dantur poſt hoc ſine fine locantur.
V. De reliquis donis eſt ultima mentio nobis.

Relicto in hac pagina ſpatio in aduerſa eadem manus ſic proſequitur:

Altare ad ſanctam Crucem conſecratum eſt eodem die dedicationis templi, in honore eiusdem S. Crucis. continentur autem in eo reliquie Sanctorum. De ligno Domini. de Columna in qua flagellatus eſt Dominus. de ſpinea Corona. de ſpongia domini. Johannis bapt. Andree, Jacobi, Mathie apoſt. Marci evang. Stephani protomart. Marcelli pp. Georgii, Pancratii, Pelagii, Sebaſtiani, Cyriaci, Vincentii, Exuperii, Chriſanti Mart. Gregorii pp. Martini, Nicholai, Ambroſii, Arbogaſti Epiſc. & Conf. Petronelle, Praxedis, Gertrudis, Anaſtaſie. de corporibus ſociarum ſancte Afre.

Altare medium, quod eſt proxime poſitum retro principale Altare, conſecratum eſt *Milleſimo C.o III.o* dominice incarnationis anno a ſupradicto epiſcopo IIII.o Non. Julii, in honore S. Benedicti omniumque Monachorum & heremitarum. continentur vero in eo reliquie ſanctorum. de ligno domini, de ſepulchro domini, de velo S. Marie, de virga Aaron. Georgii m. Columbani, Galli, Othmari confeſſorum.

In Altari proxime huic dextrorſum poſito, quod poſt ipſum diem dedicationis templi craſtina die conſecratum eſt in honore S. Petri omniumque Apoſt. continentur reliquie ſanctorum Petri, Andree, Jacobi Apoſt. Marci evang. Reliquie ſanctorum Innocentum. Dioniſii ep. ſociorumque eius. Pancratii, Mauricii, Pantaleonis, Laurentii, Sebaſt: Adriani, Coſme & Damiani, Romani, Secundiani, Juſtini MM.

Item Altare, quod eſt ſiniſtrorſum poſitam proxime iuxta medium, conſecratum eſt ſecundo die poſt ipſum diem dedicationis templi, in honore S. Georgii omniumque mart. continentur autem in eo reliquie ſanctorum Georgii m. Sixti pp. Alexandri pp. Bonifacii Archiep. Vincentii, Pancratii, Pantaleonis, Mauricii, Abdon & Sennes. Sigismundi regis & mart. Gregorii pp. Valerii ep. Benedicti & Bertini Abbatum. Eutropie & Eunomie mart.

Eodem die conſecratum eſt extremum Altare in ſiniſtra parte, in honore ſancte Juſtine virg. omniumque ſanctarum virg. & viduarum. continentur autem in eo reliquie ſanctorum: Juſtine virg. & mart. Heraſmi

raſmi ep. & m. Mauricii, Pancratii, Antonini mart. Siluini ep. Barbare, Fortunate, Juliane V. Marie Magd. Margarethe, Tecle, Leoswinde, Seuere Virg. de reliquiis vndec. mil. Virg. de corporibus ſocia- Afre.

tare extremum, quod eſt in dextro latere poſitum, conſecratum eſt die eodemque anno, quo & Altare S. Benedicti, in honore S. ep. & conf. OOq. CC. & EE. continentur autem in eo reliquie um: de preſepio dom. Steph. protom. Adalberti E. & M. Martini, ii, Aurelii, Remigii, Ambros. Brictii, Herhardi, Herinfridi CC.

De Capella Domni Abbatis.

Milleſimo C.o *XX.o* dominice Incarnationis anno, indict. XIII.a XIIII. t. dedicata eſt capella Domni Abbatis a venerabili viro *Oudal*uſtant. eccles. pontifice, in nomine ſancte & indiuidue Trinit. & ore S. & victorioſiſſime Crucis, ac S. D. G. M. precipue autem in Michahelis Archang. & S. Nicholai ep. ſanctique Bened. Abb. he reliquie ſanctorum, que continentur in Altari: Andree Ap. Steph. otom. Cornelii pp. Blaſii ep. Laurentii, Vincent. Georg. Ypoliti, Viti MM. Gregorii pp. Martini, Nicholai, Oudalrici ep. & conf. Benedicti Abb.

De eccleſia Infirmorum.

Milleſimo C.o *XXI.o* dominice Incarnationis anno, indict. XV. Non. Oct. dedicata eſt eccleſia infirmorum a venerabili viro *Oudalrico* conſtant. eccleſie preſule in nomine S. & indiuid. Trinit. & in hon. S. ac vict. Crucis, precipue autem in honore S. D. G. M. perpetue Virg. & S. Joh. Ap. & Evang. He ſunt reliquie ſanctorum, que continentur in principali Altari: De Cruce domini. de capillis S. D. G. M. Andree, Joh. euang. Jacobi, Mathei Ap. Marci euang. Alexandri pp. & m. Sixti pp. & m. Apollinaris, Vincentii, Mauricii, Georgii, Viti, Gorgonii, Sebaſt. Xpofori, Pantaleonis, Oswaldi regis, Gangolfi MM. Gregorii pp. Martini, Nicolai, Ambroſii, Aurelii, Remigii ep. & confeſſ. Benedicti, Galli,

Othmari confeſſ. Agathe, Lucie, Eugenie, Verene, Walpurge Virg. Anaſtaſie, Afre, Eunomie MM.

S. Bartholomei.

Eodem die eodemque anno conſecratum eſt Altare, quod eſt in ſeptentrionali plaga eiusdem eccleſie a prefato epiſcopo in honore S. Bartholomei Ap. & he ſunt reliquie ſanctorum que continentur in eo. Bartholomei Ap. Lamperti ep. & Mart. Martini ep. & conf. Florini conf. Agathe V. & M.

Altare S. Gregorii.

Eodem die, eodem anno conſecratum eſt Alt. quod eſt in merid. plaga eiusdem eccleſie ab eodem ep'o, in honore S. Gregorii pp. he vero ſunt reliquie, que continentur in eo: Gregorii pp. Laurentii M. Gereonis M. Brictii ep. Cecilie Virg. & M.

De eccleſia S. Nicholai Epiſcopi.

Milleſimo C.o XXX.o III.o domin. incarn. anno indict. XI. III. Idus Sept. dedicata eſt eccleſia que reſpicit ad aquilonem a venerabili *Vdalrico* Conſtantienſi Preſule II.o in nomine S. & indiu. Trinit. & in hon. S. ac vict. Crucis & ſanctiſſime D. G. M. p. V. precipue autem in honore S. Nicholai ep. & conf. ac S. Marie Magdalene. He vero ſunt reliquie ſanctorum, quec. i. a. Jacobi ap. Clementis p. & m. Cornelii p. & m. Steph. protom. Vincentii m. Sebaſtiani, Tyburtii, Bonifacii, Chriſogoni, Mauricii, Albani, Meginradi, Pancratii, Seneſii Mm. Martini, Brictii ep. & conf. Magni conf. Agne, Agathe, Vrſule, Eutropie VV. ac Mm. Walpurgis Virg.

Milleſimo centeſimo XL.mo. I.o dominice Incarn. anno, Indict. IIII.a VIII. Idus Jan. dedicata eſt eccleſia orientalis, vbi Moniales excubant, a venerabili *Tietwino* romane eccleſie Cardinali epiſcopo tituli S. Rufine, & Apoſtolice ſedis Legato, nec non a venerando epiſcopo Conſtantienſis eccleſie *Herimanno*, in nomine S. & ind. T. & in h. S. ac v. ✝. & S. D. G. M. p. V. & OO. SS. Hos autem principaliter & nominatim idem templum

no-

noſcitur habere patronos : ſanctam videlicet D. G. M. ac S. Joh. bapt. Iſte vero SS. reliquie continentur in Altari eiusdem eccleſie. De Cruce Domini, de veſtimento S. D. G. M. Rel. S. Joh. bapt. S. Petri, S. Andree, S. Mathei, S. Thome Apoſt. S. Steph. protom. S. Cornelii pp. & m. S. Blaſii, S. Lamperti. de veſtimentis S. Adelberti. Donati ep. & m. S. Georgii, S. Sebaſt. de capillis S. Sigismundi regis, Pancratii, S. Geneſii Mm. S. Silueſtri pp. S. Celeſtis ep. S. Egidii, S. Luciniani C. S. M. Magd. S. Afre, S. Felicitatis M. S. Vrſule Regine, S. Cecilie, S. Romane Virg. & Mm.

Eodem anno . . . dedicata eſt etiam Eccleſia apud *Hulfſtetin*, videlicet craſtina die a ſuperius dicto *Herimanno* epiſcopo VII. Idus Jan. in nomine S. Trinit. S. Crucis, & p. V. D. G. M. & OO. SS. precipue autem in honore S. Nycolai e. & c. iſte vero reliquie continentur in Ara. S. Nycolai . . . Gotehardi &c. &c.

Quantis ſanctarum reliquiarum patrociniis locus iſte defenſetur ac nobilitetur : ſeu quantum per eadem ſacroſancta pignera contra cunctos incurſus aëriarum poteſtatum muniatur, ſcripturus, primum eas reliquias, que in aliquo fabrili opere condite ſunt, dicere ſum aggreſſus. denique ceteras, quas vel in marſuppiis vel in Capſulis talibus ſunt, que ſicuti facile clauduntur, ita etiam eadem facilitate aperiuntur, ſcribere mihi quidem non pigrum : ſed ubinam ſint, aut in quibus locis reperiantur, dicere nimis eſt ambiguum. Studeat igitur quisquis huic Cenobio fuerit prelatus, vt ea, que multo labore, multa induſtria ſunt hic a fidelibus collecta, magis nouerit augere, quam ullo modo minuere. ſciens ob hoc ſe prepoſitum fore, non ut congregata diſpergat, ſed vt diſperſa congreget, augeat & conſeruet. videat, ne de rebus ſanctis aliquo modo temeratis, ſorditatis, diminutis, ſiue direptis incurrat ſacrilegium, aut vinciatur vinculo anathematis, quod continet loci priuilegium. Hoc autem cunctos ſiue prelatos ſeu ſubiectos germanitus moneo, ne ſint veloces & precipites vt diſpergant ſancta ſanctorum : ſcilicet diſtribuendo reliquias eorum & reliqua ſibi deuote a ſuis deuotius collata. Caueant omnes Deo dilecti, vt ſi quoquam neceſſitas poſtulauerit, ſacroſanctas re-

liquias dari, illuc dentur, vbi eis a fidelibus digne ſemper & laudabiliter ſeruiatur. Memorentur preterea ne vmquam tribuant cuiquam *totum*, quod in qualibet minutiſſima licet ligatura fuerit colligatum, tametſi multociens alibi contigerit *eadem nomina* reperiri. nam quia fragilitas humana ſcire nequit occulta, poteſt formidari, ne *vera* tradantur aliis, *apocrifa* remaneant nobismetipſis.

Si vero fieri valet, ita cuncte recludantur, *vt ante diem Judicii nunquam ab aliquo aperiantur.* Ante omnia ſane cuncti ſunt pariter admonendi, quo ſic ſtudeant laudare Dominum in Sanctis eius, quatenus mereantur per hanc vitam eorum interuentu perpetim habitare cum illis. Amen.

Preter illas quas in altaribus memorauimus incluſas, iſte continentur hoc loco reliquie.

In cruce ſancta quam domnus *Bertolfus* iunior *de Sparwariſegge* Iheroſolimis attulit, auro & gemmis mirifice decorata, iſte adorari ſolent, vbicumque ante nos portantur, reliquie. In ſuperiore crucicula & in media continetur de ligno Dominice Crucis. in ſummitate de petra, ex qua Dominus celos aſcendit. in dextro eiusdem Crucis cornu de ſepulchro Domini: in ſiniſtro de loco Caluarie. in inferiori parte de preſepio Domini. hec in ipſa lignea crucicula continentur, que de iheroſolimis eſt allata. In capſa vero eiusdem S. Crucis fabrili opere facta conduntur iſte reliquie: in ſuperiore parte reliquie S. Joh'is bapt. in dextro latere S. Andree Apoſtoli, in ſiniſtro S. Marci euang. in inferiori parte reliq. S. Jacobi Apoſtoli.

In Cruce auro, argento & gemmis decentiſſime ornata, que portari ſolet in longo aſtili, continentur iſte reliquie. in ſummitate habetur de veſtimento S. Marie. in medio de ligno S. *Crucis*. in parte inferiori reliquie S. Ap'lorum Andree & Bartholomei. dextrorſum continetur dens S. Johannis baptiſte & dens S. Philippi Ap. ſiniſtrorſum reliq. SS. Apoſt. Petri & Pauli. iſte reliquie retrorſum legi poſſunt per lapidem criſtallinum. hanc autem ligni partem precioſam, quam prefati ſumus in hac Cruce recon-

reconditam, *Otto* monachus noſter de Stvzzelingen a iheroſolimis cum nonnullis aliis ſanctorum reliquiis attulit, quas a beate memorie *Warmundo* patriarcha dono accipere meruit. isdem Ottodedit ad idem opus auri puriſſimi vncias octo: reliquum auri cum gemmis donauit quedam ſoror noſtra nomine *Sophia*, Hartmanni *comitis de dilingin* pediſſequa. nam prioris Crucis expenſas a quadam *Salome* nomine *de Tetingin* audiui nobis eſſe impenſas.

In Cruce auro & argento ac criſtallinis ornata lapidibus, iſte reliquie ſunt collocate. in medio imaginis eas reliquias collocauimus, quas precioſiores eſtimauimus, id eſt de Cruce Domini, de veſtimentis S. Marie, de preſepio Domini. S. Joh. bapt. S. Petri ap. S. Pauli ap. S. Barth. ap. S. Steph. protom. &c. huius Crucis impendia videlicet in auro vel argento dedit quedam *Bilibilt* nomine Ducis Boloniorum cubicularia.

In Cruce deaurata argento & lapidibus decorata, quam contulit nobis domnus *Marwardus* presb. *de Nazzegoſtetin* continentur ſanctorum reliquie &c.

In crucicula aurea cum catenula aurea, quam tradidit nobis pie memorie *Meginhardus* boemicus ep'us iſte reliquie ſunt ab eodem incluſe &c. iſta Crux *absque reliquiis* poſtea vendita eſt pro quadam neceſſitate.

In crucicula deaurata . . cum catenula argentea deaurata continentur he reliquie.... Gothehardi ep. & conf... iſte reliquie per criſtallos leguntur. hanc Crucem quidam monachus noſter *Counradus* nomine cum ſorore ſua *Gotelinda* nobis tradidit.

In crucicula argentea, quam domnus *Folmarus Hirſaugienſis Abbas* dedit domne *Oudilhilde comitiſſe de Zolre*: & illa ſorori ſue *Alberade*, quondam Abbatiſſe (*Lindaugiae*) noſtre autem nunc monache donauit, iſte habentur reliquie &c.

In crucicula cum imagine argentea deaurata, ac ſuper ſimilitudinem rote lapidibus & auro decorate poſita, iſte ſunt reliquie: S. Barthol. ap. S. Caliſti P. & m. hec poſita eſt in capella domni Abbatis.

In crucicula parua , *que ſolet ad infirmos portari* , iſtas recluſimus reliquias : S. Marie , S. Bartholomei ap. S. Laurentii m. S. Sebaſtiani m.

In crucicula minori *infirmorum* iſte ſunt reliquie : Vincentii & Sebaſt. mm. de capillis S. Sigismundi regis & m. harum crucicularum alteram *Eberhardus* ſenior monachus *de Steine :* alteram *Wernherus* ſenior noſter *de Herebrechtingin* dedit.

In crucicula oſſea auro circumdata continetur *de Sanguine Domini.* hanc dedit *Gouta de Inaringin...*

In crucicula oſſea cum catenula reliquie S. Barthol. ap. Hanc dedit *Heinricus* mon. noſter *de Augia.*

Iſte reliquie in criſtallina acerra ſunt recondite : de Cruce Domini &c.

Iſte reliquie in criſtallo altero ſunt incluſe , *quem domnus Abbas propter infirmos ſolet ſecum in itinere ferre* &c. &c.

In brachio ad ſimilitudinem *dextere benedicentis* auro & gemmis facto continebantur quando iſta ſcripſimus reliquie iſte : brachium ſancti Dyonifii ep. & m. Auunculi S. Afre m. de brachio S. Epiphanii ep. & C. Reliquie S. Alexandri pape & mart. Euentii & Theodoli mm. Pelagii m.

In fibula aurea reliquie S. Vincentii Leuite & m. hanc dedit quedam matrona nomine *Salome de Tetingin.*

Hactenus deſcripſimus eas ſanctorum reliquias , qui in aliquo recondite fuerant metallo. dehinc aggredimur eas dicere , que necdum erant recluſe. ſed quia ſcire nequimus , utrum poſtea in aliquo recludantur metallo , libuit cunctis referre , quantas , qualesque nunc ubique ſiue in marſuppiis ſeu aliis ſeruatas loculis habeamus reliquias. que ſi poſthec includantur , nomen & genus metalli conſcribatur : deinde nominibus ſanctorum ſcriptis , priora nomina minii linea ſubtus tecta , deleta vel potius recluſa deſignentur.

Bra-

Brachium S. Juſtine V. & M. quod ab initio fundationis hic repertum eſt a Monachis. (*)

*) Hic inſperato definit ſcriptor. equidem ſubnectitur hiſtoria *Manus S. Stephani.* ſed quoniam hanc iam habes apud P. Sulger & notis quidem illuſtratam, opus non eſt eam rurſus exſcribere. Vtrum Ortlieb morte praeuentus reliquos quos promiſerat Libellos abſoluere non potuerit: aut an deperditi ſint? me latet.

Saltem *Catalogum Librorum* tunc Zwifuldae exſtantium vtinam nobis, vt propoſuerat, deſcripſiſſet! a ſexcentis & amplius annis aliquos fuiſſe deperditos pronum eſt coniicere; interim locuples etiamnum eſt Bibliotheca celeberrimi Aſceterii codicibus manuſcriptis. quorum ſi aliquando Catalogum conficient, cumque eruditis communicabunt Confratres mihi maxime colendi, non mediocrem facient ad gloriae ſuae acceſſionem.

X.

LIBELLUS BERTHOLDI ABBATIS

Zwifuld. de conſtructione huius Monaſterii. (*)

* *Fere eodem tempore alius Zwifuldae ſcriptus eſt libellus* de Conſtructione Zwivildenſis Monaſterii. *de quo maxime reuerendus ac inſigniter doctus* P. Bernardus Neher *loci archiuarius ad me ſequentia perſcripſit* : " *Auctor libelli de conſtructione Monaſterii* Bertholdus *eſt quartus* " *noſter Abbas. qui nobilis Ephebus educatus a primis Patribus huius lo-* " *ci adhuc puer Fundatorem noſtrum* Luitholdum *vidit ac nouit.* Au- " tographon *illius libelli* Martinus Cruſius *ad ſcribendos Sueuicos Anna-* " *les ſuos commodatum accepit, ad hunc diem nunquam nobis reſtitutum,* " *ſolumque nobis eiusdem Apographum adhuc ſuperat.* "

Ex eo excerpta quaedam ad Guelficas res ſpectantia mecum communicauit; nam apographum noſtrum Weingartenſe anno 1593. ſcriptum integrum non eſt. illa inferius afferam : hoc omiſſis omittendis ſic habet :

Incipit libellus de Conſtructione Zwifildenſis Monaſterii.

Anno Incarnationis Domini MLXXXVIIII. *Vrbano* Papa II. romanae arci praeſidente, *Heinrico IIII.* Imperatore regnante, *Lutholdus & Cuno* comites duo germani fratres *Rudolfo Patre* de caſtello *Achalmen* dicto, *Adelhaide Matre* de caſtello *Wulfflingen* nuncupato progeniti, vnctione ſancti ſpiritus edocti coeperunt in praedio ſuo *Zwifaltaha* appellato Monaſterium conſtruere, & Monachos maximae diſcretionis de *Hirſaugienſi* ſcilicet Cœnobio, qui eo tempore ſub *Willihelmo* Abbate in regulari diſciplina ſecundum *Cluniacenſes*, omnes videbantur praeire, adſcitos illic inſtituere. Praefatus etiam Willehelmus per ſe adueniens...

ac

ac propriis manibus, quia in tali negotio peritiſſimus erat, coepit Monaſterium metiri, & caeteras officinas, vt hodie cernuntur, in nomine Domini pulchre prudenterque diſponere.

Haec ſunt autem praedia, quae omnipotenti Deo ſanctaeque eius genitrici Mariae & perpetuae Virgini ab ipſis ſunt oblata, & ſub multis teſtibus ad alendos & ſuſtentandos Monachos pro Chriſti amore hunc locum inhabitantes collata, ac poſtea ſecus *Rotenacker* coram *Welfone Duce* caeterisque regni principibus ad colloquium ibidem congregatis ſolenniter iterata & perpetualiter confirmata .... haec *fratri eòrum Wernhero Argentinenſi epiſcopo*, qui nuper heu in ſcismate de quo poſtea dicturi ſumus, perierat, ſorte obuenerant. cuius ipſi haeredes vniuerſa quae eis reliquerat, integra & intacta primam hoſtiam velut acceptabile ſacrificium veſpertinum Reginae coeli immolabant... In pago etiam *Duregowe* appellato, vbi ipſe (*Cuno*) magnis diuitiis *ex materna haereditate* claruit, in villa *Buoch* vocitata XX. manſus cum eccleſia parochiali tradidit. item ad *Detinckhoſen* XII. manſus & quarta pars eccleſiae a praefato *Cunone* traduntur: & quarta pars copioſae piſcationis in fluuio qui *Lindimacus* appellatur. (*poſt multa*) *Luitoldus* dedit & vnum molendinum apud *Rutilingen*, quod ... cum quodam *Rudolfo a Phullingen* commutauimus... In territorio curienſi in villa quae vocatur *Lupinis* quartam partem eccleſiae, vnam ſalicam terram cum quatuor vineis... quatuor etiam vinitores cum beneficiis propriis ad excolendam vineam deputatis. tertiam quoque partem ex naulo perenni fluminis *per Rheni* nauigationem ibidem inſtituto. decimas ſecundum morem illius regionis ex tribus hubis in eadem villa conſtitutis, a *parentibus eius* ad Monaſterium *S. Galli* traditis. In proxima villa, quae *Flaſconis* dicitur duas vineas & in montanis prope poſitis alpes amplas. Ex alpibus iſtis vel ſalicae terrae agris, ex decimis, vel vtriusque familiae tributis, ex diuerſis caſis vel areis, ex nonnullis mancipiorum ſeruitiis *procurator* villae dabit omnia vaſcula ad vinum neceſſaria ſingulis annis cum trecentis caſeis ſuum pretium habentibus. & haec omnia cum ſibi ſubiectis ad villam *Fozzaha*, (†) id eſt ad *brigantinum* vel *potamicum lacum* deportat in plauſtris,

†) *Fuſſach.*

Praepoſito ſuisque comitibus ab ipſo ſubminiſtratis. hic ipſe dedit quoddam praedium a *fratre ſuo Eginone* ſibi in *Alſatia* inter caetera relictum *Ebirisheim* vocitatum in confinio *Raboldisſtain* ſitum, quod a raptoribus diu ablatum, ſed auxilio Comitis *Werinheri a Groeningen* per *Heinricum Imperatorem* reſtitutum paucis interiectis diebus eidem Imperatori acceptis 60. libris argenti eſt datum &c. . .

Sexto (*) autem fundationis huius Coenobii anno, *Cuono comes apud Wulffelingen, caſtrum ſuum* XVII. Kal. Nouembr. vitam finiuit a *fratre Luitoldo* huc aduectus cum *Patre Rudolfo* & fratribus ſuis *Humfrido* & *Beringero* tumulatus quieſcit. Iſte magnarum diuitiarum potentia clarus, inter fratres ſuos fuit ditiſſimus. inter caeteros huius regionis principes nimis glorioſus . . . aliis fratribus ſuis retro poſt ſathanam euntibus . . quoniam poſſeſſiones ſuas, quas *ultra citraue Rhenum fluuium* ſub ditione videlicet inimicorum habuerunt, plusquam animas dilexerunt. hic & frater eius Luitoldus a Deo inſpirati, quia *vrbes ad repugnandum munitiſſimas* habuerunt, in fidelitate S. Petri usque in finem cum Apoſtolico perſeuerarunt.

Praefatus Cono *Gebehardum* quondam *Ratisponenſem Epiſcopum*, cuius mentio in quibusdam *chronicis* (**) agitur, regno rebellantem captum ab *Heinrico tertio* Imperatore *ſibi commiſſum* apud *Wulfilingen* aliquamdiu in cuſtodia habuit; quem & poſtea Regi reconciliatum honorifice ad propria remiſit.

Hactenus de *Conone* agebatur, nunc ſtylus ad *Luitoldum* conuertatur. iſte dilectus Deo & hominibus *nullum militem huic coenobio tradidit*, nec ab alio aliquo talem ſuſcipi ſalubri conſilio praemonuit: immo ne id fieret omnino in perpetuum interdixit. dixit etenim: *milites maximam occaſionem deſtructionis monaſteriorum & quietis monachorum perturbationis fore. maximam penuriae, & paupertatis cauſſam milites eſſe. Monachi*

*) *Quarto.* nam teſte *Ortliebo* & vtroque *Chron. Zwif.* obiit anno 1092. anno vero 1089. condi coeptum eſt Monaſterium hoc.

**) Herm. contract. ad ann. 1055.

nachi inquit, qui milites habent ſemper quiete & pace carent. nunquam ſine ira, rixis & diſceptatione manent. inſuper res monaſterii inter ſe diuidunt, alia rixando, bellando, igne ferroque conſumunt. & quomodo inermes Monachi & imbelles his poſſunt reſiſtere, quibus proprii Domini vel ipſi etiam tyranni vix & vix queunt imperare?

Hic de quo loquimur Luitoldus vere beatus omni vita ſua etiam in ſeculari habitu valde fuit religioſus, *nec vxorem vel concubinam habens* omnino permanſit caſtus ... nullus furem vel latronem captum de manibus eius incolumem liberare potuit. Nulli vim intulit, ſed ſuis rebus contentus fuit: nulli aliquid rapuit, excepto *Regi Heinrico*, cui *Nurttingen* oppidum aliaque in ſuis finibus praeoccupando rapuit, & forti praeſidio quamdiu gladio accinctus fuit, eo inuito tenuit. quod etiam non rapinam arbitratus eſt eſſe, vt ipſe dixit; quoniam idem Rex eoquod ei communicare noluit, villas *Bachilingen*, *Noxingen* atque omnia, quae in *orientali Francia* in beneficio ab Epiſcopatu *Würzeburc* habebat plusquam mille manſus, ei abstulit...

Igitur poſtquam omnis haereditas ad ipſum ſolum peruenit, omnibus ſuperius memoratis rite peractis Deo ſanctoque Petro Romae iſtud coenobium ſub annuali cenſu vnius aurei obtulit. Item amicis, conſanguineisque ſuis *beneficia ſua*, vrbes & praedia large diſtribuit, reliqua vendidit, & egenis dapſili manu distribuit ipſeque iam ſenex prouectaeque ætatis *Arma depoſuit*, & iuxta vltimam aetatem debilis factus pedibus, humile habitaculum ſibi prope Monaſterium, vbi maneret, inſtituit, in quo per continuos ſex annos cum omni iocunditate & laetitia nobiscum manſit.

Decimo autem fundationis huius Coenobii anno febre pulſatus, infirmitate ingraueſcente magna deuotione multisque lacrymis Monachus effectus XV. Kal. Septemb. in pace quieuit, atque in fratris ſui *Cunonis* & patris *Rudolfi* ſepulcro tumulatus vltimam tubam exſpectabit.

Horum mater Adelhait cum fratre ſuo Hunfrido Rauenatenſi Epiſcopo praepoſituram *Embirrach* & villam *Habsbach* argentinenſi Eccleſiae contulit, vbi

& ipſa cum *Eginone Luitoldi comitis patruo* & *filiis ſuis Werinhero eiusdem loci Epiſcopo*, *Eginone*, atque *Rudolfo* in iuuenili aetate in contiguis locis occiſo in Eccleſia *S. Mariae ante altare S. Laurentii* ſepulta quieſcit. Horum nomina vel anniuerſaria libris noſtris inſeruimus. (*) *Werinheri* tantum Epiſcopi & *Eginonis* fratris ſui nomina tantummodo in libris noſtris non notauimus; quoniam cum Rege Heinrico, qui peccauit & peccare fecit Iſrael communicauerunt, & in coniuratione contra Apoſtolicum in finem usque perſeuerauerunt, & in tali heu ſcismate perierunt....

Heinricus namque Imperator viam patrum ſuorum ingreſſus ſaepe admonitus ſed fruſtra, gladio Petri ab eccleſia abſciſſus, anathemate damnatus.. quaſi leo rugiens poſuit in Coelum os ſuum, & quoscunque religioſos Epiſcopos ſe execrantes ſenſit, propriis ſedibus priuatos expulit. ſi quos vero expopulo ſceleratiſſimos ſimoniacosque inuenit, in eorum loco impoſitos Eccleſiae praetulit. Ipſam etiam Romanam vrbem cum Apoſtolo Petro ſibi merito repugnantem obſeſſam armis coepit. *Gregorium* papam VII. a quo ipſe iudicio Epiſcoporum de Eccleſia erat pulſus & excommunicatus honore priuatum, rebus exſpoliatum de ſede Apoſtolica depoſuit, & perpetuo exilio damnauit. inſuper *Wipertum* Rauennae Archiep'um ob ſcelera ſua iam ſeptennio excommunicatum Apoſtolicae ſedi impoſuit, & ab eo ſibi coronam regni imponi praecepit: ſicque male coeptum peius eſt finitum.... alii Epiſcopi, qui videbantur Columnae eſſe, *Gebehardus & Diemo Salzburgenſes*, *Herimannus Metenſis*, *Adilbero Wurziburgenſis*, *Gebehardus Conſtantienſis*, *Harwic Mageileburgenſis*, *Reginhart Mindenſis*, *Heinricus de Baderbrunnon*, *Altman Patauienſis*, *cum* aliis numero XX. Epiſcopis eiecti propriis ſedibus priuantur, multi laici rebus ſuis ſpoliantur, multi ferro truncantur.... Et quoniam nimis induratum erat cor Pharaonis *Sueui* & *Saxones* cum catholicis perſeuerantes eundem quinquies vel ſexies bello confligentes vicerunt. 1. ad *Vnſtrut*. 2. ad *Strowe*. 3. ad *Elſtir*. 4. ad *Hohſtetin*. 5. ad *Wurziburc*. 6. ad *Glizze*. vbi etiam duo iſti fratres, *Cuono* & *Luitholdus* quos nunc in manibus tenemus, multos ex ſuis militibus ferro trucidatos amiſe-

runt

*) Etiamnum Zwifuldae haec Dypticha ſuperſunt.

runt. vbi etiam *Rudolfus Rex*, & poſt hunc *Herimannus* aeque Rex, quos contra Heinricum tyrannum Catholici regno impoſuerunt, ambo, neſcimus quo occulto Dei iudicio in bello occubuerunt. Demum poſt mortem *Gregorii* romani catholici reſumptis viribus *Wipertum* eiiciunt, *Vrbanum* Apoſtolicae ſedi imponunt. . .

Iſti praedicti duo fratres Cuono & Liutoldus & alii nonnulli, quorum Deus tetigerat corda neceſſitatem in voluntatem verterunt, res ſuas Deo vouerunt, Monaſteria conſtruxerunt. Nonnulli ſeipſos cum ſuis omnibus ſeculo renuntiantes viuam hoſtiam Deo obtulerunt.

Hoc denique tempore hac tempeſtate vel perſecutione in *Teutonicorum* Prouincia & maxime in *Sueuia* XX. Coenobia & eo amplius nouimus eſſe conſtructa. nonnulla etiam antiquitus conſtructa, in quibus antiqua S. Benedicti inſtituta multum ab illa nobilitate erant annullata, hac occaſione in melius ſunt reformata.

Denique Apoſtolicus, cum nullum Cardinalem vel Epiſcopum propter rabiem inimicorum, ne forte ab eis viui diſcerperentur, auſus eſſet huc mittere ad catholicos, *Bernhardum Maſſilienſem Abbatem*, *Cluniacenſes*, vel alios, nunc hunc nunc iſtum quoscunque inuenit religioſos, ad eos, miſit Monachos, quorum habitus & inceſſus, quorum angelica vita omnium in ſe conuertit oculos, electisque ex his monaſteriis *Girouagis* & *Sarabaitis* (*) alios ex *cluniacenſibus* inſtructos illuc ſubſtituerunt Monachos. haec mutatio dexterae Excelſi maxime euenit ex induſtria *Willehelmi Abbatis Hirsaugienſis* coenobii, qui vere eximium erat ſydus Coeli.

Praefatus igitur neſandiſſimus Heinricus Imp. ſeruus Domini malus a proprio filio regno pulſus, verum rebellare (**) temptans, captus ſed fuga lapſus ad vltimum apud *Leodium* ut dignus erat, interiit profugus.

*) Regula S. Bened. Cap. I.

**) Verbum hoc frequenter uſurparunt ſcriptores medii aeui; ſed caute ſumendum, pro repugnare, retro bellare &c.

Poſt hunc regnauit filius eius *Heinricus V.* qui fuit noſter adiutor & defenſor in omnibus . . . .

Monaſterium denique a *Luitoldo Comite & Noggero* Abbate incoeptum, ab *Vdalrico* Abbate perfectum *Gebehardus Conſtantienſis* cum *Witone Curienſi* epiſcopo in honore S. Mariae anno Incarnat. D'ni MCVIIII. fundationis vero XXI.o V. Idus Septembris dedicauit, dedicatum *Bernhardus* pictor frater noſter honeſte depinxit, depictum feneſtris pulcherrimis illuminauit, decorauit.

Capella infirmorum item in honore S. Mariae ſanctique Joannis Euangeliſtae conſecrata, ab *Heinrico ab Animarckingen* eſt conſtructa - - . ipſeque in extremis Monachus effectus in coemiterio ante ianuam ipſius Eccleſiae tumulatus quieſcit. Capellam S. Michaëlis Abbas *Vlricus* ſibi conſtruxit: *Bernhardus* depinxit. Capella S. Nicolai ad occaſum in fine Monaſterii adpoſita, ab *Vdilhilde Comitiſſa de Zolro* eſt conſtructa. ad quam etiam calicem, caſulam, ſtolam cum vniuerſis vtenſilibus neceſſariis contulit. Inſuper vnam hubam ad *Steton*, vnam ad *Ingislatt*, vnam ad *Harde*, vnam ad *Striche*, duas ad *Danhaim* eidem eccleſiae dedit. in qua etiam ipſa in vna parte, quae non eſt conſecrata, cum *Matre Cunegunda Comitiſſa de Vraha* iacet ſepulta. *Albirat* etiam ſoror eius *Abbatiſſa de Lindaugia* ibi iacet condita. eadem *Comitiſſa Vdilhild* in maiori Monaſterio (*) duo vela linea depicta ad Altare S. Crucis ſuſpendit: tertium ex ſericis contextum, quod erat *Heinrici Regis*, maius Altare S. Mariae circumdedit.

Quoniam praedia a primis fundatoribus collata breuiter perſtrinximus, ad ea, quae ab aliis ſunt tradita, ſuccincte pergamus.

Heinricus Comes Senior de Monte in articulo mortis Monachis inuiſceratus apud *Oppinthal* (**) dedit VI. manſus. huius filius *Heinricus Comes* ſimiliter in extremis Monachus effectus dedit apud *Anbilkofen VI.* manſus . . . *Rapot* eius alter filius apud *Iſinkofen* dedit vnum molendinum, & duas hubas apud vicum, *Greſſingen* nominatum.

Horum

*) Hoc eſt, Templo, *im. Münſter.*

**) Alias ſicut & hodie *Mockenthal.*

Horum ſcilicet praedictorum *Comitum ſorores* fuerunt *Richinza Ductrix Bohemiae*, *Sophia Ductrix Morauiae*, *Salome Ductrix Boloniae.* iſtae Deo dilectae ſorores cum viris ſuis & amicis magnifica & infinita huic loco contulere beneficia . . . . *Vlatizlaus* igitur qui & *Lauzlan* Dux Bohemiae cum *uxore ſua Richinza filia Heinrici comitis a Monte* XX. pallia ex ſerico facta dedit . . . . *Sophia* Ductrix Morabiae ſoror Richinzae, *uxor Othonis Ducis* dedit vexillum, Dalmaticam, albam &c. Ipſa etiam cum ſorore Richinza refectorium fratrum barbatorum cum dormitorio proprio ſumtu a fundamentis exſtruxit . . .

Bolezlaus Dux Boloniae cappam nigram *albos boves* habentem intextos miſit . . . *Salome uxor eius* ſtolam auream . . . miſit . . . alium etiam mantellum ad caſulam totum auro intextum, aurifrigio circumdatum, inferius lembum rubeum habentem ſecundum morem gentis illius auro inſtellatum, tria dorſalia, vnum ſerico lembo circumdatum, vnum *albis leonibus* plenum, vnum rubeum, *albis foliis* plenum. Denique iſta praefata *Salome* Poloniae Duciſſa ſemel in vno anno ME HUIC LOCO PRAESIDENTE per nuntios noſtros haec ſanctae Dei genitrici transmiſit dona: *Manum S. Stephani protomartyris cum cute, carnibus & vnguibus absque tamen pollice*, & alias reliquias ſanctorum nonaginta . . . . haec omnia ad nos usque per multa terrarum ſpatia ſalua licet vix propter incurſantes latrones & intacta venerunt. nonnulla vero, id eſt, vnum *Pſalterium magnum auro conſcriptum* . . cum aliis rebus, quae adhuc ſilentio ſunt tegenda, remanſerunt . . . .

Item in Bohemia *Meginhardus Pragenſis epiſcopus* poſt alia numeroſa munuſcula Cappam nigram inferius & ſuperius auriphrifio illuminatam a *Conſtantinopolitano Imperatore* ſibi in itinere *hieroſolymitano* donatam tradidit... quae omnia a ſucceſſore eius *Johanne* violenter nobis ablata, ſed per Cardinalem *Dediwinum* (*) romanae Eccleſiae per *Magentinenſem* Archiepiſcopum, immo per *Lotharium* Imperatorem coactus reddere iniuſte ablata poſt multa certamina, poſt multa itinera, utpote in terra aliena, *per me* & *Othonem* noſtrum Monachum ſunt recepta.

Setzti-

*) Al. Theodwinus. videtur hic deeſſe vox *Legatum.*

Setztibrana quaedam mulier slaua ex Bohemia inter alia dona Dorsale magnum ex lana contextum Maiestate & *Caroli* imagine insignitum huc misit Reginae Coelorum.

Cappam crocei coloris illius pretiosi generis, quod vulgo *Samet* appellatur à Teutonicis, *Wizimannus* noster Monachus Abbas Monasterii *Gladrubensis* cum aliis duobus palliis dedit nobis &c. (*)

His temporibus *S. Cuonradus constantiensis Episcopus* virtutibus clarus per *Vdalricum Episcopum* de tumba leuatus, dies natalitius eius *ut more sanctorum* celebraretur a *Calixto Papa* in generali Synodo est canonizatus. Hic nobilissimo Alamannorum sanguine apud *Altorf* est procreatus. Nam *Cuniza* feminarum nobilissima *Welfonis* primi nostri Aduocati mater, *filia* fuit *Welphonis* Carentorum Ducis, qui fuit *Rudolfi* fratris S. Conradi filius. (**)

Heinricus Dux Noricanus *secundus* noster Aduocatus *Welphonis* primi nostri Aduocati filius apud *Haistigawe* omnia pene ligna praecidenda ad construendum Monasterium, claustrum, imo ad omnia huius loci aedificia necessaria - ad vltimum quoniam formido mortis cecidit supra eum, dedit ad *Ruggoziswilare* vnum mansum ad diuerticulum nobis in eandem syluam pergentibus maxime necessarium. *Wolfilit vero vxor eius* dedit pixidem eburneam, mantellum suum rubeum ad Cappam, & vnum pallium similiter ad Cappam, vnam stolam auream postea ad necessitatem quinque libris argenti a nobis venumdatam.

Horum

*) Sequuntur aliae quaedam traditiones factae ab inferioris notae hominibus, quas operae pretium haut duxi huc adscribere, & his finitur apographum meum. Quae vero hic adieci mecum communicauit supralaudatus A. R. P. Bernard. Neher Zwifuld. ex eodem Abb. Berchtoldo a se depromta, ad res meas Guelficas propius faciunt.

**) Tres errores heic una narratione connectuntur: & quidem ab Auctore ipso nostro Anonymo antiquiore aut saltem proxime coëuo. nostrum autem veritati propiora edixisse, ex fide diplomatum, aliorumque scriptorum antiquiorum iam certo constat. errat vero *primo* Zwifaltensis in eo, quod *Cunizam* Welfonis Ducis Carinthiae *filiam* dicit, quum fuerit *soror*. 2.do Quod *Patrem* huius Welfonis vocat *Rudolfum*; quum fuerit Welfo II. filius Rudolfi. & 3.tio denique, quod *hunc* Rudolfum statuit *fratrem* S. Conradi; quum fuerit ex fratre *nepos*.

Horum filius aeque Dux *Heinricus* nomine *tertius noſter Aduocatus electus* negotiis regni, utpote *Gener Lotharii* Imperatoris nimis fuit occupatus, potentia tumidus. Quapropter vt diuites ſolent non ita nos paup'es amare, non ita vt *Patri eius* coepimus familiares eſſe. Inſuper ſecundum illud propheticum: non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael &c. in nullo negotio nobis prodeſſe, in nulla neceſſitate curauit ſubuenire. Adhaec etiam nimis oneroſi, nimis odioſi pro quibusdam cauſſis ei coepimus exiſtere, quas & hic, quoniam occaſio ſe offert, libet adnectere.

Fridericus de Staufe Dux Sueuorum nimis indignans, quod poſt mortem *Heinrici Imperatoris Auunculi ſui* factione *Adalberti* Magontienſis Epiſcopi regnum ab eo ad *Lotharium Saxonicum Ducem* eſſet translatum, totis viribus rebellare diſponens inſurrexit contra eundem *Lotarium*, *Spirenſem* ciuitatem dolo obtinuit, nonnulla caſtella bellando occupauit. *Cunradum fratrem ſuum* Regem conſtituit. Lotharius vero obſeſſam *Spiram* recepit, *Cunradum in Italiam fugauit*, ibi etiam non niſi a paucis receptus in ſua redire coactus: depoſitaque Corona a *Lotario* in gratiam eſt receptus. omnibus itaque pacifice diſpoſitis aſſumpto eodem *Cunrado* Italiam adiit, *Apuliam* ſubegit armis, *Nortmannos*, qui eam a temporibus *Leonis noni* per annos pene octuaginta occupauerant, expulit, victorque regrediens inter *Appenninos* montes vitam finiuit.

Heinricus vero *Dux* inter cunctos principes regni *ditiſſimus* tunc cum regnum inconſulte affectaret, verum propter ſuperbiam a cunctis abominatus, praefatus *Cunradus* a fratre *Friderico* cum paucis denuo in regem eleuatus, paucis interpoſitis diebus ab vniuerſis Imperator eſt proclamatus, ſicque lapis ab omnibus pridem reprobatus & reus capitis adiudicatus ſubito Caput anguli eſt effectus.

Igitur vt a principio repetam, ſicut dicere coeperamus, illis annis, quibus vidimus mala, *Friderico* in diebus quadrageſimae apud nos cum paucis pernoctante *Heinricus Dux* clanculo illum e veſtigio inſecutus armata manu ad necandum inſperate irruit, domum, in qua quieſcebat igne ſuppoſito vel viuum eum concremare tentauit; verum auxilio Mo-

nachorum vix & vix ereptum vbique quaeritando omnia gladiis rimando nonnulla Coenobii aedificia igne consumpsit, Monasterii fores, in quod ipse confugit, quibusdam machinis, altariaque Ecclesiae temeraria manu confregit, euaginatisgladiis per totam Ecclesiam inter Monachos, qui eo tempore *more solito post Primam ad Lytanias prostrati* erant, turba furens discurrit, & tamen illum cuius sanguinem auide sitiuit, nequaquam inuenire potuit.

Denique dum ignem frustra supponere niteretur, *Fridericus* cuius mortem fortuna in aliud tempus differebat, Monasterii turrim conscendens manus eius euasit, quoniam neque gladio prae firmitate loci, nec igne suppositio Monasterium laterculis coopertum cremare potuit. ad vltimum Monachis interitum comminantes taedio victi cum rubore infecto opere ad propria sunt reuersi.

Pro hac temeritate *Innocentius Papa Hainrico Duci* calicem quinque librarum huic loco conferri praecepit, quod ipse neglexit. His itaque odiorum fomitibus mondum penitus consopitis aliisque constricti occasionibus, maxime quod nobis spretis & despectis aliis rebus intentus, nimisque curae rei familiaris fuit occupatus, iusta a nobis ratione & priuilegii nostri Authoritate conuictus, precibus quoque nostris, vt id pacifice ageret superatus, *ab Aduocatia est remotus.*

Paucis interiectis diebus communi fratrum consilio electus est pro eo *Welphardus* (*) frater eius, & *quartus Aduocatus* est substitutus. prius tamen in sanctorum Reliquiis in praesentia totius Congregationis per tres Ministeriales suos Sacramento confirmauit, se nunquam iusta ex caussa a nobis repudiatum septem dies vlterius nobis inuitis hanc dignitatem retinere; item decretum nostri priuilegii, quod ad se pertineret, inviolatum seruare &c.

Eodem tempore *Fridericus Dux* immemor beneficiorum *Oenenburron* vicum nostrum igne ferroque consumpsit, eoquod ferociissima & stultissima eiusdem loci rusticorum turba illum in procinctu belli ad vrbem *Rabinisburg*

*) Id est Welfo videlicet VI.

burg in vltionem aduerſus praedictum *Heinricum Ducem* properantem, & ibidem itineris neceſſitate pernoctantem ex eodem vico cum dedecore fugauit.

Quomodo igne & ferro vbique vaſtabamur.

Poſt haec *ſex annis* nondum plene elapſis, *Heinrico Duce* adhuc indignationem animi diſſimulante *Heinricus miles eius de Animarckingen* Heinrici prioris filius, nomine Aduocati familiae noſtrae dudum noſtro conſenſu praelatus; verum quoniam nimis inſolenter & inconſulte eſt abuſus, ſimul cum Domino ſuo à nobis eſt repudiatus.

Quapropter nimio furore commotus, & *vt fama ferebat*, a Domino ſuo inſtigatus nimia crudelitate in nos, noſtrosque eſt graſſatus. tunc anguſtiae erant vndique, foris pugnae intus timores. Denique igne & ferro circumquaque vaſtabamur, & ne eadem infra ſepta Monaſterii ageret verebamur. etenim prope Monaſterii portam eadem facturus armatus acceſſit, verum a familia Eccleſiae inde turpiter eſt fugatus. demum a cunctis abominatus, ab Epiſcopis de Eccleſiae ſocietate praeciſus & anathematizatus. Dominus etiam eius *Heinricus Dux* a nobis interpellatus, gladium ſuum in vaginam mittere eſt coactus.

Nos vero praeterita gementes, futura timentes omnem coenobii ambitum incaſtellatum muro cinximus..... Anno Incarnationis Domini MCXXXVIII. Conradi Imperatoris primo haec omnia - - - & per me litteris conſignata.

XI.

CHRONICON

Zwifaltenſe.

Monitum.

Duplex eſt chronicon Zwifaltenſe. unum *minus*, aliud *capitulare*; ſic enim vocant, iisdemque nominibus ea inſcripſit *P. Stephanus Bockentaler* vir prorſus induſtrius. primum ſcribi coeptum eſt anno 1138. ut a tergo codicis legere eſt, & continuatum ad usque annum 1221. alterum recentiori ſemper manu perductum eſt usque ad annum 1503. plerumque conveniunt prorſus, nec utrumque transſcribere neceſſum duxi. ſervavi tamen ſcriptorum verba, modo illius, alias alterius. Incipiunt ubi Beda deſiit, ſed fere ad verbum *Hermanni Contracti* exſcripſerunt. ergo ne taedium lectoribus afferam, incipiam a temporibus *Conradi ſalici*, quia alias ſcriptores Zwifuldenſes filum hiſtoricum ab hoc texere ordiuntur. pauca tamen, quae Hermannus Contractus non adnotavit, ex his afferri nemo ibit inficias.

948. *Bertholdus* Dux Bavvarie obiit, cui ſucceſſit *Hainricus* frater *Ottonis* Regis in Ducatum.

953. Heinricus Dux Bavvariorum expulſus a *Liutolfo* Duce Alemannorum, & ab Ottone rege fratre ſuo eſt reſtitutus.

971. Ratispone Ep'us eſt factus *S. Wolfgangus Suevigena de Phullingen* natus.

976. S. CONRADUS Conſtantienſis Ep'us obiit, *Gaminoldus* ſucceſſit. (*)

992. *Theophanu* Imperatrix uxor *Ottonis ſecundi* de Grecia veniens obiit, *Coloniae* ſepulta.

994. S. Wolfgangus obiit.

1001. *Beringer*, *Reginolt*, *Gerhart* tres fratres occiduntur & *Buchaugiae*

*) *Sic chronicon minus. capitulare habet annum* 974.

augiae ſepeliuntur. inde *Adelbertus* Babinbergenſis frater eorum in bello occidit *Conradum* fratrem *Ludevvici* Imperatoris.

1024. *Heinricus* Imperator absque filiis obiit. *Conradus* ſenior *filius Heinrici* (*) ſucceſſit.

1026. *Hainricus* Bavvarie obiit.

1030. *Erneſt* Dux imperatori rebellis occiditur. *Otto* ſucceſſit.

1032. *Rudolfus* Rex Burgundiae ignavus frater *Giſilae* reginae moriens diadema ſuum cum regno & lancea a quodam *Samſone* italico comite acquiſita, quae Conſtantini fertur fuiſſe, miſit *Conrado* Imperatori.

1039. Conradus Imperator apud *Traiectum* ſubito mortuus, *Spirae* ſepultus eſt.

1047. *Otto* Dux Suevorum obiit, *Otto* Comes *de Swinfurt* ſucceſſit. *Hunfridus de Mumpligart* avunculus *Luitoldi* & *Cunonis* Comitum de Achalmen Ravennae Epiſcopus factus eſt. *SANGUIS DOMINI Mantuae inuenitur.*

1052. *Leo nonus* Ratisponae apud *S. Emmeramum S. Dyonisium Ariopagitam ab Arnolfo* Imperatore, ut fama ferebat illuc translatum, quaeſiuit & invenit. *Reliquiae S. Zenonis* confeſſoris a *Walthero* Veronenſe Ep'o in Alemaniam ad villam *Vlmam* ſunt allatae.

1053. A Leone Papa Bellum contra Normannos habetur apud Apuliam.

1054. Leo Papa & Hermannus Contractus obiit.

1056. *Heinricus tertius* Imperator mortuus Spirae ſepultus eſt. cui Heinricus IIII. filius eius ſucceſſit.

1057. *Otto Dux Alemannorum* obiit, cui *Rudolfus* ſucceſſit.

1065. Hoc anno Paſca fuit VI. K. April. in qua die Chriſtus reſurrexit. *Sigefridus* Moguntinenſis, *Guntherus* Babinbergenſis, *Otto* Ratisponenſis, *Willehelmus* Traiectenſis Epiſcopi cum multitudine magna Jeruſalem profecti a Paganis multa perpeſſi ſunt, & bellum cum eis inire coacti cum magno labore ſunt reuerſi. ſed Guntherus eodem itinere obiit.

*) Certe non Imperatoris, quem absque *filiis* decessisse eadem linea scripserat, sed Heinrici *Franconiae* Ducis, filii *Ottonis Ducis Carantanorum* & *Veronensium*. vide Eccardi opusc. I. de stemm. Gibell. litt. n.

1066. *Cunradus de Phullingen* Trevirenſis electus paſſus, apud *Doletum* Abbatiam ſepultus.

1069. *Rumoldus* Ep'us Conſtantienſis obiit.

1070. *Willehelmus* Hyrſaugiae Abbas factus eſt. *Otto* Dux Bavvariae priuatus eſt, WELF ei ſucceſſit.

1072. *Dietricus Comes* qui S. Conradum de Phullingen Treuirenſem Ep'um occidit, poenitens Hieruſalem iuit, & cum multis in mari dimerſus eſt.

1073. *Alexander* Papa obiit. pro quo vener abilis *Hiltebrandus* ſucceſſit. hic Presbyteris connubia interdixit. *Heinricum* Imperatorem pro ſuis criminibus excommunicauit. Heinricus cum Saxonibus apud fluuium *Vnſtrut* bellum geſſit. *Hermannus Marchio Cluniaci monachus factus eſt.*

1074. *Rudolfus Dux Suevorum* rex conſtitutus eſt contra Heinricum apud *Forchaim.*

1077. *Agnes* Regina mater Heinrici Romae obiit, & in Eccleſia S. Petronellae ſepulta.

1078. Heinricus Rex *Sueviam* igne & ferro & praeda vaſtat.

1079. Bellum iuxta fluuium *Strouve* inter Heinricum & Rudolfum VII. Idus Auguſti.

1081. Rudolfus Rex iuxta fluvium *Elſter* cum Heinrico dimicans occubuit. *Hermannus de Luxilinburc* poſt Rudolfum imperauit.

1083. Bellum apud *Hohſtein* III. Idus Auguſti.

1084. *Welph* Dux Noricorum *Auguſtam* obtinuit. Heinricus Rex Romam obſidens obtinuit. Gregorium Papam depoſuit, *Wigbertum* Ravennatenſem ſuperpoſuit.

1086. Bellum apud *Wirzeburc* III. idus Auguſti.

1087. S. Nicolaus *Barae* eſt translatus.

1089. Initium *Zwivildenſis Coenobii.*

Iſtud Coenobium praeſenti tempore coeptum
Creſcat in aeternum, maneat ſine fine beatum.

1090. *Noggerus* Monachus Hirſaugienſis fit Abbas primus huius loci.

1091. *Willehelmus* Abbas Hirsaugienſis ſepelitur.

1092.

1092. *CUNO Comes* moritur,
Hoc Coenobio tumulatur.
1093. Eclypſis ſolis undenis facta Kalendis
Octobris menſis, manſit ferme tribus horis.
1094. Magna hominum mortalitas.
Mors populos ſtrauit ſubita quos peſte necauit.
1095. Abbas *Noggerus* obiit ſine fine beandus.
Domnus *Vdalricus* meruit pater eſſe ſecundus.
1098. LUITOLDUS Comes hic ornato fine quieuit.
Aliud: Leitoldus Comes & Monachus obiit.
1099. Anno milleno, centeno, quo minus vno
Hieruſalem Franci capiunt virtute potenti.
Vrbanus Papa obiit.
1100. *Manegoldus* Abbas S. Georgii (*) a quodam Monacho ſuo in eodem loco, heu miſerabiliter occiditur.
1101. Fundamentum iacitur *Ciſtercienſis* ordinis.
1102. Capella S. Nicolai apud Coloberc dedicata eſt.
1105. *Heinricus IV.* Imperator a filio ſuo aequivoco captus eſt.
1106. *Colonia* obſeſſa eſt. Heinricus IV. Imperator obiit, cui filius ſuus ſucceſſit.
1108. Bellum *Suevorum* apud *Edungeshaim.*
1109. V. Idus Septembris Monaſterium Zwivildenſe dedicatum eſt.
1110. *Gebehardus* Ep'us obiit.
1111. *Paſchalis* Papa a *Heinrico V.* Imperatore captus eſt.
1117. III. Non. Jan. terrae motus factus eſt magnus bis in nocte & die, multique homines oppreſſi ſunt.
1123. TRANSLATIO S. CONRADI Ep'i VI. Kal. Decemb.
1125. Heinricus V. Imperator obiit, cui *Lotharius* ſucceſſit.
1126. Treueris Corpus S. Mathiae ap'li invenitur. multa millia hominum fame perierunt.
1127. *Vdalricus* Ep'us obiit, *Conradus III.* regnum invadit, & ſurgit contra Lotharium Regem.

1128.

*) *Iſnenſis* in Allgoia.

1128. Conradus Rex Italiam fugit.

1129. HEINRICUS *Dux Noricorum Fridericum Ducem* insecutus, Monasterio Zwivildensi confracto, partem Coenobii igne cremauit.

Spira obsessa est.

1130. *Honorius* Papa obiit.

1133. Eclypsis solis III. Non. Aug. facta est circa horam sextam Luna 17.

1134. *Lotarius* Rex *Sueuiam* vastauit. *Vlmam* destruxit.

1137. Lotarius Rex *Apuliam* subiugauit, & reuersus *in Montanis* obiit. cui *Conradus* successit.

1138. Quaedam praedia coenobii Zwivildensis Heinricus miles *Heinrici Ducis* igne vastat.

1139. Domnus *Vdalricus* huius loci secundus Abbas obiit. post hunc *Pilgrinus* VIIII. Ebdomodes praesedit, quibus transactis *Nerneshaim* recepit, & *Bertholdus* successit.

1140. Romae magna Synodus sub *Innocentio.*

1141. *Berchtoldus* loco cessit, huic *Ernest* successit.

1142. His temporibus liber *Scinias* multum catholicus cuidam inclusae, nomine *Hiltegardi* a Deo reuelatus est.

1143. Duo Corpora de XI. milibus virginum à *Berchtoldo* Abbate sunt allata III. Non. Septembr. *Innocentius* PP. moritur, *Coelestinus* substituitur.

1144 Coelestinus Papa obiit. *Salome* Ducissa *Boloniae* obiit.

1145. *Lucius* Papa obiit. Cometa visa est multis vicibus.

1146. *Ernest Abbas* onus suum deposuit, quod *Berchtoldus iterum* assumpsit. Item Cometa visa est.

1147. Regnum gentium in quatuor mundi partibus a Christianis est vastatum. Cunradus Rex cum multis *Hierosolymam* abiit. in hoc itinere *Ernest V.* huius loci Abbas Doctor gentium est factus.

1148. Claruit ad liquidum *Bernardus clarevallis* Abbas primus. Ernest Abbas pro Christo passus est.

1152. *Conradus* Rex obiit. *Fridericus* ei successit. *Berchtoldus* onus suum iterum deposuit, cui *Wern* successit.

1153.

1153. VII. Kal. Febr. Eclypſis ſolis facta eſt circa horam ſextam, manens fere usque ad veſperam.

1156. *Wern* Abbas obiit. *Gotfridus de Hyrſaugia* ſucceſſit.

1158. *Fridericus* Imperator *Mediolanum* obſedit. *Gotfridus* onus ſuum depoſuit, cui *Berchtoldus* iterum ſucceſſit.

1160. Hoc anno ab *Egone* comite *de Vrah* vel *de Furſtenberg* (*) pretioſa cortina auro contexta huic Monaſterio translata eſt.

1164. Congreditur bello *Tuwingin WELPH* cum palatino.

aliud: Congreditur bello Twingin
Welph Dux cum palatino *Hugone.*

1169. *Abbas Berchtoldus* quarto iam denique factus
Conrado ceſſit morbo non morte coactus.

1175. *Alexandria* a *Friderico* Imp'atore obſeſſa eſt.

1179. Concilium Romae famoſum, grande, celebre
Hac fuit aetate, caruit tamen vtilitate.

1182. Vixit *Alexander* poſt concilium tribus annis & moritur. poſt quem *Lucius* ſucceſſit.

1184. Mandato pulſus Papae, *Welphone* rogante,
Abbas *Conradus*, hic Rege redit mediante.

1186. *Lucius* hac luce diſcedens morte vocatus,
Vrbano ſummam dimiſit Pontificatus.

1188. Urbanus morte rerum ſumma ſpoliatur,
Pro quo *Gregorius* in Petri ſede locatur.

1189. Hoſti gentili data ſancti terra ſepulchri
Hic eſt. mundus ob id totus in arma ruit.

1190. VIII. K. (aliud VIIII. K.) Julii facta eſt Eclypſis ſolis circa horam ſextam diei.

Gurgitis exigui *Rex invictus* perit hic vi.
Sceptri ſublimis fata ſtupenda nimis!

1191. Cui *Hainricus* filius eius ſucceſſit.

*) Niſi fallor, hic primum nomen *Furſtenbergiorum* occurrit; quum pridem ſub nomine Comitum de Vrach orbi inclaruiſſent.

1193. Domno Conrado matura morte remoto,
Abbas *Wernherus* ſubleuat eius onus.
1194. *Hainricus* Imperator totam *Apuliam* & *Siciliam* ſibi ſubiugauit.
1196. *Wernherus* Abbas obiit, cui *Hermannus* ſucceſſit.
Maxima tres annos preſſit fames hic *alemannos.*
1198. *Heinricus* moritur, (*) fugit hinc pax, lis reparatur.
Cui *Philippus frater ſuus* ſucceſſit.
Namque ſuum fratrem Proceres ciſcunt ſibi Patrem,
A quisdam ſed OTO, gaudetque dato ſibi ſceptro.
Ad *Muſilae* rivum per milia multa quiritum
Concurrere, reos fugat, aſt - - -
1199. *Otto* Rex *Hainrici Ducis de Saxonia filius* Coloniae eligitur a Principibus regni, & Controverſia inter eum & *Philippum* Regem.
1200. *Cunradus* Archipraeſul mogontinus moritur.
Hic *Argentina* male ſenſit bella *Philippi.*
Treuirus arctatur, *Alſatia* depopulatur:
OT temptans iterum multo petit agmine *Suevum.*
Eſt *Suevis* ſeptus palmam *Philippus* adeptus.
1201. V. Kal. Sept. translatio S. *Kunegundis* Reginae in Babenberc.
(aliud chronicon:
Quinto ſeptembris idus eſt translata Cunigundis.)
Trans mare *Cunradum* recipit *Mogontia* clarum.
Litem finiſſet, niſi mors hunc falce tuliſſet.
Concilium *Babinberc* - - -
1202. Hic ducibus fretus Reni, rediit OTO laetus,
Namque triumphauit tunc, *Suevum quando fugauit:*
Hic diſcat mundus adverſis mixta ſecunda.
1203. Rex *Boemiae* & *Lantgravus de Duringin* rebellant regi Philippo.
1204. Philippus Rex Regem Boemiae & Lantgravum recepit in gratiam.
Philipp ad regna dirigit ſua bella *Thuringa*,
Heu, qua fruſtratur, tamen *haec humus hic ſpoliatur.*

1206.

*) Sed *anno priore.*

1206. *Tempore ſub verno* collecto milite *Suevo*,
Coloniam marte forti circumtonat arcem.
Diethelmus Epu's Conſtantienſis moritur.

1207. II. Kal. mart. facta eſt Eclypſis ſolis ab hora 6.ta diei usque ad 9nam.

1208. *Hermannus* huius loci Abbas obiit, cui *Conradus fabarienſis frater eius* ſucceſſit.

Philippus Rex expeditionis itinere veniens *Babinberc*, ſub ſigno pacis a *Palatino de Witilinisbac* occiditur, ſed ob eandem perfidiae culpam & ipſe poſtea occiſus interiit eodem anno.

1209. Hinc Æmulus eius OTTO *Comes Normanniae* in regno ſucceſſit. qui eodem anno quo & electus, ab Apoſtolico vocatus Romam, imperialem accepit Coronam.

Conradus Abbas abiicitur. *Conradus Camerarius* in Abbatem ſuccedit.

aliud: Abbas Fabariae non vi ſed iure coactus
Huic cedens oneri, Conradus praeripit illud.

1210. Nonis Auguſti viſi ſunt duo ſoles media die.

1211. Hic facta eſt diſſenſio inter Apoſtolicum *Innocentium* & *Ottonem* Imperatorem ob cauſſam inobedientiae, *dans eum vinculo anathematis*.

1212. Res ſit mira nimis, puero ductore, marinis
Sedibus, innumeri conveniunt pueri.
Nemoque Doctorum nouit numerum ſeniorum.
Tandem pars rediit, vendita pars periit.
Apulia rediens de regno *pellitur Otto*,
A Papa miſſus rex eligitur *Fridericus*.

1213. Fridericus Rex Apuliae Ottonem Imperatorem fugauit ab Alamannia.

Urbem Coloniae Rex obſides o Friderice!
Hic oritur ordo *Praedicatorum* & *minorum fratrum*.

1214. *Otto* Rex Anglus a *Francigenis* ſuperatur.
Hic & adit Flandrum, victo tyrone brabantum.

1215. Concilium Romae factum eſt ſub *Innocentio* papa.

1216. Concilium Romae claro iam Canone pollet,
Mox Innocentius moritur & *Honorius* ſubſtituitur.
Auſtralem populum preſſit fames innumerum.

1217. Vinum habundat.
Armis *Jeruſalem* petit innumerabile vulgus.
Abbas *Conradus* obiit, cui *Hainricus* ſucceſſit.

1218. *Otto Imperator* obiit, cui *Fridericus* Rex Apuliae ſucceſſit. Eodem anno *Berchtoldus Dux de Zaringin* obiit. *Hainricus* Abbas obiit, cui

1219. *Liutoldus* ſucceſſit. eodem anno magna nix & aſpera hyems Romae.

1220. *Fridericus* ab *Honorio* conſecratus eſt in Imperatorem Romae. multi Principum teutonicorum Jeroſolimitanam terram adierunt.

1221. Fridericus Rex Apuliae Romam veniens cum Exercitu magno, Benedictionem a Domno Apoſtolico ſuſcepit.

Damiatam civitatem munitiſſimam Ægypti Chriſtiani perdunt. (*)

1223. *Heinricus* filius Friderici Imperatoris coronatur apud *aquisgrani.*

1225. Verbum praedicationis claret, & cum multa poenit'tia ſuſcipitur. multi etiam ſigno ſanctae Crucis ſignantur.

1226. Peſtilentia pecudum per univerſas terras graſſatur, fames etiam preſſit homines.

1227. *Honorius* Papa moritur, cui *Gregorius* ſucceſſit. multa milia hominum in itinere ſanctae terrae peſte perierunt. Diſcordia oritur inter Papam & Imperatorem.

1228. Expeditio terrae ſanctae nobilium & diuitum hic facta eſt. Romani praecepto Imperatoris Gregorium Papam invadunt & fugant, & *Viterbium* occupant.

1230. *Fridericus* Imperator tranſiens mare, *Jeruſalem* chriſtianis reſtituit.

1231. Bellum oritur inter Papam & Imperatorem.

1232.

*) *Hucusque Chronicon minus continuatum eſt, & hoc anno finit: Capitulare ſeu maius filum narrationis proſequitur:*

1232. *Liutoldus* Abbas huius loci obiit. cui *Reinhart* in regnum succeſſit.

1233. Rex *Hainricus* cum victorioſo exercitu devicit *Ducem Bavvariae.*

1234. *Reinhardus* reſignauit Abbatiam Zwivildenſem, cui ſucceſſit *Fridericus.*

1236. Imperator Fridericus *Sueviam* intrauit, & filium ſuum captivum in exilium miſit, ſororem regis angliae in uxorem ducens nuptias - -

1237. Imperator *Lombardiam* deuaſtauit. mittens exercitum in *Auſtriam* Ducem impugnauit.

1238. Imperator iterato Lombardiam veniens *mediolanenſium* XVI. milia occidit - - -

1239. Papa poſt multam diſcordiam inter eos habitam Imperatorem excommunicavit. Abbas *Fridericus* convertit ſe ad *Praedicatores*, cui ſucceſſit *Liutoldus.*

1240. Imperator Fridericus *Fauentiam* & *Vincentiam* vi coepit & *Lombardiam* rapinis & incendiis moleſtauit.

1242. *Colonienſis* & *Moguntinenſis Ep'i* impugnant Imperatorem. captus autem eſt Colonienſis Ep'us in Badua. occiſi ſunt LXV. homines ab Imperatore - - - Imperatrix moritur. Filius Imp'atoris in captivitate moritur.

1243. Cum ſedes romana vacaſſet duobus annis, *Innocentius* Papa ſubſtituitur.

1244. Conventus querimoniam habens contra Abbatem *Liutoldum* iudicio *Moguntinenſium Judicum* deponitur, & in locum eius *Wernherus* ſubſtituitur. Transmarini chriſtiani ab Exercitu Regis Babiloniae occiſi ſunt, vix obtinentes ciuitates & caſtella.

1245. *Innocentius* Papa *Lugduni* protulit ſententiam excommunicationis in Imp'rem, eique *Lantgravius Thuringiae* ſubſtitutus eſt.

1246. Cum quo *Conradus* filius Imp'tris apud *Frankenfurt* dimicans fugam iniit, ſexcenti milites capti ſunt. Dux Auſtriae cum Vngaris dimicans occiditur.

1247. Lantgravius *Vlmam* obſedit, ſed inacte (*) receſſit, & ſtatim mortuus eſt. tota Teutonia igne & ferro deuaſtata eſt.

1250. Abbas *Wernherus* obit. *Cunrath* ſibi ſuppoſitus eſt.

O mala mors aeque tollis vitam *Friderici.*
Tu vincis quaeque, tibi ſunt omnes inimici.

1251. *Eberhardus* ep'us Conſt'ſis fraudulenter capitur. hinc contriſtatur clerus meritoque grauatur. Abbas *Conradus* onus ſuum depoſuit. ſucceſſorque ſuus iterato ſit *Reinardus.*

Conradus liquit *Suevos* & trans mare vadit.

1252. *Eberhardus* Conſt. Praeſul cum exercitibus immenſis exiuit impugnatum *ſancti Galli* Praelatum.

Res gemitu digna, nobis ſur fraude maligna
Tres calices rapuit, ſacraque diripuit.

1253. Abbas ſit *Bertholdus* cum ceſſit Reinhardus.

1254. Morte ſubintrante *Cunradi* vita receſſit,
Moxque Deo dante *Wilhelmus* regna capeſſit.
Papa vir egregius *Innocentius* obiit.

1255. Papalisque pater ſurgit *Alexander.* X. Kal. aug. luna fuit in eclypſi, ſociamque thori nefarie decollat *Dux Bavvariae.*

1256. Morte ſatis triſti Rex o *Wilhelme* periſti.

1257. Bavvarus effugere fecit bellando Boëmum,
Pars cecidit, pars merſa fuit, pars captaque demum.

1259. Abbas ſit *Petrus* cum tumulatur Berchtoldus.
Praelia tendebat *Hezelinus* & enſe cadebat.

1260. Vngarus impetiit per praelia multa Boëmum,
Et ſimul hinc, inde, milia multa cadunt.

1261. Surgit Alexandro moriente Papa, pater *Vrban.*
Praelia *Primatum* ſuffert *Alemannia* magna.

1262. Partes Suevorum *Cunradi filius* intrat,
Fulmina terrifica tangunt etiam loca noſtra.

1264. *Vrbanus* papa moritur. cometa etiam crebro viſa eſt.

1265. *Clemens* Papa ſubſtituitur.

1266.

*) Id eſt ſine effectu.

1266. Subcubuit victus *Carolo* Princeps maledictus. (*)
Milia per mille populi male perdidit ille. (**)

1268. *Cunradinus* filius Regis *Cunradi* a Lombardis pro rege vocatus cum Duce Auſtriae a *Karolo* fratre regis Franciae capite eſt truncatus. *Clemens* papa moritur.

1269. Abbas *Petrus* onus ſuum depoſuit, cui *Vlricus* ſucceſſit.

1272. *Gregorius* nonus ſubſtituitur.

1273. Elapſo regno romano tempore longo
Ipſi ſucceſſit *Rudolfus*, qui bene rexit.
Sancta *Eliſabeth* lantgravia canonizata.

1274. Concilium celebrat *Lugdunis* Gregorius nonus. *Eberhardus* Conſtant.ſis Ep'us in pace vitam finiuit, cui *Rudolfus* ſummus Praepoſitus in regnum ſucceſſit.

1275. Verbum praedicationis claret hic & cum magna poenitentia ſuſcipitur, multi etiam ſigno Crucis ſignantur.

1276. *Gregorio nono* ex hac vita migrante, Papa vir egregius ſurgit *Innocentius*.

1277. *Rudolfo* rege per bella petente *Boemum*,
Vicit eum, iura regni cedunt ſibi demum.

1278. Rex cedes egit Rudolfus abinde ſubegit
Regna Böemorum proſtrato rege ſuo. tum
Per morſus enſis comes eſt ſtratus *Julacenſis*.

1281. Dum *Nicolaus* obit *Martinus* Papa Romae fit.
Rudolfi regis *obit uxor* cellula legis.

1282. Submerſit Renus *Hartmannum* gurgite plenus
Rudolfi natum *Baſilea* tenet tumulatum.

1283. Abbas *Vlricus* diſceſſit fine beatus.
Domnus non tardus regnum capit hinc *Eberhardus*.

1285. Hoc anno *Martinus* papa obit, cui *Honorius* papa ſucceſſit.

1288. Honorio papa ex hac vita migrante *Nicolaus* papa ſubſtituitur.

1290.

*) Id *eſt*, *excommunicatus*. **) *Carolus*.

1290. *Rudolfus* Archep'us Salzburgenſis dictus *de Honeg* (*) in pace finiuit.

1291. *Rudolfus* Rex Romanorum in pace finiuit, cui *Adolfus* in regnum ſucceſſit.

1293. *Rudolfus* Conſtant.ſis Ep'us obiit, cui *Hainricus* regis Conciliarius ſucceſſit.

1294. *Celeſtinus* ſponte papatum reſignauit, cui *Bonifacius* ſucceſſit.

1298. *Auſtrie Dux* magnum prelio proſternit *Adolfum.*

Nec non invite regnum ſibi poſſidet ipſe.
Millenis ac trecentis binis minus annis,
In iulio menſe Rex *Adolfus* cadit enſe, (**)
Per manus Auſtriaci : *Proceſſi*, *Martiniani.*

1303. *Bonifacius* papa obiit. cui *Benedictus* ſucceſſit.

1304. *Albertus* Rex Romanorum cum multis *Boemiam* intrauit, ſed inane receſſit.

1305. Hoc anno ciues de *Rudelingen* Zenobium *Zwivildenſe* impugnauerunt, Presbyteros grauiter vulnerauerunt, domum infra muros incendio tradiderunt, & alia multa verbis & operibus commiſerunt. *Clemens* papa ſubſtituitur.

1308. In die Philippi & Jacobi Ap'lrum occiſus eſt *Albertus* Rex Romanorum a *Joanne Duce* filio fratris ſui. cui ſucceſſit *Heinricus Lucenburgicus.*

1313. *Hainricus* Imperator a quodam Praedicatore toxicatus obiit.

1314. *Clemens* Papa moritur.

1316. *Johannes* papa ſubſtituitur.

1324. Obſeſſa eſt *Burgo* a Rege Bavvariae *Ludwico.* quem ſtatim *Luipoldus* fugauit victorialis.

1326. *Luipoldus* Dux obiit.

1327. Hoc anno obiit *Eberhardus* Abbas dictus de lapide. cui ſucceſſit *Vlricus Abbas de Wiblingen.*

1330. Hoc anno obiit *Fridericus Dux Auſtriae.*

1334. Joannes papa XXII. obiit, cui *Benedictus* ſucceſſit.

1336.

*) *Hohenek* vid. Abb. Gerbert. *Faſt. Rudolf.* p. 52. not 1.

**) Id eſt die 2. Jul. quo horum feſtum celebratur.

1336. *Vlricus* Abbas dictus de *Haſenwiler* occiditur, cui *Waltherus* ſucceſſit.

1337. Poſt Chriſtum *tria C.* quoque *X. ſeptem*, quoque *mille*
Nomine non dignus *Ludewig*, Caeſarque malignus,
Cadit is per equum merito, quod non fuit aequum
Vt homo reſtaret, vel morti ſe ſociaret.
Qui quoniam rexit ius legesque male vexit,
Sorduit in bannis grauibus iam pluribus annis.
Scismata patrauit, fidei leges violauit.
Quod ſit defunctus mulctis cum turpibus unctus,
Sic cantatur fama per valles, quoque rama. (*)

1339. *Otto Dux Auſtriae* obiit hoc anno.

1341. *Benedictus* papa obiit, cui *Clemens* ſucceſſit ordinis ſancti Benedicti.

1344. Clauſtrum *Marthel* hoc anno ſpoliatum eſt a Comite de Wirtenberg & pars - - villa incendio interiit.

1346. Hoc anno *Waltherus* Abbas onus ſuum depoſuit. cui *Johannes* ſucceſſit.

1347. Hoc anno cum vites undique uberes fructus produxiſſent, auditu mirabile & dictu, cum iam vindemiari debuiſſet, VI. idus ſeptembris frigore perierunt.

1349. Mors, peſtilentia hic populos preſſit - - - -

1350. Annus jubilaeus, id eſt remiſſionis annus.

1357. In Monaſterio Zwiweltun multae perſonae ex peſtilentia hominum moriuntur.

1358. *Karolus* Caeſar exercitum ſuum copioſum ſuper comitem *Eberhardum de Wirtenberg* miſit, & per ſe ibi inventus eſt.

1363. *Innocentius* Papa VI. obiit. cui *Vrbanus* ſucceſſit.

1366. Vincula Petri obiit Domnus *Johannes* Abbas huius monaſterii. in quo anno fuit maxima Kariſtia. cui ſucceſſit *Anshelmus*.

1370. *Vrbanus* Papa *quintus* obiit. Abbas maſſilienſis ord. S. Benedicti, *Gregorius* XI. conſtituitur.

*) Sic lego : at non intelligo.

1372. *Vlricus de Helfenſtein* a Comite *Eberhardo* de Wirtenberg - - - percuſſerunt *Vlmenſes* - - & alias civitates in ore gladii.

1375. Angli totam Alſatiam vaſtantes & fines circa Baſileam, inacte receſſerunt.

1377. Oritur lis maxima inter civitates regni romanorum Sweviae & Comites de Wirtenberg, & factum eſt praelium iuxta *Rutlingen* circa capellam S. Leonardi. in parte Comitum de Wirtenberg ceciderunt LXXX. virorum pugnatorum nobilium.

1378. *Karolus* Caeſar obiit in die *S. Andreae* Apli. *Wenzeslaus* filius eius rex Romanorum conſtituitur.

1379. Gregorius XI. moritur.

Scandala nova cape, quia facti ſunt duo papae:

Scilicet *Vrbanus* Romae, *Clemens* Avenione.

1383. Domnus *Anſelmus* Abbas huius monaſterii obiit 3. id. Febr. cui ſucceſſit Domnus C. de lapide.

1386. Occiſus eſt illuſtriſſimus Princeps *Lupoldus* Dux Auſtriae cum multis - a Swizenſibus in *Sempach* - - - -

1388. In vigilia *S.* Bartholomaei occidebatur *Vlricus* Comes de Wirtenberg - - - incuriam & illud contingebat circa villam - - -

1393. Obiit Domnus *Conradus* Abbas de lapide, cui *Johannes* ſucceſſit.

1398. Obiit Joh'es Abbas, cui ſucceſſit *Wolfo* de lapide.

1399. Regnauerunt peſtilentiae quaſi in toto orbe terrarum.

1405. Ruſtici in Zella Abbatis (*Appenzel*) contra Abbatem de *S. Gallo* litigauerunt, & eidem cenſus annuales dare noluerunt, & totam provinciam usque in Conſtantiam ſibi ſubiugauerunt, & Confoederationem cum ruſticis fecerunt - - - contra Ducem Auſtriae pugnaverunt.

1415. Circa feſtum omnium ſanctorum oritur Concilium grande in ciuitate Conſtantia, & ibi erat magna multitudo populorum de longinquis partibus: atque ibi conſtitutus eſt Papa *Martinus*, & idem concilium durabat fere .. annos.

1417. Obiit *Eberhardus* Comes de Wirtenberg.

1419. Regnauerunt peſtilentiae in toto orbe terrarum & innumerabilia milia hominum obierunt, quos dinumerare nemo poterat. in diverſis vrbibus etiam durauerunt duos annos & ultra.

1420. Oritur haereſis magna a quodam Presbytero nomine *Huſſo* circa partes bohemicas, qui tempore Concilii in ciuitate Conſtantienſi igne crematus eſt cum ſocio ſuo *Jeronymo* artium magiſtro -- notandum vero quod praedicti Huſſitae multa milia hominum occiderunt, & multa Coenobia deſpoliauerunt, atque ignibus tradiderunt.

1421. Obiit *Wolfo* Abbas vigilia Vrbani, cui ſucceſſit *Georius Eger.*

1430. Hoc anno *undecima die Maii* tam magna pruina venerat, quod omnes fruges -- quaſi per totam Sweviam perierunt & defecerunt, item quod magna Kariſtia euenerit.

1433. Item hoc anno fuerunt Kariſtiae, quod unus modius ſiliginis ſoluebat *quatuor libras hallenſium.* Eodem anno coronatus eſt Rex *Sigismundus* in Imperatorem Romae.

1434. Hoc anno fuerunt tam multi mures, quod ſexcenti fuerunt percuſſi in uno agro, & eodem anno regnauit Sigismundus Caeſar in Suevia. Item eodem anno fuerunt vineae noſtrae deuaſtatae, vina quaſi per totam Sueviam conſumpta per frigora & per pruinas, ita quod noſtrum Monaſterium vix collegit *duas urnas* vini.

Item eodem anno *Concilium Baſileenſe* impoſuit ſturam in tota Chriſtianitate, ita quod omnes praelati, Monachi regulares & ſacerdotes ſaeculares dederunt *ſemidecimam* ſive *viceſimam* partem de omnibus redditibus, ſine fructibus & precariis.

1436. Obiit *Georius* venerabilis Abbas huius Monaſterii, cui *Johannes* ſucceſſit.

Concilium Baſileenſe dedit plenariam remiſſionem omnium peccaminum omnibus contribuentibus *ad reductionem Graecorum* tantum, quantum in vna hebdomada quis conſumit in domo ſua cum tota familia. & voluit vt quicumque ſic contribuerit .. particeps fieret dictarum indulgentiarum ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo.

1438. Fuerunt tantae Kariſtiae, quod ſiliginis *maldrum* ſoluebat *ſeptem libras Hallenſium*: & *maldrum tritici* ſoluebat VIII. florenos. *auenae* autem *maldrum* 4. libras 6. aſſes in Conſtantia circa feſtum S. Joannis Baptiſtae.

1439. Regnauit peſtilentia validiſſime per totam Alemanniam, ita, quod aeſtimatione multorum *tertia pars hominum* videbatur obiiſſe. oritur lis magna inter Ducem Bawariae & filium eius.

1440. Facti ſunt duo papae, *Eugenius* Florentiae reſidet, *Felix* Baſileae. Hoc anno obſeſſum eſt oppidum *Winſperg* a quibusdam nobiliſtis litigantibus contra Ciuitates, Comites Suevenſes.

1441. Hoc anno deſtructum eſt caſtrum dictum *Mayenfels.*

1449. Oritur lis non modica inter Dominum *Vlricum* comitem de Wirtenberg & civitates Impl'es.

1450. Hoc anno VII. Kal. Octobr. obiit generoſus Dominus *Ludwicus* Comes de Wirtenberg.

1457. Viſa eſt Cometa per plures dies circa feſtum S. Joh'is Baptiſtae.

1459 — 1460. Oritur lis magna inter Dominum *Palatinum Reni* & *Ludewicum* Ducem Bavvariae ex una: & Dominum *Albertum* Marchionem Brandenburgenſem ac Domnum *Vlricum* Comitem de Wirtenberg partibus ex altera, quae durauit a Dominica *oculi* usque ad feſtum *Laurentii.* in qua multi comites & nobiles occiſi ſunt.

1468. Congregatis ciuitatum primatibus & regentibus provinciae in Wirtenberg, Dominus *Bernhardus Dux* huiusmodi provinciae conſcius aliquorum arduorum caſuum, pauore percuſſus cum vaſis argenteis --- aufugit. cui ilico Dominus *Vlricus Dux* ſucceſſit.

1475. Venerabilis pater *Johannes* Abbas huius incliti coenobii obiit, cui gratioſus *Jeorius* ſucceſſit.

1477. Diſceſſit profeſto Regum -- *Karolus* Burgundiae caput.

1478. In feſto S. Dionyſii incepta eſt alma Vniverſitas in *Tuwingen*, nec non collegium Canonicorum *Sindelfingen* ad eandem vniverſitatem translatum.

1500.

1500. Factum eſt praelium inter Regem Romanorum & helvetios, multique ex utraque parte ſunt occiſi. inter quos Domnus *Hainricus de Furſtenberg* & duo Barones occiſi occubuerunt.

1503. Viſae ſunt vario genere & colore praeſertim rubeo cinctae imagines, quae ceciderunt in veſtimenta hominum, & corporalia ſacerdotum, & ceteras res lineas.

Hucusque MS. Chronicon Zwifaltenſe libro Capitulari affixum.

XII.

NECROLOGIUM ZWIFALTENSE.

NOTA.

Hoc Necrologium quatuor habet columnas seu fornices pictas. in 1. adscribuntur dies festi. in 2. nomina Monachorum & monialium. in 3. nomina virorum nobilium. in 4. Foeminarum. saeculo XII. scribi coeptum est. at transscriptum & continuatum saeculo XIII. a Reinhardo de Munderchingen prima vice Abbate facto anno 1232. notas in illud scripsit mirae industriae vir R. P. Stephanus Bochenthaler Zwifuldensis Asceterii Monachus plane eruditissimus. qui dum varia opera moliretur, morte praeuentus pleraque imperfecta reliquit. quasdam ex eo decerptas hic adiiciam. textum a commentario asteriſco (*) distinxi.

JANUARIUS.

a. Kal. Jan. Hartmannus Abbas. (*)

*) Ex Priore S. Blasii Abbas in *Kuttwein* eo missus ab *Ottone* Abbate anno 1094. III. Id. Sept.

c. III. Non. ADELHEIT COMITISSA DE DILINGEN. (*)

*) Fuit haec *vxor Hartmanni senioris comitis de Dilingen* (Mater Vdalrici Episcopi *Constant.* Hartmanni iunioris, Hadewigis, & Adelheidis Comitissae de Gamertingen) quae teste Bruschio sepulta est cum marito Fundatore Monasterii *Neresheimensis* in sinistro ecclesiae latere infra chorum eiusdem loci. Patrem habuit *Adelbertum* comitem in Winterthur, auum *Liutfridum* comitem Brigantiae S. Gebehardi Episcopi Constant. germanum fratrem. vide Manlium in Chron. Constant.

d. II. Non. Heinricus L. senior de Stuzlingen.

e. Non. Adelbert L. de Stuzelingen.

f. VIII. Id. Epiphania Domini. Fridericus m. n. c. Abbas de Muron.
g. VII. Id. J[illegible]dinca L. de Houdorf.
a. VI. Id. CUONRADUS DUX DE ZARINGEN. (*)

*) Eius genealogiam vide apud Piſtorium, in chron. Conſtant. eandem diem 8. Jan. habet Necrolog. Murenſe.

b. V. Id. Arnoldus Abbas de Megdeburg.
c. IIII. Id. Walter is n. c. m. de Phullingen Azzo L. Cunza, Imiza L.
d. III. Id. WALTHERUS COMES DE VERINGEN (*)

*) Hic cum *Rudolfo de Hohdorff* in pugna apud *Edungesheim* occiſus eſt cum aliis plus quam quinquaginta & apud nos terrae locatus eſt. (Berchtold. fol. 35.) qui mortem *Rudolfi* refert ad diem 20. eiusdem menſis. haec conciliari poſſunt ſi dicatur, pugnam contigiſſe 10. Januarii: *Waltherum* in ea vulneratum obiiſſe 11.ma & *Rudolfum* ex vulnere accepto demum 20.ma defunctum eſſe.
†) Necrologium Iſnenſe ad IV. Idus obitum *Waltheri filii Manegoldi Comitis* eiusdem Monaſterii Fundatoris adſcribit.

a. XVIII. Kal. Feb. Irminga[illegible]t conv. de Ritinhaldin.
c. XVI. K. Swig[illegible]erus de Gundiluingin.
d. XV. K. Cun[illegible] de Horningiu. Adelbertus de Ruſſegge.
f. XIII. K. FRIDERICUS DUX SWEUORUM IUNIOR, *filius Imperatoris* (*Barbaroſſae*) *Bertha Comitiſſa de Brigantia.* (*)

*) *Vdalrici Comitis Fundatoris Augiae Brigantinae uxor, Rudolfi* Comitis Reinfeldiae & Ducis Sueuiae poſtea electi Regis Romanorum *filia.* vixit anno 1100.

g. XII. K. Vdalricus n. c. m. Abbas Scyre. BVRCHART COMES.
a. XI. K. Albertus conv. de Bunigin.
c. VIIII. K. Gebo Abbas (*)

*) *Eichenbrunnenſis*, qui vixit c. a. 1140. eſt autem Monaſterium *Eichenbrunnum* in Sueuia extra muros *Gundelfingenſis* oppidi inter *Danubium* & *Brenzium* fluuios Dioeceſis Auguſtanae fundatum ſub Caliſto II. a quo fundatio confirmata eſt anno 1122. tertius ibi Abbas. †. Conf. Bucel. Germ. ſacr. P. II. p. 28.

d. VIII. K. Halwic m. de Rordorf.

e. VII.

e. VII. K. Egelolf n. c. m. de Stuzilingen. Landfridus Abbas Campidonenſis. Walterus de Rittinhalde.

f. VI. K. Erchinbold Abbas Auguſte.

g. V. K. Folmarus Abbas Hirsaugie.

a. IIII. K. HERMANNUS COMES DE WARTSTEIN. (*)

*) Hic ſepultus.

b. III. K. Erneſtus Junior de Stuzelingen.

c. II. K. Bertha Comitiſſa. (†.)

†.) *Vxor Comitis Ottonis de Buochhorn*, Fundatrix Hofenſis Monaſterii. (vid. Necrolog. Hofenſe.)

FEBRUARIUS.

f. III. Non. Albertus de Frikingen.

g. II. Non. MAHTILT ſoror conuerſa de Niſen. iſta multos libros ſancte Marie conſcripſit. (*)

*) Nata de *Sunemetingen*, *Manegoldi & Mathildis filia.* inter alia vero ſcripſit pulcherrimum *Miſſale* N.o 75. notatum. vt vel ex *Calendario* eidem miſſali praefixo colligere licet, in quo obitus conſanguineorum ſuorum diligenter adnotauit : vt *Leutfridi de Niſen* 31. Martii : *Alberadis* Abbatiſſae, cuius *amita* erat 5. Aprilis : *Manegoldi de Niſin patris ſui* 20. Julii : *Egenonis Comitis* eiusdem *Alberadae de Vrah germani fratris* : *Mahtildis de Niſin matris ſuae* 20. Novemb. & aliorum de quibus ſuis locis.

b. VIII. Id. Adilheit m. n. c. de Gundilvingen. Adelheit de Huggenberc. *Gotefridus Palatinus.* (*)

*) Fuit is ex *comite Calbenſi* factus Monachus *Hirsaugienſis.* ſuſpicor autem eum fuiſſe Abbatem noſtrum, qui electus eſt anno 1156. ſic fuiſſet *Gotefredi* ſenioris palatini (quem Trithemius cum iuniore confundere videtur) filius, germanus *Vthae* coniugis *Guelfonis VI.* quarti noſtri Aduocati. †. Ego vero Gotefridum hunc Monachum vel Abbatem fuiſſe aegre crediderim ; Necrologus enim hoc axioma tam parum ac in aliis reticuiſſet: appellatio vero *palatini*. Monacho minus conuenit. quid prohibet vt dicamus, hunc fuiſſe Welfonis VI. ſocerum Vtae Patrem ?

d. VI. Id. Judinta conv. Mater Oudalrici.

e. V. Id. Gozmannus Abbas de cella S. Petri.

f. IIII. Id. Albertus L. de Hohenſtein. Vdilhilt Comitiſſa uxor Oudalrici Comitis de Bergin.

g. *III. Id.* Eberhardus Abbas (*)

*) *Cladersbur.*

Berchtoldus Monachus de Sparwarſegge ſenior. Ruodolfus Abbas (*)

*) *Augiae divitis* Baro de Botenſtein frater *Manegoldi* Abbatis *S. Galli* praefuit 9. ann. obiit. 1132.

a. II. Id. Berchtoldus L. de Juſtingen.

b. Idibus. Bertoldus Presbyter & monachus Augie.

c. XVI. Kal. mart. ZOBEZLAUS Dux Boemie frater *Lauzlandi* Ducis. (*)

*) Vocatur ille ab Hiſtoricis *Sobieslaus*, hic *Vladislaus*. Bohemiae Dux praeterito *Ottone* natu maiore conſtitutus eſt. *Lotharium* Imperatorem Romam ad coronam capeſſendam eſt comitatus. *Pragam* & *Brunnam* aedificiis ornauit, *Miſam* condid, it *Gordicium* igne exuſtum reſtaurauit.

e. XIIII. K. Leopardus n. c. m. iſte fuit Capellanus Ducis Bolezlai. hic ſculpſit nobis plenaria & maiorem Crucem in Paraſceue. Albertus Abbas de S. Emeramo. (*)

*) Obiit 1177. ſub eius regimine totum Monaſterium igne conſumptum eſt.

Judinta de Habisburc.

f. XIII. K. DIETRICUS COMES.

g. *XII. K.* Conradus de Phullingen m.

a. XI. K. OTTO DUX DE MORAUIA *Vir Duciſſe Sophie.* Sophia de Habesburc L. (*)

*) *Conradi Comitis uxor* mortuo *Eginone de Achalm* priore ſuo marito (de quo *Ortlieb* noſter fol. 60.) *Conradus* iſte in documentis *Murenſibus Chuono* vocatus filius fuit *Vlrici* Comitis de *Lenzburg* & *Richinzae* habſpurgicae, *Radebotonis* ex eadem nepos. vocatus eſt autem propter Matrem habſpurgicus, ſicuti *Wernherus* & *Rudolfus* filii *Itae de Habſpurg* alias dictae de *Tierſtein* eiusdem Cunonis conſobrinae dicti ſunt de Habſpurg, cum fuerint nati de *Tierſtein*, vti videre eſt in Genealog. Tshudii Abb. Murens. fol. 88. & 93. Exinde etiam error quorumdam ortus, vt *Wernherus II.* Epiſco-

pus *Argentinenſis*, qui *Sophiae leuir* fuerat, crederetur quoque fuiſſe *habſpurgicus*, cum *Achalmenſis*, *Eginonis* primi Sophiae mariti germanus frater fuerit.

b. X. K. *Hemma Comitiſſa.* (*)

*) Videtur illa Comitiſſa de *Tubingeneſſe*, cuius ceu Benefactricis Monaſterii *Hirſaugienſis* mentionem facit Trithem: in Chron. ad ann. 1118. *Maritus* eius erat *Hugo*: filii *Hugo* & *Heinricus* eodem teſte.

c. *VIIII. K.* Bilgrinus n. c. m. Abbas Nernsheim filius Abbatis Heinrici. *Bertolt Comes de Hâtingin.* Eliſabeth de Fikingen filia Waltheri de Vtenbruke.

d. *VIII. K.* *WERNHERUS Comes de Gruningen* Sororis Luitoldi Comitis filius.

e. *VII. K.* Marquardus c. n. c. de Kunigin. Wilhelmus de Huggenberc. Gertrut de Obornſtetin.

f. *VI. K.* *Heinricus* Comes iunior de Berge m. n. c. iſte dedit nobis predium *Anchilhouen.* huius *ſorores* fuerunt *Salome* Duciſſa, *Richinza* Duciſſa, & *Sophia* Duciſſa. (*)

*) Huius *filius* videtur fuiſſe *Heinricus Comes de Berg* ex *Praepoſito Spirenſi* Epiſcopus electus *Patauienſis* c. a. 1170.

Bertholdus L. de Vrah. Liuggart de Hundirſingen.

a *IIII. K.* Giſila inclusa. Hermannus Abbas huius loci. (*)

*) Gente *Boſſo* de Zwifalten *Conradi* ex Monacho noſtro *Abbatis Fabarienſis* & *Berchtoldi* itidem fratris noſtri germanus. eligitur A.o 1196. obiit 1208.

b. *III. K.* Hainricus Abbas. Erneſtus iunior de Stuzelingen.

C. *II. K.* Cunrat L. de Rotenburc. Liuggart de Ritinhaldin. Hezela L. de Gundiluingen.

MARTIUS.

d. *Kal. Mart.* Ita Comitiſſa de Berge. Cunradus Epiſcopus Curenſis. (*) Gebehardus Ep'us Spire. Wernherus de Ritinhaldin.

*) Comes de Bibereck, qui circa ann. 1140. e Roggenburgenſi a ſuis *parentibus* fundato in Suevia Coenobio accerſiit Monachos inſtituti praemonſtratenſis ad reformandum *S. Lucii*

Lucii Monaſterium extra muros *Curiae Rhaetienſis* eliminatis Benedictinis. & nota : eius *matrem* fuiſſe *Demuthum Berchtoldi* uxorem natam *de Zolleren*. ✝ R. P. Philippus Bayrhamer Hiſtor. Roggenburg. editae anno 1760. pag. 3. *Conradum* hunc Curiénſem Epiſcopum *Fratrem* Pertholdi Comitis de Bibereck vocat, cui magis videtur credendum; etenim Roggenburgum occaſione *Sifridi* filii vndis hauſti a *Berchtoldo* & *Diemutha* moeſtis parentibus conditum ſcribitur anno 1126. porro eadem hiſtoria Roggenburg: pag. 19. teſte, *Conradus* Comes a Bibereck & Epiſcopus Curienſis *dierum* & meritis plenus obiiſſe dicitur anno 1150. quo vix ſenex eſſe poterat *Fundatorum* filius.

f. V. Non. Bertolt de Sparwaresegge.
g. IIII. Non. Erchinbolt Abbas.
a. III. Non. JUDINTHA DUCISSA ALTDORF. ✝. *Guelfi IV. vxor.*
b. II. Non. Nogger primus Abbas huius loci. Gero L. de Vrah. Giſila L. de Hiltinswilare.
d. VIII. Id. Gotefrit L. de Berge. Gepa L. de Dietfurt. Bertha L. Mater Reinhardi.
f. VI. Id. Hiltrut de Rordorf. Vdalricus Abbas Auguſte. Adelheit de Achalme.
a. IIII. Id. BERTOLDUS COMES.
b. III. Id. Waltherus Archipresbyter de Celle.
c. II. Id. AGNES REGINA. (*)

*) Fuit haec *vxor Rudolfi* ex Comite Rhinfeldenſi & Duce Sueuiae electi Imperatoris, *Filia* Heinrici III. Imperatoris.

d. Idus. Liuggart c. n. c. de Gamertingen. Huc Abbas. Welp L.

a. XIIII. K. April. Vlricus II. Abbas huius loci. iſte dilectus Deo & hominibus totum clauſtrum cum officinis conſtruxit, & predia multa acquiſiuit. huius memoria apud nos non derelinquetur in ſecula. *Dietericus Comes Nellinburc. Fridericus Comes Zolre.*
e. X. K. Bruno Abb. Hirſawe. Wilderich presb. de Ertingin. Cuono L. de Vnterſingen.
g. VIII. K. Hartwic Abbas Hirſaw.
b. VI. K. Wolpoto Abbas. Billunc de Juſtingen.
c. V. K. AGNES COMITISSA.

d. IIII. K. Hugo Comes de Duwingen (*) *Vdilhilt Comitiſſa de Wartſtein.*

*) *Hugonis Jenioris* filius, *parens* vero alterius *Hugonis* Monaſterii *Marchtalenſis* Fundatoris, qui teſte eiusdem loci Necrologio obiit 30. Decemb. *Ille* Anno 1139. teſtis confirmationis Monaſterii *Denckendorff* factae a Conrado III. Rege legitur.

e. III. K. Marquard Presbyter de Nazzegoſtetin (*Naſſgenſtatt.*)

f. II. K. Bertha n. c. c. de Juſtingin. Bebo Monachus Spire.

APRILIS.

g. K. April. Hadewic n. c. c. de Phullingen.

c. II. Non. Bertholdus Abbas Cladrun, filius Abbatis Heinrici. Wernherus MANEGOLT SENIOR DE RORDORF. iſte dedit nobis Iſinigin.

d. Nonis. ALBERAT ABBATISSA DE LINDAUGIA. Bertholdus Archipresb. de Anniwilare.

e. VIII. Idus. Fridericus Dux de Stoufin. (*Pater Barbaroſſae, frater Conradi Imperatoris, Maritus Judithae Guelficae.*)

f. VII. Id. HEINRICUS COMES DE DUWINGIN. *Berchtoldus Marchio Giengen.*

g. VI. Id. Folmar Praepoſitus, Giſilbertus Archipresb. de Martila (*Marchtal*) Manegoldus Praepoſitus de Martila. Hainricus de Gruningen L. Rudolfus L. de Hundirlingin.

a. V. Id. Bertoldus iunior de Sparwarſegge, iſte attulit reliquias S. Crucis.

b. IIII. Id. Gepa L. uxor domini Alberti de Hohinſtein.

c. III. Id. Vdilhilt Comitiſſa de Zolre. (*)

*) *Vxor Friderici Comitis de Zolre*, ipſius Abbatiſſae *Alberadae* ſoror, filia *Cunigundis.*

d. II. Id. Lauzlant Dux Boemie. iſte & uxor eius Richinza multa bona fecerunt. BERTOLT COMES. *Diethelmus Epiſcopus Conſtant. fis*

e. Idus. Woluerat Comes de Vergin (*Veringen. vid. chron. Iſnenſe.*)

f. XVIII. K. Maii. Vlrich de Sunimuotingin (*hodie vulgo Simmertingen*) Giſila L. de Sparwarſegge.

g. XVII. K. Swiggerus L. de Gundilvingin.

a. XVI.

a. *XVI. K.* Hartmannus Comes de Nerſtein n. c. m. Waltherus L. de Vtinbrucke.

b. *XV. K.* Hermannus Abbas de Alchingin. Cunrat Biſſinc.

c. *XIIII. K.* Wernher L. de Vra.

d. *XIII. K.* Cunradus de Gammartingin Abbas. *Manegoldus Comes Hundirſingin.* Wolftrigel de Ehingin.

e. *XII. K. Hainricus Comes de Wartſtein.* Ita de Otilſtetin Monial.

f. *XI. K.* Otto m. n. c. de Sundirinbuoch. Berchtolt de Phullingen. Saztobrana de Bolonia. iſta dedit nobis Crucem argenteam & alia multa. Mahtilt L. de Dietfurt.

g. *X. K.* HESSO COMES. MEINGOZUS *Abbas Winigartin.* MAHTILT COMITISSA (*)

*) De *Spizzenberg* ſoror *Wernheri* Comitis de Frickin, ante fores Eccleſiae habens ſepulturam. *ita Berctold.*

a. *VIIII. K.* Mahtilt de Sigemaringin.

d. *VI. K.* HERMANNUS MON. ET COMES DE LEINZIBURC. (*)

*) Fuit hic Hermannus natus *Marchio de Zaeringen*, factus Monachus *Cluniacenſis*, ex caſtro Linzburg ad Rhenum infra Briſacum filius Berchtoldi I. Zaringiae Ducis, qui anno 1074. in perſecutione illa Heinrici IV. Imp. prae animi moerore in eodem caſtro obiit teſte Herzog in chron. Alſat. L. II. c. 22. quod tamen *Limpurg* vocat. ab hoc eodem deſcendunt *Marchiones Badenſes.* fuit etiam eorundem Marchionum arx *Limpurg* vocata prope *Kirchheim* infra *Tek.* & infra g. Octobr. Hermannus Marchio huius filius expreſſe vocatur de *Limpurg.*

e. *V. K. Rudolfus Comes de Brigantia.* (*)

*) De eo *Berchtoldus* noſter fol. 29. *Rudolfus Comes Brigantinus in iisdem partibus WALICHGOWE in Dioeceſi Curienſi circa locum Valrun, dictum iuxta vrbem ſuam Muntiſort dedit quamdam villulam Alteburga vel Nihwilok dictam, ad alenda pecora ſatis idoneam.* Uxorem habuit *Wulphildim Heinrici* nigri catuli Bauariae Ducis & Advocati noſtri filiam, Heinrici & Guelfonis ſororem, ex qua genuit *Eliſabetham Hugonis* Comitis *de Tubingen* fundatoris Monaſterii *Marchtalenſis* coniugem.

g *III. K.* Dieger Epiſcopus. Manegolt Abbas. (*)

*) *S. Galli.*

MAIUS.

c. VI. Non. Beatrix Abbatiſſa ſoror Comitis Luitoldi. ITA COMITISSA.
d. V. Non. Hiltrut de Gundiluingin. BERTOLT DUX. (*)

*) *Zaringiae filius Bertholdi IV.* in quo familia & potentia eius domus concidit, obiit anno 1218.

f. III. Non. Hiltrut de Witinhuſin.
a. Non. Gertrut conuerſa *filia Salome Duciſſe.* Bruno Praepoſitus de Burron. Anſelmus de Juſtingin.
b. VIII. Id. Vdalricus de Brunnon.
d. VI. Id. Diliga Abbatiſſa.
e. V. Id. Egelolf de Stuzlingen n. c. m.
f. IIII. Id. Volcloh de Rittinhaldin c.
a. II. Id. GISILA COMITISSA DE BERGE.
c. XVII. K. Jun. Conradus Abbas Fabarienſis.
e. XV. K. Wido Epiſcopus Curienſis. *Diepolt Comes de monte.* (*)

*) Is in pueritia obiit.

Eberhart L. de Mecingin.

f. XIIII. K. Gozolt c. de Vndingin. DIEPOLDUS COMES DE BERGE. huius ſorores fuere Salome, Sophia, Richinza Duciſſe. (*)

*) Eius uxor fuit *Giſela de Andechs*, ſoror, vt quidam aſſerunt, S. Othonis Bambergenſis. vixit adhuc anno 1141. *vt ex hiſtoria translationis Manus S. Stephani colligitur.*

a. XII. K. Bertholdus III. Abbas huius loci. iſte multa bona fecit nobis.
d. VIIII. K. Gotefridus de Touvindorf n. c. m. Manegolt m. de Lutinbach.
e. VIII. K. Gregorius papa (VII.)
f. VII. Cunradus Archipresb. de Gundilvingen.
g. VI. K. Liugart deZolre.
a. V. K. Albertus ſcriba n. c. m. Nordo pater Nordonis de Pleiningin.
b. IIII. K. Cuno conv. de Tetingen. Cunrat de Marthela L.
c. III. K. Buggo m. de Claderun.

d. II.

d. ll. K. Gerungus de Steine n. c. m. SOPHIA DUCTRIX MORAUIE. iſta & ſorores eius multa bona fecerunt nobis.

JUNIUS.

e. Kal. Ebbo Abbas de monte S. Petri.

f. IIII. Non. Vlrich n. c. m. de Zile. hic dedit nobis VII. hubas in Achilishuſin. *Goteſchalc Frater Liutoldi Comitis.* (*)

*) Videtur fuiſſe *nothus*, habuit filium *Rudolfum*.

g. III. Non. Swiggerus de Blachinſtain.

a. II. Non. Wernherus Abbas Wibling.

b. Non. Mahtilt L. *de Rordorf*, *Mater Gotfridi Comitis.*

c. VIII. Id. Bertolt Abbas.

d. VII. Id. Landolt de Gruningin.

e. VI. Id. Hilteboldus Abbas. Berwart L. de Hohinſtein. Wolpoto Abbas de Buirron.

a. III. Id. FRIDERICUS CESAR DE STOUFIN.

b. II. Id. Vdalricus Comes de Achalme n. c. m. HUGO COMES.

c. Idus. Salome conv. de Nemerckingen.

d. XVIII. K. Jul. Otto Prepoſitus Spirenſis de Stuzilingen.

e. XVII. K. Hermannus de Hatingin n. c. m. & Diaconus. Gebehart Archiepiſcopus (*Salisburg.*)

f. XVI. K. Albreht de Hatingin.

a. XIIII. K. Albreht m. n. c. de Zolre.

d. XI. K. Alwicus Comes de Sulza. (*)

*) *Maritus Adelhaidis* Comitiſſae de *Nuſpilingen* ſororis *Gebae de Distfurt*. fundatoris Monaſterii *Alberſpacenſis*.

e. X. *K.* Benigna L. de Melchingen.

g. VIII. K. Walterus presb. de Veringin.

a. VII. K. Volmarus Comes m. RAPOTO COMES DE WARTSTEIN.

b. VI. K. SOPHIA COMITISSA DE BERGE.

c. III. K. Gozolt de Juſtingin.

f. II. K. Otto Ep'us Babenberg : Cuno de Harburc.

JU-

g. *Kal.* Ortlieb n. c. m. Abbas Nernsheim. Adilheit L. de Marthile.
a. *VI. Non.* Ortlieb m. de Claderun. Wernherus de Ritinhaldin.
b. *V. Non.* Meginrat Abbas. Meinhart Episcopus de Brage.
f. *Non.* Cunigunt L. de Horvve. *Egino Comes de Vrah.* (*)

*) Senior, patruus fundatorum, ab hoc ex vxore Cvnigunda Comites Furstenbergici. Pater erat Gebehardi Episcopi Argentinensis, vixit anno 1090. †. Patruus fundatorum Zwifuld. qui senes obiere, ad hunc usque annum producere dies vitae haut poterat. minus poterat idem esse Pater Gebehardi Argentinensis, qui prope circa medium saeculi XII. primum obiit. Necrologus ergo non patruum Cunonis & Luitoldi sed iuniorem aliquem Eginonem adscripsisse videtur. certe ipse P. Bochenthaler alicubi sequens Shema genealogicum format:

Egino senior de Vrah, uxor Cunigunda vixit anno 1160.

Egino iunior de Vrah vel
Furstenberg: vxor Judintha
Bercholdi IV. Zaringiae Ducis
Filia. vixit anno 1175.

Egino Comes in Furstenberg.

Conradus Comes in Fryburg.

c. *V. Idus* Heinricus m. n. c. Abbas Nernsheim. Albertus Abbas Cladeburc.
BOBBO COMES DE BERGE, *Pater Heinrici senioris de Berge.*
e *III. Id.* Albertus L. de Berge.
b. *XVI. K. Aug.* Dieto de Rauinsburc senior. iste dedit nobis curiam ad Wilzingen.
d. *XIIII. K.* CUNRAT COMES DE ACHALM. (*)

*) Eius mentio habetur in vetusto quodam *Calendario* N. 61. & in alio quod anno 1135. scriptum est. puto autem illum fuisse *Comitem de Wirtenberg* & *Gruningen*. nam fundatores nostri in Conuentu illo *Bemphlingae* celebrato (in quo testis occurrit) *Wernhero de Gruningen* ex sorore *Willibirga* nepoti inter alia etiam ipsum castrum *Achalmin* gentili-

gentilitiam ſuam ſedem haereditarium fecerunt, vnde etiam Comites Gruningenſes ſe poſtea quoque de Achalm nominarunt. duos hic filios habuit, *Wernherum* fundatorum noſtrorum nepotem *Comitem Gruningenſem*, qui in *Haſſiam* abiit, ibique Monaſterium *Breitenau* fundauit: & *Vlricum Comitem in Wirtenberg*, *Baronem in Beitelſpach*, modernorum Ducum procreatorem. ipſe vero Pater *Conradus* iam ſenex reliquum vitae duxit in Caſtro filii ſui Wernheri *Achalm*, vnde nomen traxit, vbi & obiit anno 1121.

e. XIII. K. MANEGOLT DE NIFIN. iſte & filii eius *Egino Comes* & Vdalricus noſter Monachus, & filia eius *Mahtilt de Niſin* dederunt nobis duas curias in Althein Ruſſe. (*)

*) Id eſt ad *Ruſſam* (Riſſ.) fluuium. ex quo colligitur, hunc eumdem eſſe cum illo de *Sunimuotingen*, qui vt referunt *Chronica* noſtra anno 1086. apud *Würzburg* in praelio occubuit. hac vero die translatus videtur, & penes Vxorem ſuam *Mahtildem de Vrah Eginonis ſororem* in Capitulo noſtro ſepultus eſt.

g. XI. K. Cunrat L. de Hyrſpile. WERNDRITT COMITISSA DE SUNOMUOTINGIN.

b. VIIII. K. Mahtilt n. c. c. de Wilzingin.

c. VIII. K. Otteno Abbas (*Rothenſis*) EGINO COMES DE VRA IUNIOR. (*)

*) *Germanus frater Alberadae.*

d. VII. K. Wernherus de Geffingin.

e. VI. K. SALOME DUCISSA BOLONIORUM. hec reliquias valde bonas & manum *S. Stephanil* cum omni ornatu Eccleſie dedit nobis, & predium Juſtingin pecunia eius emptum eſt, & Vinea *Lupinis* plantata.

f. V. K. Liutfrit de Horwe.

g. IIII. K. Walterus m. de Cladeburc.

AUGUSUS.

c. Kal. Wimar de Gruningen miles Wernheri Comitis. Haligga L. de Juſtingin.

d. IIII. Non. Conradus II. Abbas huius loci. Theodericus Abbas Petirshuſen. Albertus Abbas Scaphuſin. Beringer L. de Albegge.

e. III. Non. Bertholt de Phullingin m.

f. II. Non. Bertoldus Abbas.

g. *Non.* Oswaldi Regis. JUDINTA COMITISSA DE ACHALME.
a. *VIII. Id. Gotefridus Prepoſitus de Sindelfingin.*
c. *VI. Id.* Altman Ep'us (*paſſav. ob.* 1091.)
e. *IIII. Id.* Adelheit de Phullingin L.
f. *III. Id.* Landolt Abbas.
a. *Idus.* Giſilbert Abbas. Gozoldus iunior de Juſtingin L.
b. *XVIIII. K. Sept.* Cuno Abbas. Bertoldus Prepoſitus inColberc. FRIDERICUS COMES DE ZOLRE. (*)

*) Junior, filius *Friderici & Vdilhildis* comitiſſae de Vrah. interfuit *pugnae Tubingenſi* cum fratre ſuo *Rudolfo* ex parte Comitis *palatini.* uxorem habuit *Sophiam de Zimbren* teſte Frishlino.

c. *XVIII. K.* CUONRADUS DUX SUEUORUM (*fil. Frid* I. *Imp.*)
d. *XVII. K.* Heinricus Voze ſenior de Touuendorf (*Taugendorf.*)
f. *XV. K.* LIUTOLDUS COMES m. n. c. Fundator huius Cenobii. Iſte dilectus Deo & hominibus hunc locum cum parochiali Eccleſia, & eccleſia Tigirnfelt, & eccleſia Onfridingin & Altinburg & Romansbach, Tarodingin & montem S. Blaſii & vineam Lupinis dedit ſancte Marie. Heinricus de Habisburc. Vdalricus de Warthuſen. Berchtoldus de Blanchinſtein.
g. *XIIII. K.* Riwinus Abbas. Heinricus Voze iunior a Ratgebe occiſus. HADEWIC COMITISSA DE VRA. HARTMANNUS COMES DE WIRTINBERC. (*)

*) *Egonis Comitis de Wirtenberg & Gruningen* filius *Comes in Landaw.* obiit 1273.

a. *XIII. K.* Beringer m. n. c. *Filius Sophie Duciſſe.*
b. *XII. K. Reinher de Geffingin.*
c. *XI. K.* Rilint Abbatiſſa de Hoinburg.
d. *X. K.* HUNFRIT EP'US RAUENNE, AUUNCULUS LIUTOLDI COMITIS.
e *VIIII. K.* Irmingart c. n. c. de Cuppingin.
f. *VIII. K.* Erneſt L. de Lapide. Liuggart c. de Sundirinbuoch.
g. *VII. K.* Liztek L. Bolonie. MANEGOLDUS COMES DE RORDORFF. iſte dedit manſum vnum *Ineringen.*

a.

a. VI. K. GEBEHARDUS EP'US, VDALRICUS EPP. Conſtantiens:
b. V. K. Huc Abbas. Gebino de Vndilhuſin.
c. IIII. K. Beringer de Hatingin L. ADELHEIT COMITISSA, MATER COMITIS LIUTOLDI. (*)

*) *Theodoricus de Mempelgart*, qui anno 1074. fundamenta iecit Manaſterii S. *Walburgis* in *Foreſto ſancto*, quod poſtea à *Friderico Duce Sueuiae* & coniuge ſua *Judita Guelfica* auctum eſt, videtur huius Adelheidis frater fuiſſe. Herzog in Alſat. Chron. L. 3. c. 17.

WIELIGGA COMITISSA. (*)

*) Fuit vxor Adelberti Comitis de Calwe c. a. 1098. obiit, ſepulta Hirſangiae. Bercht. Conſt. eam *Weligam* vocat.

Eſcherich filius.
d. III. K. Eſherich Pater.
e. II. K. Otto de Stuzelingen ſenior, iſte apud Gerolſtat & apud Heggilingen .. & ad Oninburron ... dedit etiam capellam in honore S. Petri dedicatam. Vlricus presb. de Capella (*Kappel.*).

SEPTEMBER.

b. II. Non. Cuonrad Abbas Hirſaue. *CUNIGUNT COMITISSA DE VRAH.* iſta dedit cum viro ſuo maiorem cortinam & dalmaticam vnam.
e. VII. Id. Hainrich pater Reinhardi.
f. VI. Id. Conrad Biſſinc iunior.
g. V. Id. Tragebot Abbas Alpirsbach.
a. IIII. Id. Wernherus de Alshuſen m. n. c. *WOLUERAT COMES.*
b. III. Id. *WELPH IUNIOR DUX DE RAUENSBURC.* Hiltrut L. de Rotinburc.
c. II. Id. *ALBERTUS COMES IUNIOR DE HATINGIN. ALBERTUS COMES DE DILINGIN.*
f. XVII. K. Oct. Wernherus L. de Ritinhalde.
g. XVI. K. Fridericus Abbas S. Georgii. Walterus de Animerckingin.
a. XV. K. Hiltegardis de Pingin Monacha.

b. XIIII. *K.* *VLRICUS COMES DE GAMIRTINGIN. hic cum PATRE ARNOLDO COMITE* in noſtro Capitulo eſt tumulatus.

f. X. *K.* Wernherus ſenior de Ritinhaldi.

g. VIII. *K.* Volko pater c. n. c. Bertha filia c. ñ. c. *VDALRICUS COMES iunior de Berge.* iſte dedit nobis eccleſiam Mochinthal cum omnibus appendiciis ſuis.

a. VII. *K.* *HEINRICUS COMES DE BERGE ſenior.* iſte dedit nobis Curiam Oppinthal. ipſe cum *PATRE POPPONE* & Fratribus ſuis ſepultus eſt in noſtro Capitulo. VtoAbbas. *ROUDOLFUS COMES PATER LIUTOLDI COMITIS.*

b. VII. *K.* Berchtolt Abbas.

c. VI. *K.* Adelheit L. de Vndilhuſen.

d. V. *K.* RICHINZA DUCTRIX BOEMIE COMITIS HEINRICI SENIORIS FILIA.

e. IIII. *K.* HEINRICUS DE STOUPHIN CESAR.

III. *K.* Burcardus de Bruggon.

g. II. *K.* MAHTILT COMITISSA SOROR LIUTOLDI COMITIS.

OCTOBER.

b. VI. *Non.* Albertus m. n. c. frater Abbatis Conradi. *Marquart m. in Winigarten.*

c. V. *Non.* VLRICUS COMES. (*)

*) Arbitror illum iuniorem *de Gammartingen* eſſe, de quo ſupra; quum is nullo alio die legatur.

d. IIII. *Non.* Irmingart c. de Vlme. Albertus de Varthuſin.

e. III. *Non.* Tuta Abbatiſſa. Irmingart L. de Berolfisheim.

f. II. *Non.* Heinricus de Gammirtingin m. n. c. & Prepoſitus. Heinricus Abbas de Alichingin. Adelheit de Nivvenburc incluſa.

g. *Non.* Albero Epiſcopus Wûrzburg: Erneſt ſenior de Stuzilingen. *Herman Marchio.* (*)

*) De Limpurg filius ſuperioris. 26. April.

a.

a. VIII. Id. Albertus m. n. c. de Stuzilingen. iſte dedit nobis & fratres eius Herolfſtetin & Oninburron . . .

b. VII. Id. Adelheit L. de Animerckingin.

c. VI. Id. Richinza de Animerckingin.

d. V. Id. Gerwardus Abb. de monte S. Petri.

e. IIII. Id. Gotefridus Comes de Rordorf. (*)

*) Obiit anno 1139. *Pater Manegoldi* ſiue vt vocant *Magnowaldi*, qui cum coniuge ſua magnum Anniverſarium *Moeſskirchii* fundauit, & obiit anno 1217. ibidem ſepultus. & nota: hos Comites *Dapiferos de Rordorf* dictos eſſe. *Berchtoldus* item Comes & Dapifer de Rordorff praecedentis *Manegoldi* forte filius obiit 1276. ſepultus eſt ante altare *S. Annae* Moeſskirchii. Decimas in Talheim vendidit Monialibus in *Waldt.* huius filius *Berchtoldus* iunior Dapifer vnicam filiam ſuam *Annam* Dapiferam de Rordorf deſponſauit *Wernhero* Baroni *de Zimbern.* qua anno 1340. defuncta, Berchtoldus pater *generum* ſuum pro haerede inſtituit: etiamſi haberet *Nepotes ex fratre.* obiit *Berchtoldus* hic iunior *Moeſskirchii* anno 1351. ibidem ſepultus. Ab illo tempore *Comites de Zimbren* Domini erant in Moeſskirch usque ad annum 1594. quo cum Comes *Willhelmus de Zimbren* ſine haerede virili defungeretur, iſtud Dominium titulo partim haereditatis, partim emptionis deuolutum eſt ad *Comites Helfenſteinios*, & demum anno 162[illegible]. per connubium ad *Fürſtenbergios.* haec ex teſtimonio Archigrammataei Moeſskirchenſis, qui ſcripſit, Gotefridum hunc in menſe Octobri occubuiſſe, quod prorſus coincidit cum Necrologiis noſtris. de eius Matre *Mahtilda* & *Manigoldo* filio & aliis huius ſtemmatis comitibus ſuo loco.

g. II. Idus. Lampertus Abbas Kaminiz. *Diethmar Abbas de Vingarton.* Erlewin de Sparwerſegge. MAHTILT COMITISSA *de Hatingin.*

a. Idus. Albertus de Hatingin n. c. m.

b. XVII. K. Nov. CUONO COMES FUNDATOR HUIUS CENOBII. iſte dedit nobis Colberc, & Niwinhuſin & Detingin.
RUODOLFUS REX.

c. XVI. K. Bruno Abbas. *Manegolt de Rordorf iunior.*

d. XV. K. ARNOLT ABBAS DE ALTORF (*id eſt Weingarten*) Lampertus L. de Huſin.

e. XIIII. K. KAZIMIR. L. BOLONIE *filius Ducis.*

f. XIII. K. Eberhardus, Cuonrat Abbates de Buirron.
Heinricus Dux Iunior de Rauinsburc. (*Magnanimus.*)
g. XII. K. LIUPOLDUS MARCHIO.
a. XI. K. Gerung L. de Petra.
b. X. K. VTICHA COMITISSA.
c. VIIII. K. Irmingart L. de Horwe.
d. VIII. K. Gebehart m. n. c. pater Gebehardi monachi. BERTOLDUS COMES.
e VII. K. VLRICUS COMES DE BRIGANTIA.
f. VI. K. Sifrit Abbas de Scafhuſin.
g. V. K. BOLEZLAUS DUX BOLONIORUM. iſte multa bona contulit nobis cum *VXORE SUA SALOME.*
a. IIII. K. Beringer Abb. Scaffhuſin.

NOUEMBER.

f. III. Non. Wizimannus Abbas de Cladeburc. iſte primus Abbas in eodem Cenobio. Heinricus L. de Anemerckingen frater Waltheri Archipresb.
g. II. Non. Gunther Abbas. *VDILHILT COMITISSA DE ZOLRE.*
a. Nonis. EGINO DE VRA. Bernherus de Marthila.
b. VIII. Id. Commemoratio defunctorum de Liuzila cum tribus luminibus & miſſa.
c. VII. Id. Cuonrat de Habisburc. Cunza L. de Ahe.
d. VI. Id. Erneſt Abbas huius loci. Bertha n. c. c. de Achalme. *Welf Dux Senior de Rauinsburc.* (IV.)
f. IIII. Id. Herrich Abbas. Rudolfus Epiſcopus de Baſilea.
g. III. Id. Otto presb. Anshelmus presb.
a. II. Id. Heinricus n. c. m. & Abbas. Gebehardus Ep'us Conſtant: Beatrix de Phullingin.
b. Idus. Hadewic Abbas de Otilſtetin. *Welph Dux de Rauinsburc* (III.)
c. XVIII. K. Dec. EGINO COMES DE SUNIMUTINGEN m. n. c. (*)

*) *Manegoldi* Comitis & *Mathildis Eginonis* ſenioris Comitis de *Vrah ſororis filius.*

d.

d. XVII. K. Gerdrut ſoror Reinhardi.

g. XIIII. K. Vnruch proauus Liutoldi Comitis. (*)

*) Ly *Proauus* hic non eſt ſtricte ſumendum pro auo patris : ſed pro vno ex Maioribus, vti paſſim apud Scriptores.

b. XII. K. Herman Epiſcopus. Mahtilt de Niſin.

c. XI. K. Erneſt m n. c. ſenior de Obroletin. Heinricus m. S. Galli. *Hartman Comes.* (*)

*) Mihi *Dilinganus*, Adelheidis & Hadewigis Monialium noſtrarum Pater, Fundator Monaſterii *Neresheimenſis* in Rhecia.

g. VII. K. Swigger L. de Gundiluingen.

a. VI. K. Erneſt m. n. c. de Salcilingen. (f. *Schelklingen*)

b. V. K. Rudolfus de Ritinhaldin.

c. IIII. K. ALBRECHT COMES. Landolt L. de Antringin.

DECEMBER.

f. Kal. ADELHEIT COMITISSA DE MOCHINTAL MATER SALOME DUCISSE.

*) Vxor fuit *Heinrici Comitis de Berge* ad Danubium prope Ehingam.

g. IIII. Non. Rudolfus de Ritinhaldin Abbas. Bernherus de Marthila.

a. III. N. Hermannus m. n. c. de Hundirſingin.

b. II. N. Bertolt de Berge m. n. c. Anno Archiep'us. *Lotharius Rex.* Hadewic ſoror Reinhardi de Mundrihingen.

d. VIII. Id. Eggibertus de Phullingen m. n. c. Ruotſtein de Giſingin n. c. m.

a. IIII. Id. Cuno de Sundirinbuoch.

b. III. Id. Marquart presb. de Niwenburc.

c. II. Id. Heinricus L. de Gundiluingen.

d. Idus. HEINRICUS DUX DE RAVINSBURC PATER GUELFONIS DUCIS.

c. XVIII. K. Jan. Gepa m. de Dietfurt.

f. XVII. K. Adelheit c. de Nuſplingin. *WELPH DUX SENIOR (VI.) DE RAUINSBURC ADVOCATUS NOSTER.*

g.

g. *XVII. K.* Wernherus Abb. huius loci.
a. *XVI. K.* Azelinus, Fridericus Abbates. (*Blauburae*)
b. *XV. K.* Willibirc de Buchauia mon. Hiltebrant de Gunziburc.
c. *XIIII. K.* Bertolt mon. frater Abbatis Hermanni. *AGNES DUCISSA.* (*)

*) Filia *Rudolfi* Rheinfeldenſis ex Duce Sueuiae electi Romanorum Regis. *Coniux Berchtoldi II. Zaringiae Ducis.*

d. *XIII. K.* Fridericus Abbas de Blauburron.
e. *XII. K.* Swiggerus Senior de Gundiluingin.
f. *XI. K. VLRICH COMES DE BERGE Senior.*
g. *X. K. GOTEFRIT COMES.* Albertus de Dietfurt.
a. *VIIII. K.* Albertus m. n. c. de Phullingin.
b. *VIII. K.* Vlrich Epiſcopus Spire.
d. *VI. K.* Albertus de Sparwaresegge m. n. c.
f. *IIII. K.* Wernherus Curienſis m. n. c. Eberhardus Cellerarius m. n. c.

XIII.

ANNALES MONASTERII IN BEBENHAUSEN (*)

Fridericus huius nominis primus dictus *Barbaroſſa* filius *Friderici monoculi* filii *Friderici de Stauffen & Agnetis filiae Heinrici IVti Caeſaris*, anno Domini M. C. LII. regnum accepit, & regnauit annis XL. parum minus. erat vir armis ſtrenuus, ſtatura mediocri, corpore robuſtus, facie eleganti, barba & capillo rufo, acer animo, exercitatus in bellis, in conſiliis prouidus, in peragendis negotiis virilis, affabilis, manſuetus, , ingenio ſubtilis, memoria excellentiſſimus.

Anno Domini MCLV. imperiali benedictione ab *Hadriano* papa ſublimatur.

Anno Domini MCLXIIII. GUELPHO *Dux iunior de Rauenſpurg* duxit exercitum ad caſtrum *Toingen* ſeu *Tuingen*, nunc *Tubingen* contra *Comitem palatinum de Tubingen*, *Brigantiae & Rhetiae curienſis comitem Hugonem*, & VIII. Idus Septembris circa veſperam ſabbathi non longe a Toingen caſtra poſuit. Et cum diem dominicum in quiete & ocio deducere ſtatuiſſent, quidam proterui & minus cauti de caſtris Guelphi erumpunt, & caſtro Tubingen appropinquare coeperunt: ſicque conflictus oritur circa horam nonam diei. Welfonis *vexilliſer* fuit comes *Heinricus de Veringen*, habuitque Welfo in ſuo comitatu Epiſcopos *Auguſtenſem*, *Spirenſem*, *Wormatienſem*, *Berchtoldum Ducem de Zeringen* cum aliis quam plurimis marchionibus & comitibus. In auxilio vero Hugonis palatini fuerunt *Fridericus Conradi Regis filius*, *Zollrenſes* & alii quam plurimi: multum tamen impares tantæ aduerſario-

*) Hi annales ex quodam fragmento noſtrae bibliothecae deſumpti ſunt. Scriptura prodit aetatem ſaeculi XVI. ad finem declinantis: citra dubium ex vetuſtioribus MSS. hauſti ſunt.

fariorum multitudini. inito itaque conflictu de castro super aduersarios & ex firmioribus locis contra eos pugnatum est ; ita, vt in fugam tanta multitudo verteretur... fuga facta nongenti ex eis sunt capti, alii vero aegre sibi salutem quaerentes euasere. Welpho duobus vel tribus comitantibus ad castrum *Achalm* aufugit, & facta pace a Friderico Imperatore inter Welfonem & Comitem anno MCLXV. Quae tamen pax vno tantum anno durauit; nam anno sequenti MCLXVI. WELFO pristinae iniuriae memor terram palatini iterum depopulatur, & duo castra ipsius *Kolmunz* & *Wilar* destruxit : in quibus LX. viros coepit. tunc palatinus fractus animo *Fridericum Ducem*, qui Guelfoni plerumque aduersabatur, interpellauit. qui eius consilio *filium Regis Bohemiae* per Bauariam & Sueuiam usque ad locum *Leneuannum* (*) immaniter vastauerunt, & spurcitiis suis foedauerunt. Tandem prouidentia Imperatoris dictus Comes Palatinus in potestatem *Welfonis* se tradidit apud *Vlmam* coram Imperatore & Principibus. & Welfo eum in exilium misit ad Castrum *Nuenburg* in Rhetia Curiensi usque post obitum Welffonis.

Anno MCLXVII. Welfo iunior *Romae* (**) in peste moritur : cuius ossa carnibus per excoctionem consumptis ad propria sunt translata, & in Monasterio *Steingadensi* a Patre suo fundato, reposita sunt.

Anno MCLXVIII. Welfo senior orbatus haerede Friderico Imperatori cognato suo *Ducatum Spoleti*, *Marchiam Tusciae*, *& Principatum Sardinie* resignauit, & recepta ab eo pecunia omnia praedia sua ipsi tradidit. (***) *Fridericus* Imperator quoque filios habuit ex vxore sua *Beatrice* filia Comitis *Bisuntini Heinricum*, quem post se designauit fieri *Imperatorem* : *Fridericum*, quem fecit *Ducem Sueuorum* : *Ottonem*, qui postmodum habuit *Burgundiam*, terram Matris suae : *Conradum*, qui mor-

*) Sic scriptum est. legendum: *Lemannum* (Genfer See)

**) Plerique quidem optimatum Romae peste interierunt. noster autem Welfus Iuuenis *Sienae* obiit. confer. Ott. de S. Blas. Vrsperg. continuat. Morenae &c.

***) *Patrimonium* suum serius venditum, & vt reor primum post exauctorationem Nepotis sui *Heinrici Leonis*, fuit.

mortuo Friderico fratre ſuo iam dicto, fuit Dux Sueuiae: *Philippum* minimum, qui mortuo Heinrico ſucceſſit in Regnum.

Anno MCLXXI. Defuncto Welfone *Hugopalatinus de Tubingen reuerſus eſt ad propria de captiuitate, & ex voto, quod in exilio vouerat,* Monaſterium *Marchtal* deſolatum & collapſum inſtaurat: (*) & electis inde ſeptem *canonicis ſaecularibus*, quos *Hermannus Dux Sueuiae* illuc poſuerat circa annum Domini MXI. & huc collocauit *Monachos praemonſtratenſes.*

Anno Domini MCLXXXI. *Fridericus* Imperator apud *Moguntiam* maximum feſtum & Conuentum celebrauit, conuocatis ibidem Principibus & Baronibus totius regni, de aliisque regnis quamplurimis, in quo conuentu ex filiis ipſius *Heinricus* eſt Rex deſignatus, & *Fridericus Dux Sueuorum* AMBOQUE gladios accinxerunt. (†) circa haec tempora *Rudolfus Comes palatinus* Hugonis ſupra dicti Comitis palatini de Tubingen Brigantiae & Rhetiae curienſis Comitis, Monaſterii *Marchtalenſis* inſtauratoris FILIUS diuina inſpirante gratia conſenſu dilectae uxoris ſuae *Mechtildis* Comitiſſae de *Eberſtein* & liberorum ſuorum in praedio Spirenſis eccleſiae, quod per concambium ordine iudiciario acquiſiuit fauente & confirmante *Friderico* Imperatore glorioſiſſimo, eiusque filio *Heinrico* Rege, & eorundem auctoritate Monaſterium *Bebenhauſen* conſtruxit, & ordini *praemonſtratenſi* deputauit.

Anno Domini MCLXXXVII. *Fridericus Dux Sueuiae* filius Friderici Imperatoris dedit Monaſterio in *Bebenhauſen* libertatem in ſylua *Schombuch* in his, quae in aedificiis, paſcuis, lignis cremandis aliisque neceſſariis. (**)

Anno MCLXXXVIII. Literis firmatum eſt Concambium factum inter

 Epi-

*) Non omnia heic narrata *hoc* anno geſta ſunt: ſed *executio* tantum *voti* prioribus annis concepti.

†) Chron. Weing. id primum ad ann. 1184. refert.

**) Diploma exſtat in Docum. rediu. Monaſt. in Wirtenberg. Duc. ſitor. nov. edit. p. 214. ubi & alia Documenta huc facientia & lectu digniſſima reperies.

Epiſcopum & eccleſiam Spirenſem & *Rudolfum* illuſtrem Comitem palatinum de Tubingen, ſuper praediis ubi ſitum eſt Monaſterium Bebenhuſen. quae commutatio facta eſt in præſentia Friderici Imperatoris inuictiſſimi, & filii eius Heinrici Regis glorioſiſſimi, qui illam conſuluerunt & approbauerunt.

Anno MCLXXXIX. In feſto S. Georgii martyris admonente papa Clemente III. Fridericus Auguſtus cruce ſignatus egrediens terreſtri itinere cum filio ſuo Friderico Duce Sueuorum & exercitu perſpicuo tranſiens per Vngariam & Bulgariam in manu forti & brachio extento transuectus eſt in Licaoniam, de Philemona & Iconio aliisque ciuitatibus glorioſe triumphans, Soldano & Turcis rebellantibus domitis deuenit in Armeniam minorem, vbi omnia compulit in ſuam poteſtatem; adeo, vt nec prius nec poſterius ſuo unquam Saladinus exterminio magis timuerit. Nam Saladinus adeo eum formidabat, vt Syria relicta cum ſuis Turcis in Aegyptum ire cogitaret, deſperans ea loca poſſe tenere, per quae erat Imperator tranſiturus. Et cum Imperator incolumi exercitu in Ciliciam perueniſſet, ab Armeniorum Principe cum multa hilaritate eſt ſuſceptus. Quodam vero die calore aeſtuans, cum lauandi gratia in quendam fluuium deſcendiſſet, in eo (Deo permittente) ſubmerſus eſt & mortuus, anno Domini MCXC. imperii ſui *triceſimo octauo.* vir certe magnificus atque praeclarus: qui adeo ſuo tempore dilatauit Imperium, vt poſt Carolum magnum geſtorum magnificentia parem non haberet. Huic in regendo exercitu filius eius Fridericus Dux Sueuiae ſucceſſit. quo per Armeniam ducente exercitum non longe ab *Antiochia* ingens plaga deſeuiit in exercitu, *Alemannorum* fere omnes mortui ſunt. Vnde ipſe Fridericus Dux nauigio peruenit *Tyrum*, vbi patris Corpus honorifice ſepeliuit, & cum paucis ad obſidionem *Aconenſem* deuenit: vbi paucis euolutis diebus mortuus eſt eodem anno. (*)

Anno Domini MCLXXXIX. RUDOLPHUS COMES PALATINUS fundator Monaſterii Bebenhauſen ſublato certa ex cauſa conuentu ordinis *praemon-*

*) Id eſt: nondum fluxerat annus inter obitum Patris & Filii. Fridericus enim Imperator obiit anno 1190. *IIII. Id. Jun.* Fridericus autem Dux 1191. *XIII. K. Febr.*

monſtrateuſis, *ciſtercienſi* ordini Monaſterium cum poſſeſſionibus habitis & habendis mancipauit auctoritate *Heinrici Regis*. qui conuentus Monaſterium intrauit cum abbate *Diepoldo* eodem anno IIII. Calend. Nouemb.

Anno Domini MCXCI. Heinricus huius nominis VI. Friderici I. filius regnum ambit & VII. annis regnauit.

Anno Domini MCXCII. Rudolphus fundator dedit Monaſterio in ſylua Schönbuch partem, nec non & liberam facultatem in tota ſylua Schonbuch in lignis cedendis & paſcuis, exceptis ouibus, quibus ibi paſcendis non dedit facultatem, multaque alia contulit idem fundator: ſcilicet mediam villam *Weiler*, multa praedia in *Altorff*, *Beringen*, *Walthdorff*, *Dertingen*, *Hirſhaw*, *Wurmlingen*, *Vtingen*, *Hochdorff*, *Adelungerſhart*, *Zimerbuch*, *Weſperwill*, *Sallenſtein*, *Lurback* &c. Dedit etiam calicem magnum, de cuius *pede* poſtmodum facti ſunt duo calices. donauit quoque curiam in *Waltdorff* tali ſub conditione, vt *hoſpitali pauperum* cum ſuis prouentibus perpetuo deſeruiret. nam in eodem hoſpitali debent legi perpetuum tres Eleemoſinarii tanquam praebendarii, ſuſtentarique. quam donationem anno MCCLXXVII. *Rudolfus palatinus filius filii ipſius*, conſenſu omnium haeredum ſuorum, confirmauit.(*)

Anno Domini MCXCIII. *Heinricus* VI. Imperator confirmauit concambium & factum inter Epiſcopum *Spirenſem* & Fundatorem, nec non & priuilegium fundatoris in nemore Schombuch. Eccleſiam in *Weſperwil* cum omnibus attinentiis contulit fundator noſter. quam donationem confirmauit *Conradus* epiſcopus Conſtantienſis anno MCCXI.

Anno Domini MCCLXX. Fridericus de *Gomeringen* vendidit monaſterio noſtro bona quaedam in *Walthauſen*.

Anno MCCLXXI. Abbas & Conventus in *Blobeyren* vendiderunt monaſterio noſtro quaedam bona in *Walthauſen* cum pratis, nemoribus, paſcuis & ceteris attinentiis eorumdem tam in *Buſh* quam in plano.

Anno Domini MCCLXXIIII. *Rudolphus Comes palatinus*, filius filii fundatoris, contulit eccleſiae noſtrae cuncta praedia, quae poſſedit in Walthauſen cum omnibus iuribus & pertinentiis eorumdem.

*) Hanc chartam & eam Conradi epiſcopi Conſtantienſis, non vulgauit *Beſoldus*.

Anno Domini MCCLXXVII. *Rudolphus Comes Palatinus* dictus *Shaerer* contulit solenniter Ecclesiae S. Mariae in Bebenhausen quemdam locum & collem lignis cedendis & pascuis aptum apud Walthausen, dictum *Geisbühel* cum omnibus terminis ad ipsum spectantibus.

Albertus Comes de Hochenberg dictus *de Rottenburg* dedit ecclesiae Dei in Bebenhausen praedium, quod *Stocha* dicitur.

Gero miles de *Liechtenstein* vendidit Abbati *Berchtoldo* Monasterii in Bebenhausen mediam partem decimae in *Tusslingen* anno MCCXLV.

Ludeuicus de Liechtenstein miles contulit ecclesiae nostrae omnia bona quae habuit in *Altingen*, anno MCCLXII.

Sophia nobilis quaedam foemina de *Rohr* vendidit conuentui nostro pro CLX. libris hall. bona quaedam quae habuit in *Bondorff*, 1262.

Abbas & Conuentus in *Alberspach* vendiderunt conuentui nostro bona quaedam in *Talffingen* pro XC. libris Tubingensis monetae anno 1266.

Anno Domini 1269. *Wolfframus* miles de *Bolanden* donauit conuentui nostro curiam in *Lenginueld* cum omnibus attinentiis suis.

Anno Domini 1272. *Fridericus* scholaris de *Bondorf* tradidit nostro conuentui pro CCXL libris Hall: omnia bona sua quae in eadem villa habuit.

Anno 1275. *Hermannus* de *Malenstein* miles vendidit nostro conuentui V. iugera Vinearum & Gangriam cum agris, pratis aliisque attinentiis in *Hezzikeim*.

Anno 1276. *Wilhelmus Comes palatinus de Tubingen* solenni donatione contulit & legauit conuentui & Ecclesiae in Bebenhausen ecclesiam in *Lustnaw* cum vniuersis attinentiis.

Anno Domini 1276. *Conradus* de *Kirchheim* nobilis libere donauit nostrae Ecclesiae ius Patronatus Ecclesiae in *Westheim* atque omnes decimas in *Westheim*, *Laxenhusen*, *Visenhusen*, *Pflugueld*, *Zuffenhusen*; praeterea omnia, quae in praedictis villis ac terminis earundem, nec non in omni *Glemsegeu*: patronatus, praediis, curiis, curtibus, areis, siluis, pratis, pascuis, nemoribus, vineis, agris, aquis, aquarumque discursibus, censibus, molendinis, siue quocumque nomine censeantur.

Conradus Grükeler contulit nostro Monasterio bona quaedam scilicet agros & prata in *Mörringen* & *Vitenbruck*.

Anno

Anno 1277. *Gebhardus de Lichtenſtein* miles vendidit conuentui noſtro bona quaedam, quae habuit in *Oeſingen* cum omnibus attinentiis.

Anno eodem *Rudolphus* & *Conradus* nobiles de *Roſſwag* contulerant eccleſiae noſtrae donatione ſolenni decimam quandam in *Magſtat*.

Eodem anno *Eberhardus de Reingingen* liber, donatione ſolenni legauit eccleſiae noſtrae decimam dictam *Vorzehendt*, quam habuit in *Rendingen*, &a duabus curiis dictis *Fronhôf*, atque a tertia dicta *Behartzhof* apud *Ripam* cum attinentiis ſuis: aream quoque ſuam in medio villae dictis decimae bonis adiecit.

Anno Domini 1279. *Renhardus* & *Johannes* fratres *Comites de Hohenberg* vendiderunt eccleſiae noſtrae quasdam decimas vini in *Niderturckheim*.

Eodem anno *Eberhardus de Reingingen* liber, contulit conuentui noſtro donatione ſolenni omnem decimam de curia *Frondorf* in Hemmingen.

Eodem anno *Fridericus iunior* de *Bernhuſen* vendidit nobis curiam *Fronhof* in *Achtertingen*.

Anno 1280. *Fridericus ſenior* de *Achtertingen* miles, *Marquardus*, *Heinricus* & *Fridericus* filii eius vendiderunt conuentui noſtro omnia bona quae habuerunt *in territorio* villae *Achterdingen* ſiue in caſtris, domibus, areis, horreis, agris, pratis, nemoribus, pomeriis, hortis atque decimis conſtiterint, ſiue poſſeſſionibus quibuscumque cum omnibus iuribus & iurisdictionibus.

Anno 1281. *Crafto* Abbas & totus Conuentus Monaſterii *Hirſaugiae* vendiderunt Monaſterio noſtro pro CCXX. libris hall. curiam *Seelhof* apud *Feurbach*; cui etiam annexum eſt ius patronatus eccleſiae in Feurbach. item in dicta villa curiam *Hailigenhof* cum ſuis attinentiis, & duos manſus ibidem & generaliter omnia bona eorum in dicta parochia ſeu in oppidis dictis. *Bodenang* & in Parochia *Zuſſenhuſen* in domibus ſiue curtibus, pratis, agris, cultis vel incultis, vineas nec non decimas ſuas vniuerſas apud *Weſtheim*, *Viſenhuſen*, *Zazenhuſen*, *Stainheim* & *Pflugueld* cum omnibus eorum attinentiis.

Eodem

Eodem anno *Reinhardus de Berg* & *Ita* ſoror eius vendiderunt nobis duas areas in villa *Berg*, LX. caſeos & XVIII. ſol. Hallens: de tribus areis. item donauerunt nobis duo iugera Vinearum, vnam libram Corae vel yminum vini ex duobus iugeribus virgarum. item in *groſſe Hekbach* duo Sumerina ſalis, & ibidem omnia bona *Ithae* vel *Juditae*, tria iugera Vinearum, duo prata, curiam in *Heſingen*, praedium in *Waiblingen*, decimas in *Oſsweil*, quosdam cenſus in *Canſtat*, aream in *Achtertingen*, advocatiam in *Neckergrieningen* cum attinentiis ſuis.

Eodem anno *Wolframus de Beutelſpach* & *Renhardus de Æchterdingen* vendiderunt eccleſiae noſtrae ſextam partem decimae totius vini in *Oberkirchen* & *Vlbach*.

Anno Domini 1282. *Heinricus* & *Heinricus de Æchterdingen* fratres vendiderunt nobis tertiam partem omnium decimarum in *Berg* cum eorum attinentiis & iuribus vniuerſis ſitis in villis & in bannis ſiluarum *Geiſsberck*, *Wangen*, *Roniker*, *Stutgart*, *Tunzhofen*, *Brigae* & *Altenburg*.

Anno 1284. *Hugo palatinus Comes de Tubingen Otto & Ludwicus filii eius* contulerunt Eccleſiae noſtrae Molendinum in *Waldach*.

Eodem anno *Vollandus Abbas* & conuentus Monaſterii *Hirſaugienſis* vendiderunt Abbati & Conuentui Bebenhuſano omnes ſuas poſſeſſiones quas habebant apud *Bûnikeim* tam in ipſa ciuitate, quam in terminis ſiue Marca, vel extra Marcam eiusdem ciuitatis, & in *Batenheim*.

Anno 1285. *Diemo Herder* & *Dieterus* frater eius Rector Eccleſiae in *Tuſſelingen* vendiderunt Monaſterio noſtro pro CXLIII. libris hallens. omnes ſuas poſſeſſiones apud *Howenſtein* cum omnibus iuribus & pertinentiis.

Eodem anno *Dietricus* & *Diemo* filii *Alberti* militis in *Steinhûlwen* vendiderunt eccleſiae noſtrae pro LXV. libris bona quae habebant in parochia villae *Wurmlingen* in vinetis, agris, pratis, nemoribus ſiue poſſeſſionibus quibuscunque.

Anno 1286. *Eberhardus comes de Wirtenberg* libertauit Monaſterio noſtro omnia bona, quae tunc habuit Monaſterium noſtrum in *Stutgarten*, deditque libertatem aedificandi torcular in eadem ciuitate.

Anno

Anno 1287. *Wolfframus de Bernhauſen* vendidit nobis pro LXXX. libris ius aduocatiae oppidi *Vttinginhuſen.*

Anno 1288. *Fridericus de Vrbach* vendidit nobis pro XXXVI. libris denariorum hallens. curiam in *Zuffenhuſen* dictam *Vrbachof* cum omnibus iuribus & pertinentiis, & dimidietate decimarum feni.

Anno 1289. *Swickerus de Ozwil* miles, *Albertus* & *Hugo* fratres dicti *Owe* vendiderunt Monaſterio noſtro pro CXL. libris denar. hall. curiam ſuam & vniuerſas poſſeſſiones ſitas apud *Giſenank* cum omnibus iuribus & pertinentiis earumdem.

Anno 1290. *Burchardus de Berſtingen* vendidit nobis pro XXXVIII. libris decimas ſuas in *Magſtat.*

Anno 1288. *Cuno*, *Conradus* & *Albertus* fratres de *Stöffela* vendiderunt nobis pro LVI. libris poſſeſſiones ſuas in *Haſelach* curtem, vineas, agros, prata, ſiluas, paſcua, homines cum omnibus iuribus.

Anno 1283. *Conradus* dictus *Straue*, *Erneſtus* rector eccleſiae in *Mezzingen*, & *Suiggerus de Stöffela* iuniores donauerunt nobis bona ſua quae habuerunt in *Æchterdingen.*

Anno 1290. *Heinricus Mendeller* & *Mechtildis* eius uxor contulerunt eccleſiae noſtrae propter Deum curiam in *Cuſterdingen* dictam *Shoernishof* continentem XXVIII. iugera agrorum.

Anno 1291. *Fridericus* dictus *Stöffler* de *Echterdingen* vendidit nobis pro LX. libris denar. hall. monaſterium, curiam dictam *Hagenbuch* ſitam inter *Studia villarum* Æchterdingen & Möringen, atque molendinum ſitum ad littus riui dicti *Kerſe* cum ipſius curiae & molendini iuribus & pertinentiis.

Anno 1291. *Gottfridus Comes palatinus de Tubingen* dictus Böttinger de conſenſu uxoris eius *Eliſabeth* Comitiſſae de *Fürſtenberg* vendidit monaſterio noſtro omnes ſuas poſſeſſiones apud *Blieningen* & in *Birca* cum omnibus iuribus & iurisdictionibus pro ſexcentis libris denariorum hallens. ius patronatus Eccleſiae noſtrae Blieningen iam dictis poſſeſſionibus annexum non vendidit, ſed abſolute cum vniuerſitate voluit tranſire in ius Monaſterii.

Eodem anno *Volcardus* miles de *Owe* vendidit Eccleſiae noſtrae curiam in *Altorff* dictam *Frondorf*, omnes decimas cum omnibus bonis, quae in eadem villa habuit pro CC. libris den. hall. praeter ius patronatus dictae eccleſiae quod abſolute Monaſterio donauit.

Eodem anno *Petrus de Birningen* vendidit nobis apud *Entringen* XXX. iugera agri, tria vinearum, tria prati & quinque areas.

Anno 1292. *Eberhardus Comes palatinus de Tubingen* dictus *Shaerer* vendidit Monaſterio noſtro manſum dictum *Vorſthub* inter *Tubingen* & *Wiltnaw* cum omnibus pertinentiis, piſcariam in fluuio *Neckari* apud *Luſtnaw*, a cliuo *Cazenſteig* usque ad locum dictum *Chalchgrub*, tres curias & piſcariam in *Rûſten*, omnes ſuas poſſeſſiones in *Oberkirch*, *Ruſten*, & *Oberdorf* cum omnibus iuribus ac iurisdictionibus pro ſeptingentis & quinque libris den. hall. Jus patronatus eccleſiae in *Oberkirch* libere nobis donauit.

Anno 1293. *Dieterus* & *Dietricus* fratres *Dietrici*, *Sculteti in Herrenberg* vendiderunt Monaſterio noſtro XL. maltra ſiliginis in Altrigen & IX. in Nebringen: item redditus L. maltrarum ſpeltae, XXV. pullorum, X. ancerum, & mille ouorum in villa Altrigen, & XV. iugera agrorum. item redditus XX. maltrarum ſiliginis in Altrigen pro CCLXXI. libr. den. hall. & 5. ſol.

Eodem anno *Hugo* de Haltringen vendidit Monaſterio noſtro pro XXX. libr. den. hall. pratum VIII. iugerum apud Tubingen &c.

Anno 1295. *Gottfridus Comes palatinus de Tubingen* vendidit eccleſiae noſtrae pro duobus millibus librarum denar. hall. monetae curias in Tubinga dictas Fronhôf, quibus ius patronatus annexum eſt, quod tamen non vendidit, ſed libere donauit . . . vineas dictas *Pfalzgrauenberg* cum torculari, montem *Hohenberg* usque ad riuum Arlebach, & ab ipſo monte usque ad caſtrum *Entringen*, curiam in *Iſingen* cum ſilua Buchhalden . . montem *Creuzberg*, omnia bona quae habuit apud *Wil*, *Altorf* & *Newweiler*.

Eodem anno *Crafto* miles de *Kirchheim* . . vendidit Eccleſiae noſtrae per manum *Hermanni Ducis de Teck* ſuas poſſeſſiones in territorio

Vil-

Vildern ſitas, omnes poſſeſſiones apud Plieningen cum omnibus iuribus & iurisdictionibus pro CCLXXX. libr. den. hall.

Anno 1296. *Gottfridus* palatinus *Comes de Tubingen* vendidit Monaſterio noſtro pro CXL. lib. hal. oppidum *Hagenloch*. . . montem *Hohenberg*, *Steininberg*, *Nuben*, & omnia circumiacentia inter riuum Ammer & riuum Arlebach.

Eodem anno *Fridericus comes de Zollern* vendidit monaſt. noſtro pro CCCC. lib. den. hal. Monaſterium, curiam *Fronhof* in Entringen iuxta cimeterium: omnes poſſeſſiones ſuas apud *Breitenholz* cum omnibus iuribus &c. Jus patronatus non vendidit, ſed beatae Mariae & eccleſiae noſtrae gratis & libere contulit.

Anno 1298. *Eberhardus palatinus comes de Tubingen* dictus *Schaerer* vendidit pro CIIII. lib. den. hal. omnes ſuas vineas apud *Jeſingen* cum omnibus appendiciis dictis *Vorlehen*, aream cum torculari, dominium ſeu ius Aduocatiae in bonis apud *Lachin* &c.

Eodem anno vendidit nobis ius aduocatitium, redditus, ſeruitutes ac omne ius quod habebat in oppido *Tettenhauſen* pro LXXX. L. d. h.

Eliſabeth relicta quondam *Friderici* dicti *Hertor* militis de *Tuſslingen* vendidit nobis ſuas poſſeſſiones in *Pfundart* prope Luſtnaw &c.

Anno 1299. *Rudolphus Comes polatinus de Tubingen* vendidit pro ſeptingentis libris. . curias *Ober* - & *Nider* - *Fronhof* . . curiam dictam *Rudigersgutt*, areas decem in *Altringen* &c. haec autem omnia vendidit plenario conſenſu uxoris ſuae *Luitgardis* Comitiſſae de *Schelcklingen*, quae ad ipſam dotis nomine pertinebant. *Heinricus epiſcopus Conſtantienſis* haec confirmauit.

Anno 1320. Defuncto Abbate *Vlrico de Eſslingen*, electus eſt *Conradus de Luſtnaw* in abbatem, qui refectorium conſtruxit. hic venerabilis pater incorporauit menſe noſtrae eccleſias in *Tubinga*, *Luſtnaw* & *Entringen*, *Oberkirch*, *Altringen*, *Weil*, *Schonbuch*, *Blieningen*, *Æchterdingen*, *Bondorf* &c.

Anno 1342. *Gezo* & *Wilhelmus Comites palatini de Tubingen* fratres vendiderunt oppidum *Tubingam VLRICO COMITI DE WURTENBERG.*

Anno 1343. Venit Monaſterium noſtrum cum omnibus quae circa *Tubingen* habuit in *defenſionem* comitum de *Würtenberg* &c.

Sequitur Catalogus Abbatum Monaſterii in Bebenhuſen.

1. Diepoldus.
2. Erkinbertus.
3. Enzmannus.
4. Waltherus.
5. Ludouicus.
6. Bruno.
7. Conradus.
8. Conradus.
9. Hermannus.
10. Petrus.
11. Rudolphus.
12. Berchtoldus ob. MCCXXIII. V. Id. Maii.
13. Eberhardus obiit MCCLXXV. V. Id. Octobr.
14. Fridericus obiit MCCCV. Non. Jan.
15. Lupoldus de Eſslingen obiit MCCC. (*) prid. Kal. Nov.
16. Vdalricus frater Lupoldi obiit MCCCXX. VIII. Id. Februarii.
17. Conradus de Luſtnaw nobilis ob. MCCCLIII. VI. Id. Decembris.
18. Wernherus de Gomeringen nobilis obiit MCCCXCIII.
19. Petrus de Gomeringen nobilis obiit MCCCCXII. 19. Cal. Febr.
20. Heinricus de Hälfingen nobilis ob. MCCCCXXXII. 2. Auguſti.
21. Renhardus de Höfingen nobilis ob. MCCCCLVI. 10. Cal. Sept.
22. Joannes de Deckenpfrondt ob. MCCCCLX. 6. Kal. Januar.
23. Wernherus de Tubinga obiit MCCCCLXXIII. 6. id. Julii.
24. Bernardus de Magſtat obiit MCCCCXCIII. 5. id. Maii.
25. Joannes de Friedingen obiit MD.
26. Sebaſtianus Luz ob. MD.
27. Eberhardus de Bitenbach MDLXXIIII. (**)

Se-

*) *Fridericus* nempe poſt mortem *Lupoldi* rurſus Bebenhuſium rediit, vt mox videbis.

**) Inferius patebit hunc primum obiiſſe anno 1597. ergo Sebaſtianus Luz falſo *obiiſſe* ſcribitur anno 1500. poſt dura fata reſtitutus a Carolo V. anno 1548. vt mox infra eadem manus adnotauit. forte Eberhardus hoc anno 1574. *electus eſt*. ſi Joannes de Fridingen iam obiit anno 1500. Abbatia pluribus annis vacaſſe debuit; aut Sebaſtianus vltra 50. annos praefuiſſet.

Sequuntur dies fatales quorundam Abbatum Bebenhuſenſium.

Anno ab Incarn. Domini 1223. V. Idus Maii obiit Dominus *Bertholdus* Abbas duodecimus in Bebenhuſen. hic iacet in medio Capituli ſepultus, cuius anima requieſcat in pace. Amen.

Anno Domini 1275. V. Idus Octobr. obiit Reuerendus in Chriſto Pater & Dominus *Eberhardus de Reuttlingen* XIII. Abbas in Bebenhuſen &c. Sub iſto venerabili Abbate anno 1260. 12. Cal. Aprilis in feſto S. Patris noſtri Benedicti inchoatus fuit murus in Bebenhuſen totum ambiens clauſtrum. & anno 1270. circa dedicationem Eccleſiae inchoatus fuit murus interior, & granarium ſibi iunctum.

Dominus *Fridericus* XIIII. Abbas in Bebenhuſen & XXII. in *Schonaugia.* in Bebenhauſen abbatizauit XXII. annis, & reuocatus eſt ad Schonaugiam. cum ibi annum cum dimidio Abbas fuiſſet, Abbatiae ceſſit, & iterum aſſumptus eſt in Bebenhuſen in Abbatem. ſub quo tunc in eodem loco ambitus Monachorum, Infirmaria tam lignea quam lapidea, Cellarium, & aliae ſtructurae grandes tam in officinis quam in aliis conſtructae ſunt. totus murus interior, mala porta & alia diuerſa. ſed & omnia propugnacula muri exterioris, nec non vallis & ſepes clauſtrum ex toto cingentia cum aquae ductu. hic monachos habuit LX. conuerſos CXXX. manens autem in eodem loco & officio per quinquennium, infirmitate & ſenectute bona confectus ſanctiſſimo quieuit fine. hic autem anno ſalutis 1305. Nonas Januarii obiit & iacet in medio Capituli ſepultus. *Superſcriptio ſepulchri*:

Floreat aureolis ſurſum Abbas Fridericus:
Qui par Coelicolis fuit hic pietatis amicus.

Anno Domini 1300. prid. Calend. Nouemb. obiit pius Dominus *Lupoldus de Eſslingen* XV. Abbas in Bebenhuſen, & iacet ſepultus in Cemiterio retro altare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli &c.

Anno virginei partus 1320. octauo Idus Februarii obiit Dominus *Vdalricus* de *Eſslingen* XVI. Abbas in Bebenhuſen germanus iam dicti Lupoldi, & iacet iuxta eum in cemiterio ſepultus. ſub iſto Abbate conſtructa eſt domus Abbatum cum ſuo ambitu. ſub ipſius etiam regimine conſtructa eſt capella in porta a quadam Matrona dicta *Haila de Reuttlingen*, quae ſepulta eſt cum *auia ſua* in Cemiterio retro ſummum altare, vt colligi poteſt ex antiqua ſcriptura muro eccleſiae inſculpta. ſub iſto etiam Abbate conuentus ſecundario diſperſus fuit.

Anno 1353. ſexto idus Decembris obiit Reuerendus in Chriſto pater & Dominus *Conradus de Luſtnaw* natus, XVII. Abbas in Bebenhuſen, 33.tio anno regiminis ſui. qui Abbas venerandus incorporauit menſae noſtrae infra ſcriptas Eccleſias, videlicet in *Tubinga Luſtnaw*, *Entringen*, *Oberkirch*, *Altringen*, *Wil*, *Schönbuch*, *Blieringen*, *Echterdingen*, & ius patronatus in *Bondorf*... Hic etiam Abbas in recompenſam ſeruitiorum ac anniuerſariorum ſuae praelationis a fundatione monaſterii neglectorum Eccleſiam in Altringen *pitantiae* (*) noſtrae perpetuo vniuit. ſub quo etiam Abbate Conrado anno 1335. conſtructum eſt refectorium aeſtiuale cum omni ornatu ſuo: Domus Abbatum lignea maior & minor iuxta capellam infirmorum, vbi nunc coquina Abbatis 1508. eſt conſtructa: item Campanile, Eccleſiae feneſtra retro ſummum altare cum omni ſuo ornatu, in qua verſus iſti ſunt ſcripti:

Abbas ſtructuram CONRADUS condidit iſtam.
Praemia Virgo pia ſtructori redde Maria!
In regno Coeli quod paſce corde fideli.

Noua etiam capella iuxta Cemiterium eccleſiae annexa ſuo ornatu, vbi propter ipſius reuerentiam gleba eius corporea honorifice iacet tumulata,

*) *Pitantia* ſeu *Piſtantia* eſt portio monachica in eſculentis ad valorem vnius *piſtae* id eſt monetae *piſtauienſis*. quum alias ex pulmentis, herbis & oleribus fercula Monachorum conſtarent, *pitantiarius* certis diebus lautiores cibos ex piſcibus & iſtiusmodi parabat. Quondam ipſi Abbates de portione ſibi aſſignata certis diebus aliquid ſupra ſolitum addebant, poſtmodum certos redditus aſſignarunt Conuentui, ex quibus pitantia ſingulis diſtribueretur. conferatur Gloſſar. Caroli du Fresne Tom. V. verbo *Piſtantia*.

ta , in qua capella pro ſe miſſam perpetuis temporibus legendam fundauit &c.

Anno 1393. pridie Calend. Octobris obiit Dominus *Wernherus* natus de Gomeringen XVIII. Abbas in Bebenhuſen , & iacet in cimeterio retro ſummum Altare &c.

Anno Domini 1412. Cal. Febr. obiit Dominus *Petrus de Gomeringen* XIX. Abbas in Bebenhuſen, & iacet in Capitolo ſepultus. ſub iſto venerabili Abbate inchoatum fuit lapideum campanile Eccleſiae anno 1417. (*) circa feſtum S. Joannis Baptiſtae, & anno 1419. circa idem feſtum fuit conſummatum. Anno vero 1410. fuit conſtructum campanile lapideum aeſtiualis refectorii, quorum artifex fuit *Georgius* conuerſus in *Salem*. hic etiam Abbas ſoluit tria millia florenorum, quibus monaſterium fuit obligatum. ſub eodem etiam Abbate emptum eſt caſtrum *Roſeck &c.*

Anno 1432. II. Kal. Auguſti in die ſancti Germani ep'i & confeſſoris obiit Dominus *Heinricus de Halſingen* XX. Abbas in Bebenhuſen, & ſepultus iacet in capitulo.

Anno 1456. X. Cal. Sept. obiit Reuerendus in Chriſto pater & Dominus *Renhardus de Höfingen* XXI. Abbas in Bebenhuſen, & iacet ſepultus in Eccleſia ante Altare beatae Mariae virginis, quod ipſe conſtruxit.

Anno 1455. electus fuit in Abbatem Dominus *Joannes de Deckenpfrondt* & anno 1460. 6. Cal. Jan. obiit XXII. in Bebenhuſen, & iacet in capitulo ſepultus.

Anno 1473. VI. Id. Jul. obiit reuerendus pater & Dominus *Wernherus de Tubinga* XXIII. Abbas in Bebenhuſen & in introitu capituli iacet ſepultus.

Anno 1493. V. Idus Maii obiit R. in Chriſto P. & D. *Bernhardus de Nagſtat* magnae Clementiae Abbas XXIIII. in Bebenhuſen, & in introitu capituli corpus eius requieſcit.

Do-

*) Vitiatus eſt numerus. quinque enim annis ante iam obierat. ergo ſi ſub hoc Abbate conſtructa eſt turris, ponendus erit annus 1407. - & 1409. hinc & inde correctius eſſe Manuſcr. optaſſem. deeſt mihi quoque *Ludewigius*, quem edidiſſe quoque *Annales Bebenhuſ.* poſtquam prelo paratum erat hoc Exemplar, apud *Schöpflinum* legi. vnde ille hauſerit ? mihi minus compertum eſt. forte collatione vtriusque aliquid lucis ad veritatem magis eruendam poterit affundi.

Dominus *Joannes de Fridingen* nobilis, fuit electus & creatus in Abbatem anno 1493. X. Cal. Junii in die Deſiderii . . . & in die S. Geneſii conſecratus ad baculum.

Sebaſtianus Luz Tubingenſis inſtituitur in ſuum monaſterium ſub Carolo V. Imperatore anno 1548.

Eberhardus de Bitenbach ſacroſanctae Theologiae doctor obiit 26. Aprilis anno 1597. circa horam 2.dam noctis. (*)

*) Hic finit ſcriptor : adnectuntur autem imagines Principum Würtenbergicorum lineamentis adumbratae. tum ſubiicitur ſequens charta :

Nos *Albertus* Dei gratia Dux Auſtriae & Styriae, Carniolae Marchio ac Dominus Portusualt.

Promittimus tenore praeſentium ſpectabili viro *Eberhardo* Comiti de Würtenberg *Auunculo* noſtro chariſſimo pro exhibendis nobis per ipſum obſequiis & praeſtandis auxiliis, mille ducentas marcas argenti legalis ponderis nos daturos. quingentis marcis in feſto Natiuitatis beatae Mariae Virginis venturo proxime : & ſeptingentis marcis in purificatione beatae Mariae ſequenti finaliter perſoluendis. conſtituentes Fideiuſſores & debitores usque ad praeſentiam & aduentum praedicti *Eberhardi* pro eadem ſumma argenti venerabilem *Heinricum Conſtant. epiſcopum*, ſpectabiles viros *Burckhardum de Hohenberg* & *Hugonem de Werdenberg* Comites *Auunculos* noſtros dilectos, harum teſtimonio literarum. Dat. in caſtris apud Argentinam VI. Idus Maii anno Domini MCC. nonageſimo octauo.

Nota : Haec charta in iis data eſt circumſtantiis, quibus *Albertus Dux* de exauctorando Imperatore *Adolfo* conſilia coepit. hoc die 2. Jul. caeſo ille regnum adeptus eſt. Vide *Sattler* Geſchichte des Herzogthums Würtenberg I. Theil. §. 22.

XIV.

XIV.

ANNALES AUGIENSES (*)

) Exstat in Bibliotheca nostra codex membranaceus sub lit. G. N. 28. in folio minori characteribus minusculis scriptus venerandae prorsus antiquitatis. complectitur chronicon ab Adam vsque ad Ludovicum pium, in quo ita finit:

Anno IIII DCCLXVIII. *Hludouuicus annis VI.* ex quo *Auctoris* aetatem colligere fas est, quemadmodum & ex sequentibus verbis: *Ab initio mundi usque ad Karolum sunt anni* IIII DCC XX. *sunt simul anni ab initio mundi usque IN PRESENS* IIII DCC LXVII.

Exinde eadem manus *annos Domini*, *Indictiones*, *Epactas*, *Concurrentes*, & *Cyclos lunae* per quinque columnas distinxit & produxit ab anno Domini DXXXII. usque DCCCC XC IIII. inclusiue. hinc & inde, id est a dextris & a sinistris relictae sunt margines ampliſſimae, in quibus facta historica sic adsuta sunt, vt cuique anno exacte respondeant. quae vtinam non adeo parco fuissent calamo adscripta! a proxime enim notato anno DXXXII. vsque ad DCC VIIII. nec apex comparet: & dum exinde pauca notauit scriptor, desiitque in electione Ottonis I. nemo posterorum fuit, qui ad subsequentes annos, id est, ab anno 936. usque 994. vel syllabam adiiceret, adeoque vniuersim paginae vndecim relinquerentur a notis historicis vacuae.

Ex hoc nostro Codice celeberr. Mabillonius quaedam deflorauit, suoque Tomo IV. vet. Analect. sub nomine *Annalium Weingartens.* pag. 477. inseruit. clariss. vero Stephanus Baluzius prius ediderat *chronicon Augiense*, quod Tom. I. Miscellan. edit. Lucensis pag. 120. visitur. Postquam nostrum codicem cum hoc adtentius contulissem, adparuit, vtrumque in

 pluri-

pluribus diſcrepare: quaedam hic omiſſa, alia addita fuiſſe; ideoque eruditis rem me facturum gratam duxi, ſi integrum ad amuſſim exſcriptum, hic adponerem. haeſitabam vero, an potius ſub nomine *Augienſium*, an autem *Sant-Gallenſium* hos Annales euulgarem? equidem in codice illo, quo vſus eſt Baluzius, occurrunt nonnulla, quae ſatis determinant, ſcriptorem fuiſſe Augiae diuitis Monachum. atqui ea pleraque deſunt in noſtro, & e contrario occurrunt S. Gallum concernentia. mihi prope ſic videtur: Monachum quemdam S. Galli primitus hos noſtros Annales compilaſſe, poſtea vero ab *Augienſi* fuiſſe exſcriptum & interpolatum. ſane Baluzianum codicem noſtro eſſe recenti orem vel inde liquet, quod ille in anno 954. hic 936. deſinat. Interim ne quid temerarius audere videar, titulum priſtinum retinere malui.

DCCVIIII. Hiems dura & Cotafridus Dux moritur.
DCCX. Pippinus alamanniam ingreditur.
DCCXIIII. Mors pippini maioris domus.
DCCXV. Mors dagoberti regis iunioris.
DCCXVI. Pugna Karoli cum ratboto.
DCCXVII. Pugna Karoli in uinciaco.
DCCXXV. Sarraceni primitus ingrediuntur.
DCCXXX. Lantfridus moritur.
DCCXXXI. Beda presb. anglorum obiit.
DCCXXXIIII. Karolus friſiam vaſtat.
DCCXXXV. Karolus Vuaſconiam inuadit.
DCCXXXVI. Audoinus ep'us obiit.
DCCXLI. Karolus moritur.
DCCXLVI. Karlomannus alamanniam ingreditur.
DCCXLVII. Karlomannus Romam pergit.
DCCLI. Lantfredus moritur.
DCCLII. Pippinus in regem eleuatur.
DCCLIII. Stephanus papa in franciam uenit.
DCCLIIII. Sanctus Bonifacius martyrio coronatur. & pippinus rex italiam intrauit.
DCCLVIII. Pippinus rex ſaxoniam ingreditur.

DCCLVIIII. Pippinus rex in uuaſconiam.
DCCLXIIII. Hiems grandis.
DCCLXVII. Pippinus rex moritur.
DCCLXXI. Karlomannus rex obiit. (*)

DCCLXXII. Karolus rex in ſaxoniam.
DCCLXXIII. Karolus rex in italiam.
DCCLXXIIII. Capta eſt italia a francis. & Karolus rex romam peruenit.
DCCLXXVIII. Karolus rex ſpaniam ingreditur.
DCCLXXVIIII. Iterum Karolus in ſaxoniam, fames magna, & mortalitas in francia.
DCCLXXX. Saxonia capta eſt.
DCCLXXXI. Iterum Karolus rex romam uadit, & pippinus baptizatur.
DCCLXXXIII. Hildigart regina obiit.
DCCLXXXVI. Iterum Karolus rex romam perrexit. deinde ad S. Benedicti, & ad Capuam. & cruces in veſtibus apparuerunt.
DCCLXXXVII. Karolus rex per Alamanniam venit ad fines bavvarie.
DCCLXXXVIII. Taſſilo dux venit in franciam, & baioaria capta eſt.
DCCLXXXVIIII. Karolus rex pergit in ſclauos qui dicuntur vuilzi.
DCCXCI. Karolus rex hunorum regnum vaſtat.
DCCXCII Karolus rex foſſatum iuſſit facere.
DCCXCVIIII. Kerolt occiditur. (**)
DCCCII. Egino veronenſis ep'us obiit. (***)
DCCCVI. Haito Vualdoni ſucceſſit.
DCCCX. Leo papa obiit. (****)

*) Baluzii Codex mortem Karlom. ad priorem annum refert. ſic & in ſequentibus Chronologia a noſtro variat. caeterum inſiſtendum eſſe lectioni noſtri codicis, ſuadet Chronicon S. Galli apud eundem Baluzium e regione illius poſitum, quo obitus Karlomanni quoque ad an. 771. refertur.

**) Ab Hunnis. erat Karoli ſignifer teſte chron. Salisburg. apud Pezium T. I. Script. auſtr. ad ann. 798.

***) Baluzii codex & quidem ad ann. 809. habet *conſtituitur.*

****) Falſum! obiit enim primum anno 816.

DCCCXI. Haito ep. ſuper mare tranſiuit.
DCCCXIII. Egino conſtantienſis ep'us obiit.
DCCCXIIII. Karolus imperator obiit. Annus I. hludouuici imper.
DCCCXVI. Cozpertus Abba efficitur. (*)
DCCCXXII. Haitoni Erlobaldus ſucceſſit.
DCCCXXIIII. Vuettinus obiit.
DCCCXXX. Initium baſilicæ S. Galli.
DCCCXXXIII. Francorum dedecus.
DCCCXXXV. Dedicatio baſilicæ S. Galli.
DCCCXXXVI. Haito epiſcopus obiit.
DCCCXXXVIII. Puato diaconus palatii apſusl eſt in iudaiſmum.
DCCCXL. Hludouuicus imper. obiit. Eclipſis ſolis III. Non. maias inter octauam & nonam horam in vigilia aſcenſionis domini.
DCCCXLI. Primus annus Lotharii imper. bellum trium fratrum.
DCCCXLII. Diuiſio regni inchoata.
DCCCXLIII. Judith obiit. (**)
DCCCXLVII. Tatto & Erlobaldus obierunt.
DCCCXLVIIII. Terre motus. Vualahfredus obiit.
DCCCLVI. Leo papa. Lotharius imper. Truago (*Drogo*) & rabanus obierunt.
DCCCLVII. Sereniſſimi hludouuici regis filia hildigart obiit.
DCCCLVIII. Folcuuinus Abba obiit.
DCCCLX. Hiems magna & mortalitas animalium.
DCCCLXI. Fames validiſſima.
DCCCLXIII. Gens hunorum chriſtianitatis nomen aggreſſa eſt.
DCCCLXIIII. Eberhart, Liutolf, Erchanger, Liutfrid, Ruadolf, Purghart & alii quam plurimi iſtius regni Principes obierunt.
DCCCLXVI. Karoli ſereni regis ſoror Irmingart obiit.
DCCCLXVII. Terre motus. papa nicolaus obiit. & nimia ſuperfluitas imbrium.

DCCCLXVIII.

*) S. Galli.
**) Vxor ſecunda Ludouici pii Imp. filia Guelfonis I.

DCCCLXVIII. Stella Cometis. fames acerrima & mortalitas hominum & animalium.

DCCCLXVIIII. Lotharius rex de beneuenta veniens in placentia obiit.

DCCCLXX. Raſtizius dux a Ludouuico rege, & ſoltanus ab imperatore captus eſt.

DCCCLXXI. Hludouuicus & Karolus cum patre pacificati, data retia Karolo. Salomon I. ep'us obiit.

DCCCLXXII. Grimaldus Abbaobiit.

DCCCLXXIII. Inaudita locuſtarum multitudo deuenit.

DCCCLXXIIII. Altfridus, Ratoldus, Ermenricus epiſcopi, Pernoldus Comes obierunt.

DCCCLXXV. Hludouuicus imperator filius Lotharii in Italia obiit.

DCCCLXXVI. Hludouuicus rex, hemaque regina, & Karlmannus filius Karoli obierunt.

DCCCLXXVII. Berta filia regis hludouuici obiit. Karolus Imper. obiit III. non. Oct.

DCCCLXXVIII. Papa Johannes in franciam venit. & IIII. Kal. Nou. eclipſis ſolis facta eſt.

DCCCLXXVIIII. Karoli imperatoris filius hludouuicus rex obiit. Karolus italiam intrauit.

DCCCLXXX. Carlomannus rex obiit.

DCCCLXXXI. Karolus iterum italiam ingreditur, & Rome caeſar efficitur. hiems dura.

DCCCLXXXII. Karolus imper. apud uuangionum ciuitatem gubernacula regni francorum ſuſcepit. quo etiam anno & preterito Nordmanni in populo Chriſtiano multa mala fecerunt.

DCCCLXXXV. Vualdo ep'us effectus, & Salomon frater eius Diaconus.

DCCCLXXXVIII. Arnolfus in regnum eleuatur.

DCCCXC. Salomon Abba efficitur.

DCCCXCI. Ipſe epiſcopali honore coronatur.

DCCCXCIIII. Arnolfus rex coepit italiam ſimul & burgondiam.

DCCCXCVI. Arnolfus romam veniens imperator efficitur.

DCCCXCVIIII. Vngri italiam inuaſerunt, & longobardos bello uicerunt.

DCCCC. Arnolfus imper. obiit. & hludouuicus filius eius rex conſtituitur.

DCCCCVI. Vualdo ep'us obiit.

DCCCCX. Adalbero ep'us obiit.

DCCCCXI. Chuonradus rex conſtituitur.

DCCCCXVIIII. Chuonradus rex obiit X. Kal. Dec. Heinricus rex conſtituitur.

DCCCCXX. Salomon tertius ep'us Non. Jan. obiit. Notingus autem electus conſtantienſis.

DCCCCXXI. Ipſe ep'us effectus eſt.

DCCCCXXXIII. Heinricus Ackarenos interfecit Idus Mart.

DCCCCXXXVI. Heinricus rex obiit. & filius regis Otto aquisgrani regnum ſuſcepit.

XV.

CHRONICON

Monaſterii Iſnenſis. (*)

Situm eſt hoc imperiale coenobium Ord. S. Bened. in Allgoia ad Argunam fluuium, adhaeretque ciuitati itidem imperiali eiusdem nominis. circa initium huius ſaeculi ex veteribus chartis quidam monachus chronicon collegit, quod aliquando mihi communicatum in iis, quae ad res meas adtinere videbantur exſcripſi. ſed quum aliquot mihi circa genealogiam comitum Veringenſium dubia poſtea exorirentur, eorumque ſolutionem efflagitarem, nihil obtinui; neſcio quo panico timore loquelam intercludente. Sic orditur ſcriptor:

In Allemannia ſeu Sueuia ſuperiore Arx eſt ſaxoſo olim monti impoſita, *Drauchburg* dicta. huic tanquam capiti circumiectus, & ad duo milliaria in longum protractus ager omnis ſub dominio illuſtrium comitum de *Veringen* & *Nellenburg* parebat &c. (*) De primaeua fundatione & fundationis auctoribus ſic in manuſcripta ſcheda apud nos legitur:

" Anno domini milleſimo quadrageſimo ſecundo XVIII. Kal. Januarii dedicata eſt eccleſia noſtra ab *Eberhardo epiſcopo Conſtantienſi* domino *WOLFRADO comite de Veringen.* (a) impetrante cum *HILTRUDE coniuge ſua* veneranda in Anniuerſario filii eorum *Liupoldi* infantis. "

Porro quum anno Chriſti MLII. Hiltrudis comitiſſa piiſſime obiiſſet, eamdem mortis luctam feliciter ſuperauit *D. Wolfradus* anno MLXV. VI.

*) Dubito, vtrum unquam caſtrum Drauchburgicum *Comites de Veringen* incoluerint. videbimus enim propriam fuiſſe ſtirpem *nobilium de Drauchburg.* Comites ergo praenominati vel *Isnae* vel alio loco ad *Argunam* flumen ſito conſediſſe videntur.

a) Alibi hic Wolfradus *iunior* vocatur, videlicet ad diſtinctionem Patris Wolfradi, qui obiit anno MX. iuxta chron. Auguſt. apud Freherum.

VI. Idus April. illuſtrium Fundatorum Wolfradi ac Hiltrudae *filius.* his iam ad felicem aeternitatem praeeuntibus placidiſſima morte ſucceſſit *Wolfradus* ſeu *Wolfhardus* maritus, primarius noſter ac ter gratioſus fundator anno 1065. V. Cal. April. alii volunt anno 1069. V. Cal. Novemb. (b) Auocato itaque ad coeleſtia, ut pie ſperamus, piiſſimo fundatore, deuolutum eſt dominium Druchburgicum cum ſuis pertinentiis haereditario iure ad *fratrem germanum MANEGOLDUM*, & ad *ſororem viduam IRMRNGARDEN :* qui pari religionis zelo & amore inchoatum monaſterium pro monachis ordinis S. Bened. abſoluerunt . . . agentibus ſimul & aſſentientibus *Lietphilda* ſeu *Liuthilde coniuge cum filiis eorum Walthero, Wolfrado : Irmengarde* quoque Manegoldi *ſorore*, ac *eius filio Manegoldo.*

" Anno Chriſti MXCVI. Idus Februarii comes *Manegoldus* & filii " eius *Waltherus* & *Wolfradus* cum uxore ſua *Liethphilda* tradiderunt " quidquid proprietatis iure habere viſi ſunt in eccleſia que ſita eſt in " villa *Iſinenſi* cum omnibus que ad eam pertinebant. inſuper dotem au- " gendo cum dimidia parte eiusdem ville cum ſiluis, pratis, paſcuis, " molendinis, aquis, & omnibus ad eam pertinentibus, que uſui eorum " ſeruiebant, abſque eo, quod clientes eorum poſſidebant. Inſuper lo- " cum qui dicitur *Mechinſouue* (c) quem ſoror eius *Irmingard* cum fi- " lio ſuo *Manegoldo* contradidit. & locum qui *Cella* nuncupatur, quem " ipſe comes addidit cum ſuis que clientum eorum erant in *pago Herig-* " *zur*, (*) in *Tuſſin*, in *Watte*, in *Waldu* & in *Stenowe* cum his om- " nibus abbatiam conſtruentes. & ut confirmius ſtabiliretur, domno " *Otakero de Tenchilishofin* ea conditione tradiderunt, ut ipſe apoſtolice " dignitati & principali libertati donaret, & locus ipſe ab apoſtolica au- " ctoritate defenſus, liceat ipſius monaſterii monachos in futuro pacifice reſi-

b) Si *poſt* filium obiit pater, hic non poterat defungi *V. Cal. Aprilis* anno 1065. ille enim primum obiit eodem anno *VI. Idus Aprilis.*

c) Hodie *Mechenſee*, Praefectura eſt comitatus Drauchburgici ante aliquot annos ad illuſtriſſimos *Truchſſeſſios* Comites in *Zeil* deuoluti. a quo ſe tamen exemit imperialis abbatia, priori anno collegio Abbatum S. R. I. circuli ſueuici adſociata cum ſeſſionis & voti iure.

* (Forte M. S. *Herigzou.*

" reſidere & Dei ſeruitium peragere : atque abbatem vel inter ſe vel " ubicumque eis placuerit, ſecundum Dei timorem eligere. Et tali " modo definierunt, ut ſi quis ex ipſis vel ex heredibus eorum hanc tra- " ditionis firmitatem corrumpere voluerit, diuina illum ultio ſubſequa- " tur, conatus ſui priuetur effectu, & pro auſu temerario perſoluat mo- " naſterio duplum tantum, quantum ſua mala cupiditate diſtrahere voluit, " fiſcoque perſoluat auri libras tres : & iſta traditio firma & ſtabilis om- " ni tempore permaneat. " hactenus Manuſcriptum.

Abbas I. Manegoldus.

Anno poſt Chriſtum natum 1096. ſub *Vrbano II.* Pontif. *Heinrico IV.* Rom. Imp. *Gebhardo III.* & *Arnolfo* epiſcopis conſtant. quo etiam ipſo anno *introducti ſunt Monachi*, ſelecti ex Monaſtica diſciplina tunc temporis celebri, Monaſterii *Hirſaw* : quibus praefectus in Abbatem fuit *Manegoldus* ſeu *Manngoldus* tam religione quam illuſtri eorumdem Veringenſium Comitum proſapia conſpicuus.

Anno ab inhabitatione Monachorum quarto obiit Manegoldus Abbas I. a proprio diacono occiſus a. c. 1100. ſexennio ante confirmationem Monaſterii.

Abbas II. Landoldus.

Obiit ſub Landoldo Abb. II.do Mangoldus Comes VII. Idus Febr. A. C. 1104. vel 1106. utrumque enim annum reperio, cuius memoria 7. Februarii quotannis in Mortilogio noſtro tali elogio occurrit : *Obiit Manegoldus Comes de Veringen pius & religioſus, ac Fundator huius loci A.o MCIV.* ad Monaſterium igitur delatum Corpus congruam a fratribus ſepulturam in medio nauis eccleſiae accepit. tumba eius lapide quadrangulari oblongo a terra & pauimento aliquantiſper *eleuata*, tecta eſt, qui eius *imaginem armatam*, *inſignia*, & haec in limine verba ſculpta referebat : *Anno MCIV. Manegoldus nobilis Comes de Veringen Fun- - huius Monaſterii Yſni.* (d.)

d) Hoc monimentum ſepulcrale recentioris eſſe aeui mecum facile eruditi conſpirabunt.

Anno Chriſti 1106. Monaſterii *decimo* confirmationis apoſtolicae litterae tandem ex curia romana *Landoldo* Abbati & conuentui eius monaſtico delatae ſunt: quarum ex vetuſto MS. codice pergameno hanc accipe contentorum ſummam:

» Anno Domini MXCVI. Comes *Manegoldus de Veringen* & uxor eius » *Lietphilda*, & filii eorum *Waltherus* & *Wolfradus*, & *Irmengard* ſoror » Manigoldi, cum filio ſuo *Manigoldo*, quidquid proprietatis iure habue» runt in eccleſia, que ſita eſt in villa *Iſinenſi*, tradiderunt cum omni» bus, que pertinebant ad eam prius, & Abbatiam conſtruentes D. *Ottakero de Danchilishofen* ſupplicarunt, ut ipſe Apoſtolicae ſedi &c. ut ſupra. confirmata eſt haec fundatio & dotatio a *Paſcali II.* Papa Anno MCVI. *Heinrico* IV. alias V. Imperatore regnante.

Dum itaque haec aguntur, & Monaſterium non infelices ſucceſſus caperet, triſtem nuntium accipit Landoldus Abbas de nece WALTHERI maioris natu filii Domini fundatoris principalis: qui in conflictu quodam ad aulam imperatoriam *Ingelhemicam* (e) prope Moguntium interfectus viuere deſiit. de quo ſic in MS. mortilogio noſtro ad IV. Idus Jan. *Anno MCIX. obiit Comes Waltherus dominus noſter, Filius Manegoldi, in bello cum multis aliis occiſus apud Idungisheim.*

Anno ſequenti MCX. VIII. Idus Jul. vitam praeſentem exuit D. *Ottakerus de Danchilishofen*, qui in impetranda confirmatione apoſtolica rogatus a Fundatoribus, operam ſuam interpoſuit.

Landoldus Abbas vero poſt 23. regiminis annos III. Id. Aug. Ao. MCXXIII. in coelum receptus eſt.

Abbas III. Wernherus.

Praefuit ab Anno MCXXIII. usque MCLXVI. tot tamen annorum rerum geſtarum memoriam ignotus caſus abſtulit. obiit pridie Idus Jul. MCLXVI.

Abbas

e) Confunditur hic *Ingelheim* cum *Idungesheim*. hoc in *Rhaetia curienſi* ſitum eſſe ſupra adverti.

Abbas IV. Marquardus.

Poſt Wernherum aetate confectum communi fratres ſuffragio ſibi *Marquardum* praefecerunt Abbatem, hominem adtentum, & rerum ac iurium Monaſterii prouehendorum admodum ſolicitum. vnde & donationibus pluribus ſibi a variis pro ſuis collatis, Monaſterii poſſeſſiones atque bona notabiliter auxit. harum nonnullas ex vetuſtis & vetuſtate pene corroſis tabulis defumptas ab interitu vendicare, & incorrupta fide poſteritati noſtrae haec tradere non omnino ſuperuacaneum erit; nam praeter legata & donationes memorandas non paucas, etiam antiquitates quasdam viciniae noſtrae continent, quas non paſſim obuias habere etiam curioſus indagator poteſt. ſic ergo Marquardus ad poſteros:

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis - placuit *Wolfrado* comiti aduocato ſcilicet noſtro rogantibus nobis, quatenus diuina clementia largiente, ſed & eius auctoritate roborante poſſeſſiones vel praedia vndecumque nobis noſtris temporibus collata & oblata, ab ipſo praecipue vel a Miniſterialibus ſuis, vel ab aliis hominibus, in hac pagina ſubſcriberentur. Innoteſcat ergo omnibus veritatis teſtimonium, vt remotis malis ſcandalorum vel cauſſarum, quae in huiusmodi rebus emergere ſolent, ea quae pacis ſunt ſectantes, ſecuram pacem & tranquillam quietem habeant omnes hic in perpetuum Chriſto militaturi.

Anno igitur Incarnationis domini MCLXVI. qui fuit obitus *deceſſoris noſtri piae memoriae Werinharii, & noſtrae ordinationis annus*, *Waltherus de Rotinberg* contradidit Yſnenſi Coenobio pro remedio animae ſuae & fratris ſui *Adelberti* praedium ſuum; id eſt, dimidium manſum in *Maixilſtein* cum duobus mancipiis Adilbert & Hiltibrant coram ſubſcriptis teſtibus: *Berchtoldus* & *Heinricus* frater eius *de Druchburg*, filii fratris ipſius W. (*Waltheri*) *Adilbertus* & N. cum omni clientela vel familia ipſorum. *Adelbertus de Huginanc* & fratres & filii ipſius, & alii quam plures.

Anno eodem *Ripertus de Niderhofen* praeſente filio ſuo Berchtoldo ſaeculo renuntians Deo diſponente contradidit nobis praedium ſuum in

Rintbach : ſed & aliud in *Eminheinhofen* cum parte eccleſiae ipſius villae. teſtes *Heinricus de Chriſtanih* , *Berchtoldus & Heinricus de Drauchburg* , *Bertholdus de Mutwigishofen* & alii plures.

Anno ſequenti MCLXVII. *Conradus* quidam liber homo ſe cum filio ſuo Berchtoldo , ac cum praedio ſuo ad hunc locum contulit. dedit ergo dimidium manſum & molendinum in *Adilhartishofen* praeſentibus teſtibus *Heinrico de Chriſtanih* & filio eius *Rudolfo* , *Heinrico de Drauchburg* & aliis multis.

Anno Incarn. MCLXVIII. *Adilheida* miniſterialis *Comitis Wolfradi* dedit manſum dimidium in *Holzleuten*. obtulit & filias ſuas *Adilheidam* & *Hemmun* Deo militaturas. item ex oppido iſto Yſni *Burchardus* & *Eliſabeth* uxor illius dederunt dimidium manſum in *Razenhofen*. obtulerunt & ipſi filios ſuos Benedictum & Fridericum. quae poſtmodum etiam ipſe Comes manu ſua contradidit praeſentibus Comite *Heinrico de Lechisgemundi* & *Berchtoldo de Drauchburg* , & miniſtris.

Anno Incarn. Domini MCLXIX. Wernherus presbyter quidam ex clientela *comitis Wolfradi* cum manu ipſius iam dicti domini ſui contradidit nobis & ſanctis praedium ſuum in *Bolſterlang* & dimidium manſum , hac videlicet ratione : vt quamdiu ipſe viuit , tantundem redituum accipiat in *Altheim*. Item eodem die ipſe *Comes Wolfradus* dedit nobis tabernariam quamdam domum ſuam iuxta molendinum noſtrum , penſante hoc *Herimanno* plebano de *Wengen*. excepti ſunt autem agri ad hanc pertinentes. teſtes *Heinricus Comes de Lechisgemundi* , *Bertholdus & Heinricus de Drauchburg* , *Heinricus de Chriſtanih & filii eius Rudolfus* , *Ottakerus* , *Waltherus de Sumerisbach miniſteriales* , & alii quam plures.

Item eodem anno ſub eisdem teſtibus acta ſunt quae ſubſequuntur. praedium *Matilinhofen* dictum , quondam dederat nobis *Comes Wolfradus* & miniſteriales eius , quod per multos annos nobis iniuſte ablatum eſt a *Berterada* quondam noſtra profeſſa , & a patre ſuo oblata & ablata tandem ſic modo retinuit praedium illud. Comes iam dictus dedit nobis & ſanctis pratum quoddam circa montem *Tankilishofen* , & partem prato-

pratorum & paludis a riuo fontis *Suarzbach* usque ad riuum *Humirsbach.* dedit & partem montis *Adilegg*, quod erat beneficium *Heinrici de Chriſtanih*, ipſo ſibi reddente, nobisque quibusdam agris redimentibus. donauit quoque circa eumdem montem ſyluam quamdam *Slatebucheſowen* dictam, nec non & mancipia quaedam in *Holzleuten* ſimul cum liberis ſuis, aliamque *Giſilam* cum fratre ſuo.

Anno Incarn. Domini MCLXX. facta ſubſcripta ſunt. Notum ſit omnibus praeſentibus atque futuris, qualiter *Burchardus* & *Bertholdus* fratres cum manu Domini ſui *Comitis Wolfradi aduocati noſtri* praedium ſuum in *Durrenbach* ſanctis *Jacobo & Georgio*, fratribus quoque Domino hic ſeruientibus contradiderunt, hac ſcilicet ratione: vt vnus ipſorum *Burchardus* tantundem agrorum *in beneficium a nobis* accipiat in villa *Hapertishofen*, dato cenſu ſingulis annis. alter vero *Bertholdus* ſcilicet filiae ſuae *Mathildi* ſub regulari prouidentia curam impetrauit, oblata eadem infantula. ipſe quoque ſi conuerti, vel quando conuerti voluerit, recipiatur: interim tamen plenariam fraternitatem recipit a nobis. Teſtes *Comes Heinricus*, *Berchtoldus de Trauchburg*, *Heinricus de Chriſtanih*, *& filii Rudolfus & Ottakerus*, & alii plures. Eodem quoque anno factum eſt concambium inter nos & *Campidonenſis eccleſiae miniſteriales Willibirgam* ſcilicet ac filios eius in praeſentia Abbatis *Landfridi* & *Welphonis aduocati* coram multis hominibus. Nos nimirum praedium noſtrum in *Diezelinis* praedictae *Willibirgae* & liberis eius, & *Hugoni* marito ipſius pro feudo, quod ipſi habuerant in *Durraha* concambiendo tradidimus, inſuper vt magis rata foret actio, vndecim talenta ſuperaddidimus: cuius negotii rati & firmi teſtimonii paginam habemus ſcriptam in Archiuis vtriusque eccleſiae cum idoneis teſtibus.

Anno Incarn. Dom. MCLXXI. *Comes Wolfradus* poſtulauit a nobis quasdam manſiones eccleſiae noſtrae in foro villae *Yſni* &c. Teſtes *Heinricus Comes gener comitis Wolfradi* (f) *Berchtoldus de Druchburg & Heinricus frater eius de Hochinegge*, *Heinricus cum filiis ſuis Rudol-*

(f) Vt reor, is ipſe *de Lechsgmund*, qui ſupra.

fo & Ottakero de Chriſtanik, Waltherus de Sumerisbach miniſteriales Comitis & alii plures.

Item eodem anno vel tempore *Comes Wolfradus* & *Heinricus gener eius* contradiderunt Sanctis contraditione rata & confirmatione perpetua omnes ſuos *theloneariοs* redditus in hac villa, ea ratione, ut nec ipſi nec praeterea proles eorum, ſed nec Abbas nec aliqui ſucceſſores eorum deinceps exigat illos. Ciues autem ſingulis annis *paſcalem cereum* ſoluere ſanctis ſponte ſua promiſerunt. Item *Waltherus de Sumerisbach* dedit nobis praedium ſuum in eadem villa ſua.

Anno Incarn. Dom. MCLXXII. *Adelbertus presbyter de Rordorff* cum fratribus ſuis *Berchtoldo* & *Heinrico* dedit nobis praedium ſuum in *Engilheres*. ipſe autem accepit a nobis plenam fraternitatem. item eodem tempore in eadem villa *Conradus de Sunthofen* dedit dimidium manſum ſanctis noſtris & nobis.

Item *Heinricus de Hohenegge* diem ultimum feliciter claudens dedit pro remedio animae ſuae aream paſcualem in alpibus dictam *Gerichinwang*. Eodem anno quidam *Herimannus de Adilgerisburg* cum quatuor filiis ſuis obtulerunt ſe & praediolum ſuum.

Anno Domini MCLXXIIII. *Herimanus de Ruthartishofen* dedit nobis in eadem villa ſua praedium ſuum: ipſe autem cum uxore ſua profeſſi ſunt monachum.

Anno Domini MCLXXV. *Henricus* quidam adoleſcens dedit nobis praedium ſuum in *Adilharhofen*, & ipſe obiit monachus.

Anno Domini MCLXXVI. *Suiggerus & Sutfridis* dedit nobis & Sanctis curtem de praedio ſuo, & pro ſpe ſalutis aeternae faciens ſe Monachum dormiuit in domino. Eodem anno *Berchtoldus de Azi* venit ad nos cum praediolo ſuo. ſequenti anno frater ipſius *Marquardus* cum uxore ſua *Mathilda* obtulerunt cum liberis ſuis praedia ſua, & ipſi conuerſi ad Dominum &c.

Anno

Anno Domini MCLXXVII. *Conradus de Tuſin* cum ſororibus *Williberta & Adilheida* . . . venerunt ad nos, tradentes praedium ſuum in *Byrewang.*

Anno MCLXXVIII. quaedam mulier *Richinza* nomine dedit praedium ſuum ſanctis cum manu advocati ſui in *Frieſenhofen.* Teſtis aduocatus ipſe *Reinhart*, *Adilbertus presbyter* & frater eius *Marquardus*; *Rudolfus*, *Vdalricus* & alii quam plures.

Anno MCLXXXII. *Sigifridus* liber homo de *Baldenhofen* dedit nobis praedium ſuum in eadem villa, ſeipſum offerens conuerſus ad Dominum &c.

Anno MCLXXXVI. Illuſtriſſimus Comes Suenorum II. Idus Febr. obiit cum maximo planctu ſuorum. (g) in cuius die ſepulturae *praeſente Patre eiusdem Comite Manegoldo*, cum filiis *Wolfrado* & *Heinrico* ac reuerendo fratre eiusdem loci S. Galli, aliisque quam pluribus, Comite ſcilicet *Herimanno de Kilcberg*, ac *Walthero de Ritinharda*, *Burchardo de Lungingen*, & *Conrado de Lochin* aliisque tam noſtris quam alienis intuentibus *Herimannus de Herratiskilche* dedit nobis praedium quoddam in *Vulgunſtat* cum filio ſuo. ſed cui idem praedium inbeneficiatum fuit hac conditione, quamdiu ille viuit, omni anno denarium ſingulum - deinde in monaſterii uſus ſuccedere. qui idem Herimannus poſtea aliud praediolum in *Wallichwilare* dictum item Sanctis noſtris cum puero paruulo obtulit. poſtea *Rilinda* ſoror eiusdem Hermanni, & *Marquardus* maritus eiusdem dederunt aliam partem eiusdem praedii cum *Comite Manegoldo* coram multis teſtibus *in placito apud Artheim* coram ſubſcriptis teſtibus. *Waltherus de Ritinhald*, *Vlricus de Buanburg*, *H. de Marcdorf*, *Conradus de Lochin* & alii.

Anno

g) Non alius certe hic ſubauditur, quam *Wolfradus*, cuius toties ſub hoc Abbate facta eſt mentio. porro ille ſaltem a viginti annis Aduocatiam coenobii Iſnenſis geſſerat - habebat ab aliquot annis *generum* - & tamen funus *praeſente Patre eiusdem* curatum eſt? forte vitio ſcriptoris loco *fratris* patris vox irrepſit. quod de S. Galli monacho additur, referendum eſt ad *Vdalricum* Praepoſitum S. Galli - poſtea anno 1199. abbatem. vid. *annot. Burchard. Monach.* apud Goldaſt. S. R. A pag. mihi 150.

Anno Domini MCLXXXVII. *Conradus* & *Cuno* miniſteriales ac liberis orti natalibus ſeipſos cum praedio ſuo in *Engelisheris* Sanctis obtulerunt. Sub eodem anno *Rudolfus Comes palatinus de Tuingen*, (h) ſed & *Mater eius Eliſabeth*, & *uxor ipſius Mathildis* rogatu cuiusdam *Rudolfi* miniſterialis ipſorum dederunt cum ipſo praedium ipſius in *Argun* Sanctis noſtris. exceperunt vero partem aliquam ipſius praedii, quam ante dederat filio ſuo B. defuncto & liberis eius. Item Rudolfus excepit etiam ex ipſo praedio curtem paruam, quam ſibi reſeruauit, reliqua Sanctis contradiderunt: ſibi & haeredibus ſuis aduocatiam vendicantes hac conditione, vt nullius unquam hominis beneficium fiat. plenam autem fraternitatem habent deinceps: pauperem cum praebenda paſcimus eis: Anniuerſarius eorum cum pulſatione & officio tantum colitur. Eodem tempore *Burckardus de Campidona* & *Mathilda* uxor illius conuerſi ad nos obtulerunt ſanctis & nobis triginta talenta.

Item *Adilbertus* presbyter *de Rordorff* ſub eodem anno vitam finiendo praeſentem, ante mortem ſuam ſimiliter triginta talenta obtulit. de quorum vtrorum oblatione quadraginta talenta in coëmptione praedii in *Durrenbach* diſtracta ſunt - - - item eodem tempore remiſſum eſt quoddam praediolum concambii in hõc oppido a *Burchardo* miniſteriali fratre eius occiſo atque ſepulto pro remedio animae ſuae.

Eodem anno MCLXXXVII. *idem Adilbertus* venerabilis presbyter eccleſiarum noſtrarum *Rordorff*, *Frieſenhofen* & *Engeratzhofen*, qui ſcilicet fuit *frater* illuſtrium virorum *Berchtoldi* & *Heinrici de Drauchburg* ... qui dederat quoddam praediolum in Engilisheris cum praedictis fratribus ſuis - - ſepultus eſt apud nos IX. Kal. Septemb.

Notum ſit omnibus ſcire volentibus, quod *Irmingardis* vidua & *Philippus* filius ipſius, atque *Heinricus* dictus *Harnaiz* quoddam pomerium adiacens & hortum cum agro, quod vulgariter *Buindt* dicitur, ſanctis *Jacobo* & *Georgio in Iſni* coenobio ſito pro remedio animae huius dictae viduae

h) Filius *Hugonis* fundatoris *Marchtalienſis* de quo ſupra. comitatus *Langenargen* & *Tettnang* ante paucos annos a *Montfortiis* comitibus ad Auſtriacos deuolutus eſt &c.

viduae marito, & aliorum parentum ipſorum libere contradiderunt, ita; quod annuatim in anniuerſario dicti mariti conuentui clericorum & monialium vinum & triticeus panis miniſtretur.

Item eo tempore *Suiggero milite de Rordorff* a ſuis cum ſecuri clam crudeliter occiſo, frater ipſius *Heinricus* ipſo die ſepulturae eius dedit nobis partem pratorum & ſyluae dictae *Sconiunſuendi* & *Gunxin.* ſed & *Adilheit* relicta vidua iam dicti Suiggeri etiam ſuam partem in eadem ſylua & monte *Adileggi*, iuxta nos quod dicitur *Kamerlin*, dedit. in qua eadem ſylua dederat nobis ante *Vdalricus* monachus & confrater noſter cum ſuo fratre *Berchtoldo de Grunenbach* coram *Campidonenſi Abbate Landfrido*, & *Aduocato Duce WELFONE* partem ſe contingentem.

Anno MCLXXXIX. *Berchtoldus illuſtris de Trauchburg cum matre ſua Hiltruda* tradiderunt nobis & ſanctis noſtris curtem in *Iſinboltis*, dimidiam ſcilicet partem eiusdem villae, coram multis tam liberis quam ſeruis, coram ſacerdotibus, clericis, conuerſis & laicis, in die ſcilicet Pentecoſtes, ſepulto eodem die optimae indolis *Heinrico* adoleſcentulo fratre eius.

Eodem anno liber & nobilis homo de *Sadirliniswilare* dedit nobis praedium ſuum cum uxore ſua. recipiunt autem a nobis manſionem, & quartam partem manſi: inſuper V. maltra frumenti in villa noſtra *Thaldorf*, & ipſe de veſtimento ſingulis annis tunicam, & in ſecundo anno pelles & tunicam &c. &c. Haec ex MS. pergameno antiquiſſimae ſcripturae, & quibusdam in locis adeo detritae, ut legi amplius nequeat. (*& inferius.*)

" Eumdem religioſum Abbatem *Heinricus Marchio de Rumſperge* ad " ſe in *Vrſen* (i) vocatum deuota roganit poſtulatione, vt propter di- " uinam charitatem in ſuam ſuſciperet prouiſionem & locum & conuen- " tum ſuum ſupradictum, id eſt nouellam conſtructionem religioſorum " fratrum in ſylua *Hiberg* dicta; qui petentis bonae conſentiens volun- " tati, ex fratribus ſui monaſterii diſcretum ipſi loco *Priorem* praeſecit,

i.) *Vrſinium* vulgo *Yrſee* percelebre S. R. I. Ord. S. Benedicti Monaſterium proxime Kauffburam oppidum imperiale ſitum eſt.

" & tali prouisione illam gubernauit congregationem, & cum in prae-
" dicto nemore adhuc habitaret, eum ad locum, qui vocatur *Vrsin* per
" diuinam prouidentiam est translata anno Domini MCLXXXV. " ex MS. fragmento de verbo ad verbum. Is autem quem *Marquardus* Vrsinensibus hic dicitur ex suis monachis ordinasse & praefeciisse, *Wernherus* erat admirandae innocentiae & sanctitatis vir : qui perfecta monasterii fabrica & disposita disciplina monastica, *Cunone*que ex monacho *Ottoburano* in abbatem noui loci ordinato, ad suae professionis monasterium rediit. quem tandem *Rudolfus* Vrsinensis Abbas secundus denuo ad se vocatum, ibique pie defunctum in sacello S. Nicolai honorifica sepultura dignatus est. de quo ibidem adhuc sic legitur :

Qui Prior occurrit Wernherus ferreus audit.
Ferreus est Heros, Isnia stemma dedit.
A solea sola Prior hic sua stemmata duxit :
Ferreus a soleis, aureus ore Prior.
Iste monasterium fundans, in vertice montis
Aedificat cellas, aedificatque scholas.
Qui Prior in sacra luxit Wernherus eremo,
Clarior ex alto splenduit Vrsinio.

Insignem quoque gratiam *Fridericus Barbarossa* Romanorum Imperator *Marquardo* exhibuit. rei totius actae seriem ex ipsis litteris accipe !

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. licet vniuersas ecclesias earumque personas in nostro imperio constitutas manutenere debemus & protegere, earum tamen ecclesiarum tuitioni propensius tenemur intendere, quarum ad hoc religio sancta nos specialius inuitat, & in quibus maius apud Dominum meritum habituros speramus, si imperiale, quo prae aliis indigent, eis subsidium propinamus. qua sane consideratione pie inuitati notum facimus vniuersis praesentem paginam intuentibus tam praesentibus quam futuris, quod ecclesiam in Rordorf monasterio Ysnensi pertinentem, cuius cura animarum dilecto nobis Marquardo Abbati eiusdem Monasterii, cui iam dicta ecclesia in-

uestita

aeſtita eſſe dignoſcitur, ſuisque ſucceſſoribus ab Hermanno Conſtantienſi epiſcopo conquiſiuimus eo intentionis reſpectu, quod ſanctimoniales, quae prius locum habitationis apud Iſnenſe Monaſterium habebant, ad habitandum commodius in praenominata eccleſia transferat, in imperialis protectionis defenſionem recepimus, ſtatuentes, & imperiali auctoritate ſancientes, quod nec Conſtantienſis epiſcopus, nec Aduocatus, nec aliqua perſona ſaecularis vel eccleſiaſtica praememoratum Abbatem ſuosque ſucceſſores in hac ipſa eccleſia & ſuis pertinentiis iniurioſe grauare praeſumat aut inquietare. Data apud Werdam anno Incarnationis Dominicae MCLXXXIX. Indict. VII. quinto nonas May.

De hoc Imperatore in manuſcripto haec leguntur:

Anno MCXC. obiit Fridericus Imperator, cognomento Barbaroſſa plenus frater noſtrae Congregationis: qui nobis acquiſiuit eccleſiam Rordorf. rexit annis XXXVIII. qui fuit filius Friderici Ducis Sueuiae, & IUDITHAE ſororis DUCIS WELFONIS.

Inter huius temporis Benefactores referendus etiam eſt *Welfo* nobilis Dux Altorfenſis, de quo ſic reperio in manuſcripto:

Anno MCXCII. (k.) decimo octauo Kalendas Ianuarii WELFO nobilis Dux Altorfenſis Principum noſtrorum illuſtriſſimus, Heinrici Ducis videlicet & Wulfildis filius, carne ſolutus migrauit a ſaeculo. in quo nobilitas Altorfenſium non mediocriter defiit. Hic multa noſtro contulit Monaſterio bona, ſicut & aliis; ideo plenariam nobiscum habet fraternitatem. is propter innatam nobilitatis Lineam patrimonium ſuum cum omnibus ſuis pertinentiis Heinrico VI. illuſtri Romanorum Imperatori ſub haereditaria poſſeſſione contradidit.

Sub Berchtoldo I. Abbate compoſitio facta eſt inter Campidonenſes & Iſnenſes de nemore quodam controuerſo. ita habet:

Fridericus Dei gratia Campidonenſis Abbas vniuerſis praeſentem paginam inſpecturis ſalutem in ſalutis Auctore .... Nouerint ergo om-

k) Certum eſt hunc Principem iam obiiſſe anno 1191. forte Iſnenſis ſcriptor anni initium duxit *ab Aduentu Domini.*

nes tam praeſentes quam futuri, quod cum cauſa, quae vertebatur inter nos ex vna, & *Berchtoldum Abbatem & eius conuentum de Iſni* ex altera parte, ſuper nemoribus iam diutius eſſet agitata ... procurantibus tandem *Conrado imperialis Aulae Pincerna de Winterſtetten*, & *Ottone Berchtoldo Dapifero de Waltpurg* die & ſtatuto termino per honeſtas & diſcretas perſonas ac maiores Prouinciae, amicabilis inter nos ordinata & facta eſſet compoſitio &c. · Acta ſunt haec in Burgo *Luitkirch* anno Incarn. Domini MCCXXXIX. tertio nonas Decemb. Indict. XI. ſub *Gregorio Papa IX.* regnante *Friderico* Romanorum Imperatore. teſtes huius rei ſunt hi: *Comes Wolfradus de Veringen*, *Bertholdus & Rudolfus fratres de Trauchburg*, *Rudolfus de Münſteren*, *Henricus de Nidegg*, *Henricus de Achberg*, *Marquardus & Conradus de Gottramſhofen*, hi nobiles. ex miniſterialibus *Conradus imperialis aulae Pincerna de Winterſtetten*, *Otto Bertholdus dapifer de Waltpurg* huius compoſitionis ordinatores; *Diepoldus & Heinricus fratres de Luterach*, *Heinricus Marſchalcus de Wagegg*, *Henricus de Stein*, *Berchtoldus Dapifer & Conradus fratres de Rans*, *Ludewicus*, *Hermannus*, *Conradus fratres de Rattenſtein*, *Vdalricus de Winterſtetten*, & alii quam plures. (1.)

1) Charta Abbatis Iſnenſis *Berchtoldi* his ſubſcripta eſt teſtibus: *Regalis aulae pincerna de Winterſtetten*, & *Dapifero de Waldpurg*, & *Bertholdo & Rudolfo nobilibus de Trauchburg*, & *Henrico de Nidegg*, & *Henrico de Achberg*, *Berchtoldo de Kiſslegg*, *Rudolfo de Münſteren*, *Hildebrando de Werdenſtein*, & *Berchtoldo & Conrado Dapiferis miniſterialibus Campidonenſis Coenobii*, & aliis *Imperii familiaribus*. Acta ſunt haec anno domin. Incarnationis MCCXXXIX. Indict. XI. ſub *Gregorio Apoſtolico*, regnante Imperatore *Friderico*, ſub Abbate *Friderico Campidonenſi de Münſteren* oriundo, in villa quae dicitur *Luitkirch*.

XVI.

XVI.

NECROLOGIUM

Ottoburanum Saecul. XII. & XIII. (*)

*) *Dolendum eſt, quod hoc Necrologium hodie amplius haut integrum ſit; nam poſt Nonas Febr. caetera deſunt, ſicut & menſes* Martius, Aprilis & Maius *usque ad VIII. K. Junii. deſumptum eſt hoc Necrologium ex codice pergameno in* 4. *maiori ſub N. XII. continet codex elegánter ſcriptus* 1.mo *Martyrologium*, 2.do *Regulam S. Benedicti.* 3.tio *Lectionarium de tempore & ſanctis ſaeculo XII. exarata: ad calcem adnectitur hoc necrologium.*

JANUAR.

A. Kal. Jan. Adelbertus n. c. m. & Prior. *Liutfridus Abbas.*
E. Non. Walto L. cuius anniuerſarius dies plene agi debet. *Anna Abbatiſſa.*
C. IIII. Idus. *Mahtilt Abbatiſſa.*
G. XII. Kal. Febr. RUDOLF COMES.
E. VII. K. *Liutfrit Abb.*
G. V. K. *Gerhardus Abb.*
A. IIII. K. KAROLUS IMPERATOR.

MAIUS.

E. VIII. Kal. Jun. *Gregorius VII. Papa.*
F. VII. K. *Swigerus de Rouemſperc.* (*Rumſperg.*)

IUNIUS.

A. II. Non. *Werneherus Abbas.*
E. VI. Idus. *Hilteboldus Abbas.*
C. Idus. Rudolfus L. Achinhuſen.

E. XVII. K. Jul. *Gebehardus Epiſcopus.*
F. XVI. K. Rudolf L. Albrant.
G. XV. K. *Sigehardus Abbas.*
B. XIII. K. Rudolfus presbyter de Haldinwanc.
C. XII. K. Johannes Medicus.
G. VIII. K. ADILHEIT COMITISSA.
D. IIII. K. *Cunradus Abbas.*

JULIUS.

B. V. Non. *Aribo Abbas.*
D. III. N. *Willihelmus Abbas.*
F. II. Id. *Cunradus n. c. m. Abbas.*
G. Idus. *Otino Abbas.*
A. XVII. Kal. Aug. HUPOLDUS PATER S. VDALRICI.
B. XVI. K. Rupertus Aduocatus Monachus.
D. XIIII. K. *Adelbertus Abbas.* Cunrad L. de Buhilo. Heinricus L. Arnis.
A. X. K. *Mahthilt laica de Callendin.*
B. VIIII. K. Gilfrit L. cuius aniuerſar. dies agi debet.
E. VI. K. *Kunradus noſtre Congreg. Abbas*, cuius Anniv. preclare agatur. RUDOLF DE BOZANO. (*)

*) Si axioma *Comitis* adiectum foret, ſuſpicarer hunc eſſe Patrem *Heinrici Guelfi*, qui in venatione occubuit: & *Welfonis* vulgo II.di.

G. IIII. K. *Vrbanus Papa.*
B. II. K. *Embricus ep'us.*

AUGUSTUS.

D. IIII. Non. *Adelbertus Abb.* JUDINDA COMITISSA.
G. Non. *Bertholt comm.*
C. VI. Id. *Altiman ep'us.*
E. IIII. Id. *Heinricus Abbas de Burrin.*
F. III. Id. *Landoldus Abbas.*
A. Idus. *Giſelbertus Abbas.*
B. XVIII. K. Sept. *Hermannus de Svarzach Abbas.*

C. XVIII. K. Obiit pie memorie *Rvopertus Abbas.*
D. XVII. K. *Adilbertus Abbas.*
D. X. K. *Sifridus ep'us.*
E. VIIII. K. *Bernoldus Abbas.* (*)

*) Fuerat is antea Abb. Weingart. conſule Catalog. Abb. W. in Prodrom. p. 45.

F. VIII. K. *Adalhalmus Abbas.* Offinia L. de Rumiſperg.
A. VI. K. *Vdalricus ep'us. Otto Comm.*
B. V. K. LUDIWICUS REX.

SEPTEMBER.

F. Kal. Heinricus L. familiaris.
C. Non. *Heinricus ep'us.*
D. VIII. Id. Heinricus aduocatus, cuius anniv. agitur plenarie.
G. V. Id. *Ratgoz Abbas* n. c.
F. XVII. Kal. oct. *Fridericus n. c. Abbas.*
B. XIIII. Kal. *Ruſtein Abbas.* BERTOLDUS WINGARTEN. ABBAS.
A. VIII. K. *Vto Abbas.* Hermannus ſapiens.
F. III. K. *Gebehardus Abbas.*
G. II. K. Reinfridus n. c. Prior & monach.

OCTOBER.

B. VI. Non. Cunigunt L. de Rumſperc.
D. XV. K. Nov. ARNOLDUS ABBAS. (**)

**) Weingartenſis.

D. VIII. K. *Cunradus ep'us.*
E. VII. K. *Vdilhilt n. c. ſ. Comitiſſa.*
F. VI. K. *Herrant ep'us.*
G. V. K. *Sifridus Abbas.*

NOUEMBER.

E. IIII. Non. *Dancolfus Abbas* n. c.
G. II. Non. *Adelbero ep'us.*
A. Non. *Rumolt ep'us.*

D. VI. Idus. *Welf Dux.* (*)

*) Hanc memoriam *Guelfo IV.* eiusque vxor *Iuditha* promeriti fuerint singulari quadam dotatione : quae autem ipsos Ottoburanos hodie latere videtur chartis temporum iniuria deperditis.

A. II. Id. Bertoldus presbyter , qui predium Wolfolfwendi (**) dedit. *Gebehardus ep'us.*

**) Prope Ottoburam, non confundendum cum nostro trans Schuſſam.

A. XIIII. Kal. Dec. *Toto n. c. Abbas.*
E. VIIII. K. GOTEFRID DE MARSTETIN COMES.
F. VIII. K. *Eggehardus Abbas.*

D E C E M B E R.

A. III. Non. *Guntherus Abbas.*
B. II. Non. *Heinricus* , *Hugo* Abbates.
E. VII. Id. Albertus presb. & n. c. m. d'ep'us.
C. II. Id. *Ifingrinus Abbas* n. c. cuius anniuerſ. agitur plenarie.
E. XVIIII. Kal. Jan. *Swigerus n. c. Abbas.*
F. XVIII. K. *Cunradus Abbas.*

XVII.

EXCERPTA NECROLOGICA

Monaſterii Wilthinenſis proxime Oenipontum.

17. Jan. *Otto de Diezzen.*
7. Mart. *Berchtoldus Comes de Tyrol.*
12. Mart. *Heinricus Comes.*
2. May. *Heinricus Comes.*
17. Jun. FRIDERICUS IMPERATOR.
21. Jun. PHILIPPUS REX.
15. Aug. CONRADUS DUX SUEUORUM.
12. Sept. WELFO DUX. (Juuenis)
2. Nou. *Fridericus de Vltun.*
28. Dec. *Berchtoldus Comesde Tyrol.*

I. O. G. D.

Errata.

Pag. 4. l. 30. *leg.* fouerit. p. 12. l. 19. *adde* de. p. 20. l. 23. l. Kauffringen. p. 47. l. 4. *adde* eſt. p. 66. l. 21. *del.* habuit. p. 67. l. vlt. l. *Weiſſenburg.* p. 68. l. 12. l. obſidem. p. 122. l. 12. Ms. VCCCo. p. 128. l. 2. tumulo. p. 143. l. 20. *adde* periiſſe. p. 153. l. 2. autem. p. 159. l. 7. *Adelbertus Comes* infra *Richerium* locandus eſt. p. 181. l. 23. l. iſti. p. 214. l. 16. nondum. p. 217. l. 5. *adde* Dux. p. 272. l. 11. lapſus. p. 291. lin. 4. * referri debet ad ſeq. diem. *Adilhelmus* enim Abb. Weing. quondam fuit, non ille *Bernoldus.*